HERMANNI

KIRCHNERI,

J. U. Doctoris,

LEGATUS:

EJUSq; JURA, DIGNITAS & Officium,

Duobus libris explicata.



MARPURGI,

Typis Pauli Egenolphi, Typogr. Acad.

CIↄ Iↄ CXIV.

GENEROSÆ, STRENUÆ, BELLI TOGÆQUE GLORIA PRÆSTANTISSIMÆ

in illustriss. principatu Hassiæ Nobilitati, omnibus & singulis Equestris ordinis, dignitatis, & officii ac muneris publici viris, Dominis patronis atq; fautoribus suis, summa observantia & honore prosequendis.

DECENNIUM amplius est, generosi & nobilissimi Equites, cùm primùm hic meus literarius Legatus sub amplissimi vestri nominis ala emissus fuerit. Quod quidem feliciter prospereq; ei evenisse animadverti. Instar enim diplomatis Vestræ Nobil. Stren. auctoritas fuisse videtur, de quo Venulejus JCtus in legibus loquitur, quòd qui eo uterentur, expeditissimum curriculum ad itinera sua conficienda haberent. Quid enim noster? itq; reditq; nunc tertiùm, semper sui abundantior & locupletior. Nova autem forma & cultu denuò indutum, nova etiam commendatione exornandum esse duxi, idq; eò magis, quòd vererer, ne fortè, quod Ulyssi per longiores errores contigisse legitur, idem nostro per decennium suum acciderit. At quid illud? Domum cùm ille revenisset, à nemine cognitus fuisse dicitur. Quid verò mirum est libris illud nostris longiorum temporum intervallis obvenire, cùm nō rarò liberis & domesticis usu venire idem videamus. Sed & præterea nova tessera ad veterem hospitem agnoscendum opus esse videbatur, quòd interea temporis magna pars optimorum Mecænatum & patronorum veterum essent, proh fati acerbitatem! morte erepti. Quantum enim homines literati præsidium, quantum columen in Johanne Reideselio in Eisenbach, summo equestris nobilitatis ornamento, Marescallo Hassiæ hereditario, ejusdemq; Nestore prudentissimo amisimus? quantum in ejus similimo dignitate, honore, auctoritate, fratre Volperto, viro summis virtutibus ornatissimo?

mo? Quantum in Egeberto de Malsburg, qui totius provinciæ lumen atq; decus esse videbatur? Quantum in Rudolpho-Vilhelmo Ranw in Holtzhausen, supremo ad Lanum præside & provinciali præfecto? qui ut prædicatissimi splendoris & magnificentiæ, tanquam Lucullus nobilitatis Hassiacæ erat; ita erga viros doctos favoris & amoris insignis,& verè ille Hetruscus eques. Eodem animo & meritis erga literas habuimus Johannem de Bodenhausen, qui Rudolpho socero in dignitate successerat,summa profectò pietate & virtute virum. O longissima patriæ desideria! ô nobilitatis gravissimæ jacturæ! ô maxima literarum & virtutis amissa patrocinia! Atq; hos veluti Atlantes suos,quorum gratia,tanquam eburneo Pelopis humero Legatus noster sustinebatur,non sine maximo dolore nunc desiderat. Sed tamen non minoris favoris ac benevolentiæ spes in superstite (diutissimè sit, precor) flore nobilitatis Hassiacæ collocata est: Est in superiorum nobilissimis liberis & successoribus, quos equidem novi illud Isocratis verbum amplecti, cùm scripserit,æquissimum esse non modò facultatum & opum,sed etiam amoris atq; benevolentiæ paternæ filios heredes esse. Este, Strenui & nobilissimi equites,& hunc vobis partim denuò commendatum Legatum meum habete: partim parentum & antecessorum vestrorum loco velut hereditarium suscipite, meq; omnes vestri nominis & dignitatis semper observantissimum perpetuo studio & favore vestro, ut facitis, complectimini. Dab. Marb. An. 1613. 16. Quintil.

V. St, Gen. Nobilit.

Observantissimus

HERM. KIRCHNERUS D.

EPISTOLA PRIOR DEDICATORIA.

HERCULEM *fortitudinis laboriosæq; militiæ, ac virtutis equestris simulacrum, cum Musis pepigisse hoc fœdus ferunt, ut, dum illæ contra vim & injurias hostium armis ipsius tegerentur, digniss. patrono beneficium ac officiū vicissim præstarent, atq; illius nomini æternitatem memoriæ scriptis suis conciliarent, Quo ingeniosæ fictionis documento, nihil aliud significare fabulosa vetustas voluit, quàm ea, quæ inter equestrem & literatū ordinem esse oporteat confœderationis & amicitiæ vincula: ut nimirum protectores & promotores doctorum hominum viri nobiles, nobilium verò cultores & prædicatores viri docti haberentur, illi res præclaras domi foriśq; gererent; hi rerum ab illis gestarum gloriam immortalitati suarum literarum consecrarent. Idem verò Ajacis clypeus, in quo Musas depictas legimus, adumbravit. Quod autem priscæ ætatis ingenia figmentorum umbraculis & picturarum lineis ac coloribus expressum voluère, id generosa vestra nobilitas, Strenui, ac fortissimi Hassiæ Equites, singulari virtutis studio, re ipsa ostendit. Nec enim solùm ipsi cum armorum vestrorum præstantia literarum gloriam conjunctam adeò colitis, ut, quemadmodum Romanorum gravissimus auctor Cornelius de Cattorum majoribus scribit, eos non solùm artibus bellicis, sed etiam ingenii ac solertiæ cultu, omnibus aliis Germaniæ veteris nationibus antecelluisse: ita hodie nulla ferè usquam per omnes imperii provincias (liceat pace omnium veritatem dicere) nobilitas equestris reperiatur, quæ cum Hassiaca nobilitate in ea re conferri queat: Nec enim ulla ferè in vestro ordine familia, quæ non modò fortissimum aliquem patriæ Achillem ac Hectorem, sed etiam consultissimum Nestorem, & literis & linguis instructissimum Legatum ac Oratorem ad quoscunq; terrarum reges ac principes exteros dare possit. Præterea verò literatorum ordinem, & potissimùm Academiam nostram tanto studio & benevolentia, amore ac beneficentia afficitis, ut nusquam gentium inter nobiles & eruditos homines majorem observantiam & concordiam invenire liceat, qua quid felicius ac beatius regioni esse possit, non video. Nec enim illa immeritò cum jucundissimo illo balsamo, quo caput Aaronis in veteri fœdere inunctum, & cum*

cum rosculo matutino, unde rerum omnium fœcunditas oboritur, juxta Davidis hymnum, comparatur. Quod amoris & benevolẽtiæ vinculum ut eò firmius & constantius permaneat, nostrũ erit qui in Musarum domicilio versamur, antiqui illius fœderis cũ Hercule initi memores, nihil omninò earum rerum, quæ ad nobilitatis vestræ prædicationem ac nominis celebrationem, memoriæq; immortalitatem pertineant, prætermittere. Non itaq; potui, quin hunc meum Legatũ, quem abhinc quinquennio, ex publico Academiæ suggestu, cùm Vergilianas legationes explicarem, magno cum applausu nobilissimæ pubis, quæ tum apud nos bonis literis merebat, proposui, sub vestræ Strenuitatis præsidio, & quasi sub umbella nobilissimi nominis, in reip. literariæ lucem emitterem. Consultissimum enim esse judicavi, illorum patrocinio Legatum hunc meum commendari, ad quorum dignitatem legationis obeundæ splendor & administratio, tanquam hæreditarium munus & possessio maximè pertineret. Accedit præterea privatim à quàm plurimis nobilissimi ordinis proceribus exhibitæ mihi humanitatis, benevolentiæ, amoris, ac summæ beneficentiæ æterna memoria, quæ non sinet unquam studia ac omnia officia mea aliorsum, quàm in nobilissimi vestri ordinis recordationem, vestræq; virtutis ac nominis celebrationem totis viribus converti. Pergite verò, quæsumus, antiquissimæ & generosissimæ nobilitatis Equites, veteris Musarum fœderis necessitudinem nobiscum percolere, meq; tanquam Ennium vestrum, in Scipionum curru habere, neq; dubitate, quin per sempiterna Musarum literarumq; merita, aureo immortalis gloriæ curru nobilissimi vestri nominis fama omnibus terrarum oris circumferatur. Kalend. Martiis. Anno 1603.

INDEX

INDEX CAPITUM SINGULORUM.

LIB. I.

LIB. II.

LIBER

DE JURE, OFFICIO ET DIGNITATE LEGATI,

LIBRI PRIMI

CAP. I.

Quid Legatus, & quibus nominibus idem.

SUMMARIA.

1 *A definitione instituenda rerum omnium tractatio, idq́; Platonis praecepto.*
2 *Legatus ab aliis nondum rectè definitus.*
3 *Quodnám verum genus Legati.*
4 *Mandatum aliud privatum, aliud publicum.*
5 *Legatus, proprio genere mandatarius.*
6 *Definitio Legati.*
7 *Quid nuncius à Legato differat.*
8 *Vergilii locus explicatus.*
9 *Idem Orator.*
10 *Orator, cur legatus dicatur.*
11 *Budaeus refellitur.*
12 *Oratores, qui hodie in hac materia.*
13 *Interpretes qui sint.*
14 *Mercurius cur Interpres Deorum dictus Vergilio.*
15 *Inter Deos & homines propriè nullus Legatus.*

A 16 Nec

16 *Nec inter dominos & subjectos.*
17 *Neq; Apostoli, neq; Angeli propriè Legati.*
18 *Quid deputati & commissarii.*
20 *Germanis politicis quis sit* ein Gesandter / *quid* ein Abgesandter?
21 *In Comitiis Imper. qui sint legati, qui deputati aut ablegati?*
22 *Græcis Legatus ut appelletur?*
23 *Caduceatores qui & Ambasiatores.*
24 *Apocrisiarii qui?*

1 *Plat. in Phæd. Tull. 1. Offic.*

CUM secundum Platonis præceptum, quod etiam rectè veteres sensisse Stoicos ex legitimo methodi instituto Tullius testatur, à definitione omnem proficisci rerum tractationem conveniat, Legatum definire, principio operæ preciũ fuerit, quòd ab aliis, qui eandem mecum ingressi commentandi viam, vel prætermissum, vel adumbratum potiùs obscuris quibusdam descriptionum lineamentis esse animadverti. Quid enim illa nimis remota genera in definitione legati? cùm scribant: Le-
2 gatum esse personam, esse hominem, esse virum, esse eum, esse aliquem, qui alicujus potestatis, magistratûs ve personam, munûs ve sustineat. Artis censura, hos ineptos definiendi modos omnes rejicit. Genus enim adhibendum proximum, & quidem ex juris terminis petitum, quod totam sui naturam & substantiam speciei suæ communicet. At quodnám illud? Ex
3 legum libris verbum MANDATARII est: quo Legato definiendo non haberi potest genus propinquius, non accommo-
4 datius. Species etenim quædam mandati legatio est. Nam uti jus alterum privatum, alterum publicum: ita mandatum alterum privati, alterum publici juris. Illud mandati nomen in specie retinet; non aliter ac adoptio à genere in speciem uno eodemq; verbo defluit: Hoc verò peculiari nomine, Legatio appella-

Varr. lib. 4. de ling. Lat. Tull. Verr. 4. Alberi. de leg. lib. 1. c. 1. Varsev. in Ora. de legat. Brun. de leg. c. 1.

pellatur mandatum, quod est de negotio publico, & jure pu-
blico, ab aliquo publicæ rei potente datum, quod qui susci- 5
pit, Legatus appellatur. Atqui ille rectè definitur mandata-
rius, publico negotio conficiendo solenniter missus, ab eo, qui 6
potestatem legandi habet. In eo enim Legati forma consistit,
quòd & solenniter & justè missus, hoc est, ab eo missus, qui
cùm jus & potestatem mittendi habeat, rectè mittere potest,
& quòd publici ergò missus. Eo itaq; differt à mandatario ju-
ris privati, quòd is à privato ad res privatas administrandas
mandatū suscipiat: differt à nuncio, tum quòd hic sine solenni- 7
bus, & ut inter amicos fieri assolet, sine pompa & strepitu: tum
quòd privatim de rebus privatis veniat: Deniq; ab illis, qui Le-
gati mittendi jus nō habent, venit etiā nullius missu, à se quan-
doq; ipse. Livius illud admodum dilucidè. *Asdrubalem ac Sypha-
cem* (de Carthaginensibus loquitur) *per literas nunciosq́, postre-
mò etiam per Legatos accersunt.* Per literas nunciosq́;, ut amici, &
collegæ, & monitores privati, sine solennibus; postremò per
Legatos, ut magistratus, auctoritate & severitate publica. Ob-
servandum idem apud optimum Poëtam in illo versu:

Nuncius ingenti per regia recta tumultu Verg. Æn. 11.
Ecce ruit, magnisq́ urbem terroribus implet.

Hic, quem vides, neminis missu à se ipse irruit. Et eodem libro: 8
alium Turnus emittit, non legatum, sed nuncium, quem ita al-
loquitur:

Nuncius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer. ——————

Nec enim Turnus, etsi alibi princeps erat, in Latini tamen re-
gis imperio militans, legati mittendi potestatem habebat, sed
nuncii: Id quod etiam ex sequentibus perspicuum est, cùm
non Turni privata, sed Latini regis publica auctoritate fuerit
Æneæ nunciatum. Sic enim prudentissimus Poëtarū subjicit:

Æneas acuit Martem & ſe ſuſcitat ira
Oblato gaudens componi fœdere bellum, &c.
——Regiq́, jubet reſponſa Latino
Certa referre viros & pacis dicere leges.

Non igitur unus ille Idmon à Turno juſſus ire nunciatum: ſed plures à Latino miſſi legati fuêre, de re ejuſmodi, quæ, quoad Turnum, erat quidem privata, quòd ille, ut miles in exercitu regis Latini primarius, duellum Æneæ obtulerit: quoad verò regem, erat cauſa publica, quòd in illo duello hic belli finis verteretur, ut victori & regis filia & regnũ dotale cederet. Quem Vergilii locum ab illis, qui de his rebus ſcripſere, nondum video rectè perpenſum & intellectum. Sed & apud eundem à moribunda Camilla Acca ad Turnum cum mandato noviſſimo emittitur, quæ etſi ad principem ipſa alibi princeps, in alterius tamen imperio, non ut princeps, ſed ut privata & miles, nuncium mittit. At miſſiones mihi vide ibidem regis Latini:

Verg. lib. 11. Æn.

Ecce ſuper mœſti magni Diomedis ab urbe
Legati reſponſa ferunt, &c.

Miſſi à rege Latino, non nuncii, ſed legati, miſſi ſolenniter, miſſi juſtè, ab eo, qui jus mittendi habebat. Sed quid Orator? an ni-
9 hil omninò à legato? Hoc quidem ſenſu nihil diſtat, quo Vergilius canit:

Centum oratores auguſta ad mœnia regis
Ire jubet, &c. Et alibi:
Iamq́, Oratores aderant ex urbe Latina:

Poëtam verò illuſtrat Livius: *Multitudo*, inquit, *ingens, pacem poſcentium primùm ſeditioſo clamore conterruit: Deinde vocare ſenatum, referre de legatis ad Cn. Martium mittendis coëgit. Acceperunt relationem patres, poſtquam apparuit labare plebis animos, miſſiq́, de pace ad Martium oratores, atrox reſponſum retulerunt.* Nec verò pacis ſolummodò, ſed & bellorũ negotiis adhibebantur. Varro: *bellum*

bellum (inquit) *nullum niſi pium putabant geri oportere: ac prius feciales quatuor mittebant, quos oratores vocabant.* Iidem nunc, ecce; Legati, nunc Oratores appellantur; & ita paſſim apud eundem, tum quòd legati munus benè dicendi artibus, quæ Ora- 10
toris forenſis propriæ, maxima ex parte eluceſcat, tum quòd antiquitùs eloquentiſſimus quiſq; ad legati adminiſtrandam provinciam electus. Budæus autem Oratorem à legato differ- 11
re contendit, eumq; hoc nomine appellatum, qui orabundus, hoc eſt, ut ipſe interpretatur, deprecabundus acceſſerit. Quod doctiſſimo Gentili jure diſplicet. Repugnat enim auctorum veterum uſus, qui indifferenter modò Legatum, modò Oratorem dicunt. Hodierno autem politici, ſermonis & ſenſus uſu, 12
Oratorem, non quemvis, ſed maximum maximorum regum & rerumpublicarum legatum vulgò nuncupamus. Quemadmodum imperatoris legatum ad portam, hoc eſt, ad aulam & palatium Turcicum emiſſum, κατ' ἐξοχὴν, Oratorem tanquam propria officii & dignitatis appellatione dicimus: Ita & Venetorum legatũ ad Cęſarem, ad Pontificẽ, & aliorum ad alios eodem nomine legimus: qui etſi ipſe orationis habendæ munere non perfungatur, ſed per alium loquatur, nihilominus tamen Orator dicitur, quòd legationis totius caput & πρόσωπον ſit. At illud rectè vix fieri poſſe exiſtimat Albericus. Quid ita? Numquid centum illi, quos Oratores ex Marone ſuprà adduximus, omnes locuti? Nequaquam. Unus pro omnibus. Omnes tamen dignitatis nomine Oratores inſigniuntur. Quid igitur, legationis πρόσωπον etſi κωφὸν exiſtat, neque orationem ipſe effatu ſuo exprimat, nónne eadem appellatione gaudeat? Sed tamen non modò nomine ac dignitate, verùm etiam re ipſa oratorem eſſe, qui audire orator expetit, legationi conſultius cenſetur. Qualis, Ferdinando imperante, erat Augerius Buſbequius, cujus luculentiſſimæ Epiſtolæ, quemadmodum eas appellat, de

Gent. de leg. lib. 1. c. 2.

Guiciar. & Iov. paſſim. Sylv. in Epiſt. Phil. Hon. tract. de fœd. int. Pont. & Car. V. Ant. Gam. dec. 1.

13 legationis Tûrcicæ itinere extant. Interpretes autem, ut maximè cum Tullio accipiamus eos, qui ferunt & referunt mandata, latiore tamen significatu & officio, quàm legatos intelligimus, cùm id nominis obtineant, quicunq; mandata & verba & sententias nostras aliis interpretantur, sine solenni missionis, sine jure legationis. Ille tamen hodie oratori ac legato linguæ interpretandæ gratia apud exteros additur: idq; ita etiam olim in eodem negotio. Nam Catoni ad Græcos olim misso interpretem adhæsisse legimus, cùm Græcorum sonum id ætatis nondum calleret. Nec ita pridem in Persicæ legationis comitatu, quæ superioribus annis ad illustrissimi principis & domini nostri clementissimi Mauritii, Landgravii Hassiæ aulam appulit, interpretem vidimus, qui illustrissimi principis responsa & Græcè & Italicè reddita, legato interpretabatur, etsi qui caput legationis erat Antonius Scharleyus, Anglus, tum Anglicè, tum Gallicè, tum Latinè cum principe Mauritio fari poterat: Interpres tamen moris & honoris ergò adhibebatur. Quod, ut infrà dicam, legationis dignitate & usu gentium ita receptum. Minister itaq; legati interpres est, & tanquam conducta lingua, qui à sono & verbis legati totus dependet, nihilq; aliud agit, quàm ut colloquentium sententias κατὰ πόδα, ut Imperator de interpretatione legũ instituenda, loquitur, reddat, lingua in linguam aliam versa. Gnari harum rerum Poëtæ,

de confirm. ff. §. 21.

14 qui Mercurium deorum interpretem appellant, ut omnium ille optimus:

Interpres Divûm fert horrida dicta per auras.

15 Mercurium interpretem deorum nominat, qui jussa & mandata deorum hominibus denunciat, cùm inter deos & homines, inter supremos dominos, & subjectos infimos, legationis jus nullum esse possit. Nuncius autem & interpres esse inter utrosq; potest, ut infrà pluribus docebitur. Nullo itaq; modo consi-

consistere illorum partitio poterit, qui legationem duplicem faciunt, aliam cœlestem, vel sacram, aliam humanam, & cœlestem illam definiunt, quæ à cœlicolis ad mortales missa: cum legationis jus, quod fas gentium respicit, inter Deum, hoc est, summum rerum omnium monarcham, & terrigenas, hoc est, subjectos & infimos, ut ita loquar, vasallos propriè intelligi nullum queat. Nec illi olim legationis jure legati erant, qui sciscitatū oracula vel Delphos, vel Delum, vel Pataram, aut aliorsum proficiscebantur. Neq; Apostoli, jure gentium appellandi 17
legati, quòd in universum terrarum orbem salutem prædicatum emissi. Neque angeli propriè legati, cùm hominibus vel miraculosum aliquod puerperium, vel pastoribus natum Messiam, vel Apostolis resuscitatum Christum annunciarint, uti Brunus censuit: Nuncii & interpretes sunt, à potentissimo ad infimos & subjectissimos missi, ut voluntatē, gratiā & mandata divina referrēt, quod infrà explanabitur clariùs. At quorsum Deputatos, ut vulgò appellant, referes? Ad legatorum classem? 18
Ad jus gentium? Minimè gentium. At negotio publico conficiendo multoties mittuntur: Commissarii, qui appellantur, publicæ rei gratia missi, sed non illicò legati. Quid verò defuit? Non solenniter missi sunt, neq; missi sunt ab eo, qui jus mittendi eò, quò missi sunt, habet. Germanorum politici, cùm intellexerint, esse differentiam inter legatos & ablegatos, sive selectos & deputatos: legatos propriè appellant, die Gesandten: 19
ablegatos & selectos, Abgesandten: à Latinis vestigiis ducto exemplo, quod animadversum apud auctores, aliud esse legare aliquem, aliud ablegare: hoc potestatis publicæ, de negotiis publicis: illud mandati privati. Idque perspicuum ex insigni Tullii loco, qui his verbis scripsit: *Iam illud apertum profectò est, nihil esse turpius, quàm quemquam legari, nisi reipubl. causa.* Et paulò pòst: *Deinde cùm esset citò ablegatus, tanquam ex duodecim tabulis insignis*

Brun. de leg. lib. 1. c. 4. *Gentil. de leg. lib. 1. c. 3.* *Brun. d. loc.* *Warsf. in or. de leg.* *Cic. 3. de leg.*

insignis ad deformitatẽ puer. Eandem differentiam agnoscit Gentilis, & cò adducit illum locum Livii: *Rex amore captus virginis, cum patrem primo ablegando, deinde coram rogando fatigasset.* Ubi etiam in regis negotiis, quæ privatim suscipiuntur, non legandi, sed ablegandi verbum proprietatem ostendit. Idem verò à metatoribus imperialibus in comitiis observatum in designationibus hospitiorum vidi, cùm legato Hispaniarum regis inscriptus

Gent lib.1.de leg c.2.
Liv.lib.30.

20 in foribus titulus esset: **Königlicher Würde auß Spanien Gesandten** / aliis verò imperii principibus: **Churfürstliche / Fürstliche Abgesandten.** Quandoquidem omnium Principum & Statuum in imperialibus comitiis, non propriè legati sunt,

21 sed deputati & selecti, quos passim nuncios appellat Aurea Bulla. Exterorum autem regum & principum, ac rerumpublicarum, quæ imperatoris & imperii subjectionem non agnoscunt, revera legati ibidem habentur, si modò missi solenniter ab iis, qui mittendi jus habent. Græcis nunc κήρυκας, nunc ἀγγέλους, nunc πρεσβύτας appellatos constat. Κήρυκα vertunt vulgò præ-

Aur.Bul.tit.1. & 2.
Franc.la Vaay. de leg.

22 conem, quem alii caduceatorem. At κήρυξ nō solùm belli, sed & pacis negotiis adhibitus, contrà, quàm quibusdam videtur. Ita enim Herodotus: εἰς πέμψας Καμβύσης Αἴγυπτον κήρυκα, αἴτεε Ἄμασιν θυγατέρα: *Misit Cambyses in Ægyptum legatum suum, petitum Amasis regis filiam in uxorem.* Πρεσβύτας verò à senili tum prudentia, tum auctoritate nominarunt, quæ in legato legendo potissimùm intuenda. Italis Ambasciator est, quem in Latina civitate fecerunt Ambasiatorem. Galli & Hispani idem nomen retinuerunt, & ad oris sui flexũ torserunt. At unde vocis principium? Verbum esse veterum Celtarum Ambachte, eoq; legatum, quem etiam posterior ætas missum vocabat, significatum notavit antiquitatis diligentissimus auctor Freherus: Videtur autem Celtica ista vox, ut quàm plurimæ aliæ, ex mutilatione Græci verbi profluxisse. Quod illud? Ἀμφιβαδίζειν, pro quo etiam

Her.lib.3.
Mont. de auct. mag.conf.n.181.
Sylv.in Epist. passim.
Freher in not. ad Petr.de Andl.
Bod.de meth.
Henr. Steph. in lex.

ἀμβα-

ἀμβασίζειν, & ex eo ἄμβασος. At illud Latinis hinc atq; inde vadere, circumambulare, & commeare, quod legatorum nomini, qui ex natione alia in aliam, & ex regno uno in aliud ititant, non incongruum. Caduceatores verò Festus interpretatur le- 23 gatos pacem petentes, qui, si Plinio credimus, non Romano- *Plin. lib. 29. c. 3.* rum ritu, sed exterarum gentium missi. Sed & Apocrisiarios 24 vulgò huc referunt. Quid id nominis? ἀπὸ τοῦ ἀποκρίνεσθαι à respon- *Brun. d. lib. c. 4.* dendo dicti, quòd in consiliis & Synodis nomine Pontificum & Episcoporum sententiam dicerent, ut ex Canone perspi- *c. convenientibus 1. q. 7. & ex c. significasti, de elect.* cuum est. Verùm illi responsores quidem, ut Lancellotus loquitur, habendi, legatis autem nequaquam aggregandi.

Lancell. in not. ad d. c. significasti.

CAP. II.

Quot legatorum gênera?

SUMMARIA.

1 *Duo imperiorum tempora.*
2 *Negotia omnia reipubl. duplicia.*
3 *Duplex legatus.*
4 *Togatae legationes.*
5 *Negotii verbum quale hîc?*
6 *Legatus honoris ergò.*
7 *Officii gratia legationes quae?*
8 *Honoris & officii gratiâ differunt.*
9 *Provinciales legationes quae?*
10 *Hispaniae Rex officii gratiâ cogitur praestò esse per legatum Pontifici.*
11 *Officiosi legati, non sunt propriè legati, neq; provinciales.*
12 *Legatus nihil coactè facit.*
13 *Officii gratia quae fiunt, possunt exigi.*
14 *Contemptio inest officiorum omissioni.*

B 15 Impe-

15 *Imperia omnia aut in principatu, aut republ.*
16 *Legati distinctio ex causa efficiente.*
17 *Temporarios legatos quos vulgò dicant.*
18 *Quos Residentes.*
19 *Residentes propriè non legati.*
20 *Nemo in alterius provincia diutius residere potest.*
21 *Residentes resident non ex jure gentium, sed ex pacto singulari partium.*
22 *Quos agentes hodie appellent.*
23 *Rejecta illorum divisio, qui legatum alium divinum, alium humanum faciunt.*
24 *Nuncii possunt cogere, non legati.*
25 *Legatus nihil juris habet in eum, cui mittitur.*
26 *Libera legatio, an propriè?*
27 *Liber legatus, similis procuratori in rem suam:*
28 *Libera cur dicta.*
29 *Cujacius contra Hotom. & Alber. defenditur.*
30 *Petrus Ramus sub libera legatione ingressus Germaniam.*
31 *Propriè legati qui sint liberi.*
32 *Quando illi mittantur.*
33 *Caroli Burgundi mandata libera.*
34 *Legatorum ad exercitus Rom. libera.*
35 *Liberis opponuntur Formularii.*
36 *Legati Pontificii à latere, quales, & legati nati, legati missi.*
37 *Illi conferuntur consulibus priscis, si Cardinales.*
38 *Præsidibus, si alii: eorum jurisdictio.*
39 *Nuncii Pontificii quatenus in Gallia admittantur.*
40 *Legatus Proconsulis, de quo legum titulus, non hujus loci est.*
41 *Neq. ille, quem legatum Cæsaris appellavêre.*

1 *Iustin proœm. Inst.*

CÆterùm, cùm duo imperiorum tempora sint, alterum pacis, alterum bellorum: omnia, quæcunq; in Reipublicæ cardi-

cardine vertuntur negotia, ſecundum bina illa tempora dividi commodè poſſunt; ut alia ad pacis, alia ad belli munia referantur. Negotiorum autem illa diverſitas duo nobis legatorum 2
ex objecto genera parit. Unum eorum, qui togæ negotia, alterum, qui Martis conficiunt. Illi legatorum nomen & titulum 3
in ſpecie reſervant, ac omnibus illis muniis, quæ togæ temporibus accidere poſſunt, adhibentur: Hi, belli tum indicundi, tum ictis fœderibus finiendi, tum rei armis ablatæ repetundæ gratiâ exibant, Fecialesq; ſpeciali appellatione nuncupabantur. Togatæ miſſiones de rebus eſſe plurimis poſſunt, quæ ta- 4
men ad hæc duo ſumma genera revocari poſſe videntur: ut ſint aut negotii, aut honoris gratiâ ſuſceptæ. Negotii verbum civile eſt, & complectitur illas omnes, quæ humanæ ſocietatis ſpaciis actiones continentur. Hîc verò ſtrictiore ſenſu pro tra- 5
ctationibus illis omnibus, quas publicæ rei ergò legati ſuorum *Pac. in auth. habita, C. ne fil. pro pat.*
nomine perficiunt. Ut cùm avitæ amicitiæ inter principes & regna renovantur: cùm novæ affinitates & nuptiæ inter reges & imperia conciliantur: cùm ſocietates & fraternæ ſucceſſiones in mutuas hereditates inſtituuntur: cùm auxilia & ſuppetiæ adverſus potentiorum aliquem petuntur: cùm finium & tuendorum & propagandorum rationes ineuntur: cùm quæ ad annonam Reipublicæ comparandam, ad caritatem ſpecierum tollendam: deniq; de rebus omnibus ad utilitatem communem tendentibus, deliberationes & conſilia habentur. Honoris gratiâ legationes ſuſcipiuntur, quæ honorificam tantùm 6
præſentiam, & officium exhibent illi, ad quem mittuntur. Ut cùm gratulatum de victoriis, de novis nuptiis, de novis conjugum puerperiis, deq; aliis fortunç melioris eventibus mittuntur. Antiquitùs hæc legationis ratio frequentata oppidò fuit, quæ etiam inter reconciliatos hoſtes agitata. Coſrhoem gratulatoriam legationem ad Juſtinianũ miſiſſe, de victoria Afri-

Procop. lib. 1. de bell. Pers. cana Procopius testatum reliquit. Samnitibus superatis, Romam miserunt honoris gratiâ Carthaginenses, qui de belli successu victoribus gratularentur. Superiorum annorum memoria Constantinopolim excurrisse omnium ferè principum potentiorum legationes cognovimus, cùm circumcisionis solennitas in hoc, qui nunc tyrannide Orientali potitur, celebraretur.

7 Appellant alii has legationes officiosas, quòd officii gratiâ fiant. At aliud officii videtur esse, aliud honoris. Hoc spontaneum est, & meræ, ut loquuntur in schola, voluntatis: illud

8 voluntatis coactæ. Hoc præter nudam declarationem amicitiæ & benignæ mentis, nihil in se habet, quod devincire mittentem aliquo jure possit: hoc verò habet, quod officii causa sit, cum in sese nexum, ut, si omittatur, exigi & flagitari jure possit. Officii itaq; gratia provinciales legationes præstò erant Romanorum Principibus, cùm illi haberent, vel quod gauderent, vel quod dolerent. Qua distinctione capiendus ille locus Taci-

Tac. lib. 13. An. ti: *Mittuntur officii ergò, qui gratulari, dolere, atq; id generis reliqua peragere debent.* Illumq; gratulandi per legatos modum innuit

l. 35. ff. ex quib. caus. maj. Jurisconsultus: *Reipublicæ causæ*, inquit, *absunt hi quoq;, qui missi sunt ad gratulandum principi.* Pleni omnes annales ac historiæ ejusmodi officiorum. Nam ita consolatum missi Germanicum

Tac. lib. 1. Ann. morte Augusti mœstum. Et Iliensium ad Imp. Tiberium eadem de re suscepta missio, quæ quòd serior, & post festũ, ut di-

Sueton. in Tib. citur, adventaret, irrisa. Utraq; legationis species, & honoris & officii ergò hodierno more & amore receptissima. Honoris ergò ad regem Angliæ & Scotiæ Jacobum VI. inaugurandum hoc mense Julio, undiquaq; legationes amplissimæ à regibus & principibus emittuntur: Quis verò eas legationes officii ergò ad Imperatorem, ac Pontificem, quæ quotidie ferè proficiscuntur, non vid[e]t? At illud est, quod Guicciardinus scribit:

10 *Pontificem indignatum Regi Catholico, quòd sibi recens creato non pro*

more

more misisset, pedis exosculandi gratia, legationem. Illud enim officii, Guic. lib.7.
cùm Pontificis beneficiarius sit, exhibere Rex Siciliæ & Neapolis tenetur, quemadmodum officii gratia gratulari tenentur suo domino potentes etiam vasalli, quibus illud dici potest: *Gaudete cum gaudentibus, dolete cum dolentibus.* At horum legationes propria legationis definitione non capiuntur. Ut neque 11
illæ provincialium, de quibus legum tituli, quæ hoc nostri le- ff. & C. de leg.
gati titulo non conveniunt, qui jure gentium emissus, illum adit, quem officii & alicujus juris causa adisse non teneretur: cui, si emaneat, succensere ideò nemo superior queat: sed qui à libero missus, libero ore & manu omnia peragit, sui, etiam absens, Principis & Reip. potestati subjectus, non ejus, in cujus aula & urbe legationem administrat, nisi aliquo reatu dignitatem sui muneris amittat, seq; ipse foro, in quo delinquit, subjectum faciat: ut infrà docebitur. At officii ergò qui mittitur, si 12
verseriùs, quàm oporteat, ut olim Byzantii, à Prusia ob id increpationem passi, præteriti officii offensam jure subeunt; of- Polyb.lib.4.
ficii enim, ut Jurisconsultus ait, nihil debet esse prius. Neque 14
quisquam contemni se patiatur. Contemptio autem omni of- l.19.ff.de off. præsid.
ficiorum omissioni & neglectioni inesse videtur. Quod idem mecum sensisse eruditissimum Gentilem contra alios animad- de leg.lib.1.c.7.
verti. Sed hæc de distinctione legatorum, quæ ex objecta materia, quam tractant, petita est, sufficiant: aliam ex efficiente causa sumere possis, ut alium principis, alium reipubl. legatum dicas. Hæc enim omnium imperiorum bipartitio non est, 15
ut nonnullis videtur, inepta. Principatum autem in hac politi- Machiavel.lib.
ca distinctione intelligimus, gubernandi modum monarchi- 1.de discurs.c.1.
cū, quò Cæsar, quò Reges, quò Archiduces, Duces, & omnes, Orat.nost.de
qui Principis titulo, dignitate ac jure gaudēt, referuntur. Rem- stat mon. vol.2.
publicam civitatum statum dicimus, quæ aut democratica, aut aristocratica ratione regnant. Legatus itaque omnis aut 16
principis aut reipubl. est. Principes autem & respubl. ut mul-

tium quidem inter se differunt, ordine, dignitate & honore: ita & legati singulorum. Legationis tamen jure nihil differunt. Perinde enim legati reipubl. habentur propriè legati, ac principum, & æquè securi ac inviolabiles jure gentium habentur.
17 Vulgò distinguunt legatos hoc modo, ut alios temporarios, alios residentes appellent. Temporarios illos, qui ad tempus aliquod emittuntur, non quidem certis aut mensibus, aut annis, sed expediti negotii termino definitum, ut si intra spacium semestre, aut intra annum, aut intra biennium, aut etiam ulterius, res illæ, quarum gratia missio facta, exactæ fuerint, illicò
18 reditio fiat. Residentes, qui ex anno in annos, ex lustro in lustra, donec nulla fiat revocatio, desident, non ad unius expediti negotii tempus, sed ad voluntatem mittentis, & ad omnium rerum, quæ in alieno principatu & republ. accidunt, diligentiã &
19 curiositatem. Verùm hos legatorum in classe propria censere non possumus, cùm non tam negotii, quàm, ut vocant, relationis gratia missi, neq; legati potiùs, quàm speculatores, neq; legationis jure, sed ex pacto singulari utriusq; partis missi, variis de causis, ut sint nonnunquam fœderis inter potentes, tanquam obsides. Quo genere habeo, residentes, illos Galliæ & Angliæ regum ad portam Turcicam. Nec aliter ad se missos tyrannus Orientalis suscipit, qui non tam arcana imperii Turcici explorant, quàm reipubl. Christianæ produnt, ut asserit ea-
Sor. in Ott. c. 51. rum rerũ experientia instructissimus Lazarus Sorantius. Aut majoris fiduciæ ergò, utrinq; collocantur. Ita regis Galliæ residentem in Dania conspexi Danneum, virum natu admodum grandem, qui plurimos annos ibidem degerat, lare & penatibus Haffniæ fixis. Aut officii ergò, potentioris aulã sequuntur: uti Ducum Italiæ residentes, & aliorum in aula imperatoria visuntur. Illud verò cùm jure legationis fieri nequeat, ut quispiam diutiùs in alterius provincia desideat, quemadmodum

Honor.

Honor. & Arcad. ad Anthemium præfect. præt. rescripserunt, *l 4. C. de comm.erc. & merca.*
ex pacto singulari missos esse residentes oportet, cujus gratia
desideant, & in alterius provincia quasi legati versentur. Hodie
agentes rectiùs vocamus, quales regis Galliæ in regno Angliæ,
& alibi aliorum. Quorum hoc munus præcipuum, ut si quid
eveniat, quod illorum, à quibus missi sunt, intersit, tum ad suos
referant, tum pro suis intercedendo agant. At illi longè diversi,
ne quis fortè eos unius generis existimet, ab illis, de quibus *in
C. titulus, de agentib. in reb.* Sed & illorum divisionem priore capite
rejeci, qui legatum alium divinum, alium humanum faciunt,
cùm inter Deum & homines nō legati propriè, sed nuncii
& interpretes commeent, qui mortalibus voluntatem, &
mandata divina, nullo modo defugienda denunciant: Qui,
quod legatus facere nequit, cogunt, imperant, compellunt, jubent,
principum nuncii quod faciunt, qui ad subjectos ablegantur.
Legatus verò nihil juris adversus illum habet, cui mit- 25
titur, non imperat, sed rogat, suadet; aut si res hostica est, minatur,
bellum indicit, res injuria ablatas jure reposcit; Id quod li- *Halic. li. Ant. 3.*
berum est audienti facere, vel omittere. Sed neq; illa, quam li- 26
beram dicunt, propriè legatio est, sed quasi legatio, cùm sine *l. 14. ff. de leg.*
mandato & onere publici negotii sit, honorandæ saltem personæ
ergò, quæ mittitur, instituta, vel commendandi privati,
quod quis in alterius provincia conficiendum habet, negotioli,
vel etiam voti solvendi causa. Quem legatum Gentilis simi- 27
lem dicit procuratori illi, qui dicitur in rem suam: qui nihil *Cic. ad Att. 2. 7. Hot. obs. lib. 6. c. 8.*
omninò cum legato nostro commune habet, prȩter commendationem,
ad majorem securitatem, & ad honorificentiorem
conditionem inter exteros degendi. Atqui ob eam causam etiam
illis, qui ita emissi erant, solebant antiquitùs lictores attribui
ab iis, qui provinciis præerant, ut majorem auctoritatem
haberent, de quibus Consul Tullius: *Legatos*, inquit, *nostros homines* *Cic. de leg. Agr.*

mines auctoritate tenui, qui rerum privatarum causa legationes liberas obeunt, tamen exteræ nationes ferre vix possunt. Grave enim est nomen imperii, atq; id etiam in levi persona pertimescitur, &c. Libera
28 autem legatio ob id dicta, quòd ab omnibus publicis negotiis esset immunis, & vacua oneris, liberata legationis propriè dictę, & molestiis & curis. Ideoq; neq; absentiæ, quę reipub. causa fiebat, immunitatem habebat. Cujacius opinatur liberam dictam, quòd nullo sit finita tempore, sed redire & abire ei, qui eam impetraverit, quandocunque liceat, modò libeat; repre-
29 hensus ob id ab Hotom. & Alberico, qui legem Ciceronis adducit, quę contrarium statuere videtur, ac ostendere præfixum spacium annuum fuisse legationibus liberis. Sed & postea Lege Julia quinquennium indultum est, cùm sub prætextu illo liberæ legationis abusus plurimus fieret. At nihil hoc contra Cujacium, qui liberam legationẽ intuetur, ut primùm omniũ fuerat ab initio sui, non ut postea facta, cùm illius absentiæ & missionis abusus animadverteretur. Solent enim prima rebus imposita, & officiis nomina retineri, ut maximè postea plurimum ex priore sua natura immutentur. Hac autem quasi legatione missum olim Scipionem legimus, & ipsum nostrum Tullium, qui sibi eandem sub Attici persona, secum colloquentis, ad conscribendas eas, quas animo agitabat, historias iterum permitti postulat, ut earum studium neq; opera occupata, ne-
30 que impedito animo suscipere possit. Hac verò sub specie honorificè ingressus Germaniam est Petr. Ramus, revocatæ veteris eloquentiæ & philosophiæ princeps, teste Banosio, qui peregrinationem eam, comes itinerum, & Achates descripsit, ac quàm honorificè ubicunq; urbium & nationum liber legatus habitus fuerit, gloriosè ibidem prædicavit. Sed de libera il-
31 la, quod dictum est, sufficiat. Dicuntur verò etiam eorum, qui propriè legati sunt, alii liberi, qui liberam fandi & agendi, nulla certa

d.l.14. ff. de leg. Cuj. lib. 9. obs. c.29.

Hot. obs. lib. 9. c.4. Gent. de leg. lib. 1. c. 8. Tull. 3. de legib.

Plut. in vita Grach. Tul. Phil. 1.

Cic. de legib. lib. 1. Nic. Nancell. in ejus vit. & Banos.

certa præſcripta formula, poteſtatem habent, agendi, inquam, quodcunq; è re illius cauſæ, quæ demandata eſt, videbitur. Ita olim miſſi Phaneas & Democles ab Ætolis ad Romanos, ut quod judicarent è re futurum publica Ætolorum, id bona fide agerent. Quod tum fieri potiſſimùm ſolet, cùm res intricata, & 32
ancipitis conſilii, ac propemodum depoſita & deſperata, cui *Halyc.ar. lib. 2.*
certus dari modus & medela nequit. Ita Carolum, Burgundiæ principem, in Cominco legimus, nonnunquam legatis ſuis libera mandata dediſſe, tradita charta vacua, ſubſcripto ſolùm *Com.com.lib.1.*
Caroli ducis nomine, ut quodcunq; in illa legatione apud Lu- 33
dovicum, regem Galliæ, uſu veniret, quòd è re videretur eſſe, agcretur. Qui legandi modus etiam hodie non eſt infrequens;
quemadmodum & olim apud Quirites, qui decem ſuis legatis 34
ad exercitum miſſis libera mandata more majorum dare ſoliti fuerunt, cujus rei Livius teſtis, & alii. His opponuntur illi, qui finita & certa mandata tanquam ſcopos & metas præfixas ante oculos habent, quos Formularios appellant, à forma certa 35
& inſtructione, ut vulgò nominant, cujus intra limites totius legationis cardo vertitur, quos ultra progredi formulario legato religio erit, ut infrà oſtendetur. Quod verò ad illos attinet, qui jure Pontificio vocantur legati à latere, legati nati, le- 36
gati miſſi, illi huc non pertinent: hi enim fiduciariam & vicariam pro Pontifice ſuo operam præbent; & omnem cùm dignitatem, tum officium, parteſq; ſui muneris non ex jure legati noſtri, ſed ex pontificia pragmatica, ut loquuntur, habent, illorumq; omnis poteſtas in commiſſis provinciis nõ ex jure gentium, ut noſtri, ſed ex diplomate Pontificio recipit legem, quæ nunc major, nunc minor. Id autem genus legatos volunt æquiparari proconſulibus, ſi Cardinales ſint, ut plerunq;; aut præ- 37
ſidibus provinciarum, ſi ſine galero purpureo. Hi juriſdictio- 38
nem ſuam non niſi in Archiepiſcopatibus & inſignioribus locis

c.1.de offic.leg. in Sext.

Tolof.ſyntagm. l.15 c.4.

Boër.de auct. mag.conſ.

c. statutum, de rescr. Sext.

cis exercent. In Gallia, illi non admittuntur in præjudicium juris regii, ut est in arrestis Gall. videre. Possunt tamen illi etiam ad functionem legati nostri adhiberi, & verè legati fieri, si so-
39 lenniter & justè mittantur. An verò Pontifex mittere possit, ut Pontifex & ecclesiastica persona, capite sequenti videbimus. Sed neq; hujus loci ille imperatoris est, qui nominatur in ll. sive Cæsaris legatus, qui magistratus erat, unde etiam & præses, & corrector provinciæ, & proprætor dictus, habebatq; officium precarium indutus, non modò militari habitu, sed etiam gladio cinctus, ita ut etiam militis plectendi jure frueretur. Neque ille, quem proconsulis legatum dixerunt. Nam & ille non modò jurisdictionem (quæ an propria ipsi fuerit, nec ne, plurimum contentionis in Jurisconsultorū scholis peperit, & quasi crucem aliquam ingeniis fixit) verùm etiam imperium exercuit. Sed & illud an fiduciariū fuerit, nec ne, in eandem disputationis serram incidit. At mihi Cassius videtur casses tam intricatæ rei expedire posse. Quid verò ille? Mutatam rationem hujus proconsularis administrationis esse docet, tum temporis, quando Octaviani Cæsaris imperio reipubl. status mutaretur. *Etsi enim*, inquit, *lictores proconsulibus, quot in urbe permissum erat legibus habere, etiam foris concederentur, etsi iidem imperii insignia statim atq; extra pomarium essent egressi, assumerent, & usq; ad reditum in urbem conservarent: tamen neq; militari habitu, neq; gladio uti poterant.* Sed ne longiùs extra apia evagemur, ad nostrum redimus, qui nullum alium quàm viatorium gladium gerit, expers, quâ legatus, omnis jurisdictionis, expers imperii, ita, ut ne in familiam quidem & comitatum aliter, quàm familiæ disciplina & correctio permittat, animadvertere possit.

l. 20. ff. de offic. præs.
Cass. lib. 53. hist. Rom.
ff. de off. procons. & leg. tit. 16. lib. 1. & C. eod.
Hotom. lib. 6. obs. c. 4.
Cuja. 7. obs. 21.
l. 13. & seq. de off. procons.
Hot. d. loc.
l. 5. §. 3. l. 6. ad l. Aq. l. 5. ff. de sic.

Cap.

CAP. III.

Quis mittere possit legatum?

SUMMARIA.

1 *Publicorum negotiorum administratio non est in privata manu.*
2 *Legatorum missiones concessa duntaxat illis, qui cum magistratu sunt.*
3 *Sed non omnibus magistratibus.*
4 *Majoribus duntaxat, & qui illi.*
5 *Respubl. libera qua.*
6 *Nemini subjectorum jus mittendi legatum.*
7 *Provinciales legati, propriè non sunt legati.*
8 *Qui sub veteri Romanorum Imperio legatum potuerint mittere.*
9 *Theodosius noluit amulo suo legationis jus concedere.*
10 *An Principes Germania habeant jus legationis.*
11 *Germania Principes liberi, pra omnibus aliorum regnorum principibus.*
12 *Repræsentant quisq; in principatu Imperatorem.*
13 *Principis titulo quid comprehensum.*
14 *Principes Germania legationis jus habent.*
15 *Carolus V. Imp. Germania Principes æquiparavit regibus.*
16 *Regalia ferè omnia habent, qua Reges.*
17 *Plus possunt in principatibus suis, quàm Rex Polonia in regno.*
18 *Imperatoris solius de totius Imperii rebus mittere.*
19 *Electoralis legatio ad Polonum qualis fuerit.*
20 *Bellum Vngaricum non est res imperii per se.*
21 *Principes inconsulto Imperatore de rebus imperii ad exteros non possunt mittere.*
22 *Principes Gallia non habent regalia.*
23 *Palatinorum in Polonia qua ratio.*

24 *Daniæ Rex solus mittere de regni sui negotiis potest.*
25 *Danici Episcopi damnati perduellionis, quòd jus legationis attrectâssent.*
26 *In Germania qui præter Principes possunt mittere.*
27 *Provincialibus in conventibus deputati, non legati.*
28 *In Conventibus Imperii itidem.*
29 *Exterorum verò legati ibidem.*
30 *Ecclesiastici, quatenus Clerici, non mittunt.*
31 *Quatenus verò Principes mittunt.*
32 *Olim, cùm Pontificatus merum sacerdotium, neq; Pontifex jus legationis habuit.*
33 *Aaron in veteri fœdere non misit, sed Moses & Iosua.*
34 *Aaroni thuribulum commissum, non caduceum.*
35 *Baculus Aaronis, & gladius Nimrodi una manu reguntur.*
36 *In Reformatis Ecclesiis Superintendentes & Episcopi jus legationis non habent.*
37 *An fœmina mittat.*
38 *Regulariter ea non mittit.*
39 *Moribus Gynecocratiæ mittit.*
40 *Non possunt mittere Reginæ, regum conjuges.*
41 *Etsi consultationibus publicis adhibeantur.*
42 *Etiam nuptæ possunt, sed quæ?*
43 *Isabella Castalonum Regina, quibus legibus nupserit Ferdinando Arragoni.*
44 *Maria, Rex Vngariæ.*
45 *Maria Anglica nupta Philippo Hispanorum Regi.*
46 *Viri Reginarum, quæ majestatis jura sibi in dote constituta reservant, instar privatorum.*
47 *An pupilli legatum mittant?*
48 *Veniam ætatis consecuti mittunt.*
49 *Electorum liberi primogeniti ex privilegio aureæ bullæ citiùs administrationi admoventur.*

50 Pro

50 *Pro impuberibus tutores etiam mittunt.*
51 *Senatus regni, tempore interregni.*
52 *Sede vacante, Cardinales.*
53 *Liberæ civitates jus legati habent.*
54 *Liberis verò subjecta non habent.*
55 *Neq; Academiæ privilegiatæ.*
56 *Nec Collegia & societates Hansaticæ.*
57 *Ordines possunt mittere, quorum magister, Princeps Imperii.*
58 *Non idem in aliis Ordinibus.*
59 *Neq; rebelles jus legationis habent.*
60 *In rebelles perpetua auctoritas domini.*
61 *Quod tenuit olim Dionysius adversus Syracusanos.*
62 *Contra Belgas tenuit itidem Hispanus.*
63 *Agrestium feciales potuere comprehendi.*
64 *Impropriè Sleidanus loquitur, quando rebellium colonorum legatos appellat, & Principum ad eosdem.*
65 *Legatio ad Antonium à Senatu facta, Ciceroni rectè appellatur Denunciatio.*
66 *Spartaci gladiatoris legationem non agnoscere voluêre Romani.*
67 *In Agraria seditione, legatus missus ad Senatum, in carcerem conjectus.*
68 *Rebellibus & seditiosis, ut maximè fide salvi conductus veniant, legationis securitas jure gentium non debetur.*
69 *Ambosiacæ conjurationis exemplum.*
70 *Multa ob salutem Reipublicæ facienda, quæ ob privatam rem non toleranda.*
71 *Rebelles non sunt in legitimo hostium numero, neq; cum illis gentium jus est.*
72 *Tacfarinas rebellis Tiberio, cujus legatio non accepta jure gentium.*
73 *Cum latronibus, prædonibus jura belli nulla.*
74 *A quibus, si missi veniant, jure gentium non sunt tuti.*

 75 La-

75 *Latronibus servari pacta non debent.*
76 *Hotomanus ab Alberico jure reprehensus.*
77 *Cæsaris insignis locus rectè explicatus.*
78 *Rudolphus I. prædonum jussu ad se missos transigendi ergò trucidavit.*
79 *Pyratæ & grassatores eodem numero, quos hodie* Freybeuter *appellant.*
80 *Proscripti & banniti, omnia jura & privilegia amittunt.*
81 *Ius legationis non retinent in imperio ex quo proscripti.*
82 *Apud exteros retinent.*
83 *An idem in excommunicatis?*
84 *Venetorum legationes eam ob causam rejectæ.*
85 *Concilii sententia de hæreticorum legatis non recipiendis.*
86 *Refutatur.*
87 *Religio non prohibet jus legationis.*
88 *Exempla ejus rei vetera & nova.*
89 *Moschovitæ habentur à Latina Ecclesia schismatici & hæretici.*
90 *Pontifex non rectè contra regis Galliæ Turcicam legationem se opposuit.*
91 *Pacis jura diversitate religionis non tolluntur.*
92 *Legationis jura inter protestantes & Catholicos.*
93 *Ineptiæ Theologorum, qui contra quædam loca scripturæ afferunt.*
94 *Cypriani Epistola de hæreticorum legatis non recipiendis rectè explicatur.*
95 *Privatæ hæreticorum literæ & nuncii possunt cohiberi.*
96 *Sardicensi Concilio quid respondendum.*

1 EX definitionis luce jam antea perspicuũ est, publico negotio expediendo legatum mitti: publicarum autem rerum clavus non est in ullius privati manu, sed uti clava in pugno Herculis, ita hac in administratione positus eorum, qui cum magi-

magiſtratu ſunt. Secus ſi fiat, ſacrilegii inſtar habebitur. Lega-
torum ergo miſſiones conceſſæ duntaxat illis, qui imperiorum 2
poteſtatem habent. Nolim autem magiſtratus omnes intelli-
gas, qui hoc nomine veniunt, ut & minoribus tributum hoc
jus arbitreris, qui in Romana republ. conſtituti, veluti præto-
res fuerunt, præfecti urbi, prætorio, præſides & alii: Summum
magiſtratum puta, qui publicam imperandi prohibendiq; po- *Bod. lib. 3. de*
teſtatem habet, qui unus ex ſeſe, non ex alterius nutu & pote- *rep. c. 6.*
ſtate dependet, qui nulli alii ſubjectus, nulli obnoxius ſuperio- *Steph. de juriſd. lib. 1. c. 1.*
ri, qui impedire illud poſſit. Ejuſmodi ſunt, quos principis no- 4
mine, quem, quòd caput & cauſa reliquorum magiſtratuum *Bald in c. un.*
ſit, magiſtratum dici vulgò nolunt, noſtra republ. generatim *de pac. jur. firm.*
complexus ſum, Imperator, Reges, & Reſpubl. quæ neminem, *Heig p. 2. q. 2. n. 9. diſp. 2. th. 1.*
ſecundum Deum, ſuperiorem Dominum agnoſcunt, quæ li- 5
beræ ſunt, & nemini fidelitatis ſacramento devinctæ. A Roma-
nis rem totam cognoſce, qui hoc jus ſoli uſurparunt, neq; ulli
civitati ſubjectæ, aut populo ſuis armis devicto, aut regioni in 6
provinciam redacto, conceſſerunt, neq; ulli inferiorum magi-
ſtratuum indulſerunt. Idem ex Achæorum repub. animadver-
tere licet. At quid illi? Cùm Lacedæmoniorum vires infregiſ-
ſent, ſibiq; eos ſubjeciſſent, jus legationis iiſdem denegarunt.
Quod cùm Appius, qui arbiter conſtitutus erat, autoritate
S. P. Q. R. reddere illis vellet, ſumma contentione reclama-
runt Achæi, legationis mittendæ jus ad Lacedæmonios non
redire poſſe, quorum domini ſuperiores ipſi facti eſſent, ſed
ſuum nunc illud eſſe. At, nónne ex provinciis legatorum con- 7
curſatio fermè quotidie inquis? Propriè legati illi non erant, *l. 5. 6. C. de leg.*
qui, ut ſuprà oſtenſum, tantùm officii gratiâ ire compelleban-
tur. Soli autem illi reges & populi, Roma prædominante, lega- 8
tionem mittere ritè poterant, qui populum Romanum non
agnoſcebant. Quales erant Perſæ & Parthi, Mithrydates, Car- *l. 17. ff. de legat.*
thagi-

l.4. C.de com m. thaginenſes & ſimiles. Quod populi Romani jus ad Imperato-
rem derivatum omne poſtea eſt, cùm ei, & in eum, omnis po-
l.1. ff.de conſtit. princ. teſtas tranſlata eſſet, Theodoſius eam ob cauſam Johanni ſuo
æmulo, qui contra ipſum Regis nomen in Occidente uſurpa-
verat, cùm regnum concedere nollet, neq; legationis mittendi
10 licentiam permiſit: Cumq; alter nihilominus mitteret, miſſos
Imperator cepit, captosq; cognita cauſa legationis, pœnis affe-
cit. Quid autem de principibus Germaniæ noſtræ dicemus,
quos in præfectorum & præſidum antiquorum, locum & jura
Henn.conſ.1. ſucceſſiſſe Dd. ſcribunt. Cùm enim ſuperiorem Imperatorem
Weſ.conſ.46. n.2. habeant & agnoſcant, cui ſacramento fidelitatis omnes devin-
Heig p.1.q.4. cti, videntur hac ratione jus legationis non habere. At longè
n.13.& ſeq. aliam rationem principum Germaniæ eſſe, qui liberrimi prin-
11 cipes, quàm omnium aliorum, qui ſub exteris imperiis & re-
gnis habentur, nemini incompertum eſt. Germaniæ conſtitu-
tio hoc fert, ut quiſq; principum in ſuo principatu idem poſſit,
12 quod imperator in toto, & unuſquiſq; in ſuo principatu impe-
ratoris radium, tanquam ſui ſolis pleniſſima imagine referat &
13 repræſentet. Hocq; in ſe titulus & dignitas principis continet,
Bald.proœm.ff. n.25. cui annexa omnia propemodum regalia, quę imperatoris olim
Weſ.conſ.27. ſolius in univerſo erant. Non minus itaq; principum Germa-
Schrad.de feu 2.p.9.§.11.ſect. niæ quiſq; ex ſuo principatu, in quo plenitudinē poteſtatis, ut
10.& ſeq. loquuntur, habet, emittere legatos ad alium principem poteſt,
de negotiis, quæ ad principatum proprium ſpectant, quàm
14 quiſpiam aliorum Regum de regni rebus. Nec abs re Caroli V.
15 Imp. ſententia illa fuit, cùm dicere ſolitus fuerit, ſe in aliis ſuis
16 regnis, mancipiis & ſervis: in Germania verò regibus imperi-
17 tare, cùm quâ jus principatuum, à regibus, imperii principes
nihil, aut parum diſtent, imò verò plus poteſtatis in territoriis
18 ſuis, & in parte imperii ſibi conceſſa, quàm ſummus principum
Schrad.p.10. ſect.7 n.33. to.2. in toto obtineant, & quàm vel Rex Poloniæ in univerſo re-
gno.

gno. Nec enim principes Germaniæ, quemadmodum olim Soc. ju. conf. 75.
præfecti prætorio & præsides, ut vicarii, jure alieno, sed ut per- Cram. lib. 2.
petui duces, territoria, dominii & successionis lege possident, Pol.
& proprio jure omnia agunt. Sed de parte dixi imperii, hoc est,
de principatu cujusq;. Nec enim de totius imperii rebus, aut 19
tanquam ex imperio toto emittere, quisquam principum po-
test; illud enim solius imperatoris est, sine cujus concessu ne-
mo reliquorum principum de summa rei legationem mittere
ad exteros poterit, cùm ille, ut caput & arx totius, summæ re-
rum præpositus. At superioribus annis ab Electoribus emissos 20
ad Polonum vidimus, de rei summæ causa, de auxilio belli Un-
garici sollicitando. Hic diversitatem rei perpensam velim. Bel- 21
lum Ungaricum imperii per se non est, sed regni ab imperio se-
parati. Neque imperator quoad titulum & dignitatem regis
Ungarorum, à Germania agnoscitur & colitur: neque causæ
Ungaricæ in comitiis cùm proponuntur, ut imperii, & ut pro-
priæ, sed ut sociæ & confœderatæ, pro quibus intercedere
apud exteros, legatione missa, cuivis amico & benè faventi re-
bus Ungariæ principi licet. Nec minùs tamen Electoralis illa
legatio, ipsius imperatoris & regis Ungariæ nutu & rogatu
missa fuit. Aliud verò est, si quis principum de negocio imperii
totius, vel ad regem Galliæ, vel Poloniæ, vel etiam ad Turcam
mittere velit, quod salva majestate fieri non posset. At nemo
prohibebitur de suis negotiis ex suo principatu, velut è libero
regno, quocunq; velit mittere, modò contra imperii salutem
& commodum (quod nunquam non præsumendum) nihil
committatur. In aliis regnis quoad principes non ita: in Gal-
lia, teste Bodino, minora regalia cùm ducibus, tum reliquis
principibus non conceduntur, adeò, ut Ludovicus XI. rex ne- 22
que tollerarit in Francisci, ducis Armeniorum, titulo illa ver-
ba, *Dei Gratia*, neq;, nisi quibusdam magni beneficii, loco ceræ

Bod.lib.1. de rep.n.172. flavæ ſigillum indulſerit, multò minùs legationis jus,cùm non
ut Germani principes,quoad regalium iſtorum uſurpationem
liberi,ſed ut privati,ſubjectiſſimi ſint,illis permiſſum.Palatino-
23 rum in Polonia eadem ratio,qui ad præſides Romanos veteres
24 propiùs accedunt. In regno Daniæ ſolius regis, omnium re-
galium uſurpatio, & legationis mittendæ poteſtas ſolius eſt.
Perduellionis eam ob cauſam damnatos à rege Chriſtiano III.
25 hujus, qui nunc feliciter imperat, avo, Epiſcopos iſtos accepi-
Chytr.in Chr. Sax. mus,qui inter alia legationis mittendæ jus injuſtè uſurpaſſent.
In Germania verò non ſolùm Principes, qui ſunt Archiduces,
Duces , Comites Palatini , Comites provinciales, Marchio-
26 nes, &c. ſed & his inferiores Comites illi,qui immediatè,ut lo-
quuntur, ab imperio regalia ſua & jus ſuperioritatis habent,
27 mittere legatum de publicis ſuis negotiis queunt, ad Princi-
Sichard.conſ.8. n.51. pes,& Comites alios, & ad quoſvis Status. Idem judicandum
Mod. Piſt q.70. n.4 vol.2. de civitatibus, quæ appellantur liberæ. Secus de illis, quæ ſub
dominio & ſubjectione Principum & Comitum conſtitutæ.
Schrad de feu. p.10.ſect.1. Ideoq; cùm ad provinciales conventus, ordines & civitates à
principibus vocantur, illæq; ſuos ſelectos viros mittunt, non
legatorum illi dignitate & jure,ſed deputatorum nomine mit-
tuntur.Idem de conventibus imperii ſtatuendum,qui Cæſaris
28 auctoritate convocantur, eò, qui principum nomine & miſſu
veniunt,vicarii & deputati,non verò legati habentur,cùm ac-
l.5.& 6.C.de legat. citum imperatoris ſequi cogantur. At ſi eodem vel à Moſcho-
viæ Duce, vel à Turcarum Principe, vel ab aliis externis Regi-
29 bus,quibus liberum eſt mittere, vel non mittere,miſſi veniant,
l.ult.ff.de legat. jure & honore legatorum erunt habendi. Quid verò de Eccle-
30 ſiaſticis? Quà Eccleſiaſtici, hoc eſt, Clerici ſunt, quorum non
c. un. de vaſall. milit. eſt ſecularia negotia & jura agitare,legationis jus, quod ex jure
gentium ac ſeculi eſt, & poteſtatem imperii obtinenti compe-
31 tit, habere omninò nequeunt. Verùm cùm hodie in imperio
Archie-

Archiepiscopi, Abbatesq; nonnulli non solùm Clerici sint, & Episcopalia jura teneant, sed etiam principes seculares simul habeantur, & omnia jura secularia juxta usurpent, constitutione imperii hoc ita ferente, legationis mittendæ jura pariter habent. Olim, cùm Pontificatus nihil aliud, quàm sacerdotium merum sine omni imperio esset, neque ipse Pontifex legatum mittere potuit. Uti neq; in antiqua Romanorum republ. Erga Pontificem quidem Opt. Max. magnus honor & reverentia in gentili illa religione fuit, sed nulla tamen summa reipublicæ jura aut regalia, ut hodie vocant, exercere ille potuit. Sic, cùm distincta officia Aaronis & Mosis in veteri fœderis gubernatione essent, illeq; sacerdos summus, hic gubernator summus reipublicæ haberetur: penes hunc omnia illa erant, quæ ad reipublicæ moderationem & jura civilia pertinebant: penes illum, quæ ad Ecclesiæ administrationem spectabant. Moses itaque legitur legatos misisse, ejusq; successor Josua, utpote princeps populi & secularis administrator. Aaron, cui thuribulum commandatum erat, jure Caducei abstinuit. Hodie verò, mutatis imperii temporibus, baculus Aaronis, & gladius Nimrodi una manu regitur, & hac parte clerici, illa seculares duces & principes sunt nostri Episcopi, & altero quidem pugno codicem, altero gladium tenent. Quo quidem habitu sese solenniter & magnificè ostentat Episcopus Herbipolitanus, more & exemplo ab antecessore Erlongo accepto, qui primus unà cum baculo pastorali ac Episcopalibus insignibus præferri sibi gladium jussit, ut se non modò Episcopum, verùm etiam Ducem & principem secularem declararet. In reductis ad Apostolicam imaginem Ecclesiis, Superintendentes in principatibus Germaniæ, & Episcopi in Dania, in Suecia, in Anglia, alibiq; sacri verbi antistites, cùm principum jura non habeant, legatum mittere nullũ possunt. Quid verò fœmina? Romanis legibus,

Henn. conf. 30. Gail. l. 1. obs. 30. Cuj. lib. 3. de feud.

32

Steph. de jurisd. lib. 4. c. 2. n. 11.

33

34

35

36

Brusch. de monast. Germ. c. 9 Münst. Cosmo. lib. 3. c. 386.

37

D 2 cùm

l. fœmina 2. ff. de reg. jur. cùm remota ab omnibus muneribus civilibus, & publicorum
officiorum administratione sit, quomodo mittere legationem
mulier possit? quomodo in Gallia per legem Salicam? cùm ab
38 omni gubernatione feudorum fœmina excludatur. Moribus
Bod. l. 6. c. 5. de repub. autem Gynæcocratiæ, ubi summam potestatem mulier tenet,
39 legationis jus mittendæ simul habet. Ita Elisabethę, reginę Angliæ, legatos ad illustrissimum principem Mauritium Landgravium superioribus annis emissos vidimus: & Irenes Constantinopolitanæ imperatricis legatum ad Carolum nostrum
Mut. & Sturc. in vit. Car. Magnum olim missum accepimus. Margaretam trium regnorum, Daniæ, Norvegiæ, & Sueciæ Semiramin, Reginamq; po-
40 tentissimam, variis legationibus ultrò citroq; missitandis oc-
Crantz. in Dan. cupatissimam fuisse legimus. Illæ verò non legatum, sed nuncium habent, quæ ex matrimonii radio reginæ & principes
sunt, ut maximè nonnunquam senatui & consultationibus
41 imperii, honoris ergò adhibeantur, uti fecisse Justinianum te-
Nov. 8. Taci. de morib. Germ. statur ipsius constitutio, & veteres Germanos. Aliter illæ, quæ
ex Gynęcocratiæ consuetudine his legibus viro nubunt, ut pe-
42 nes ipsas majestatis & imperii jura, non penes maritum, maneant. Quibus pactis conciliatas esse nuptias inter Isabellam,
43 Castulonum reginam, ac Ferdinandum, Arragonum regem,
Bod. l. 6. de rep. c. 5. testatur Bodinus. Et ita nupsisse Mariam, Ludovici Ungariæ &
Poloniæ regis filiam, Sigismundo, Bohemiæ regi ac imperato-
Zigler. in hist. illustr. virorum Germ. ri, cognoscimus: quæ monetam auream, hac sui nominis inscriptione, insignivit: Maria Rex Ungariæ. Ac patrum
44 nostrorum memoria his conditionibus in conjugium sese col-
45 locavit Philippi Hispanorum regis, Maria Anglorum regina,
ut jura majestatis, & quidem in solidum penes reginam essent,
neq; marito ex iis quicquam decerpere liceret, ne leges, edicta,
Bod. lib. 6. de rep. n. 738. rescripta, beneficia, nisi regina jubente, vim ullam haberent.
Quæ sibi hoc modo in matrimoniis ineundis prospiciunt, non
minùs

minùs legatum suo jure mittunt, quàm illæ, quæ extra tori vinculum, gynęcocratiam tenent, quarum viri, instar privatorum, 46
solùm nuncium: ipsæ verò jure majestatis legatum mittunt. Quid de pupillis & minoribus? Cùm id ætatis & intellectus sint, ut admoveri gubernaculis principatuum possint, quid ni 47
etiam legationem mittant? quæ sæpenumerò prudentiæ & consilii percipiendi, auxiliiq; quærendi gratiâ instituitur: quorum adminicula inprimis junioribus principibus necessaria. Minores itaq;, si vel veniā fuerint ætatis consecuti, ut olim illu- 48
strissimus Hessorū princeps Philippus, in quo admodum adolescente, incredibile & propè divinum heroicæ indolis judicium & consilium animadversum: vel ex certo privilegio, ut Electorum liberi primogeniti, ex lege Bullæ Aureæ, ante legiti- 49
mum annorum terminum gubernationem susceperint, legati mittendi jus illicò habebunt. Qui verò per ætatulam nondum intelligunt quid agant, quidvé videant, ignorant, quiq; reipublicæ attingere frenos, tanquam altioris Bucephali, nondum possunt, sed ad spem saltem imperii adolescunt, cùm majestatis & regni jura nondum nacti sint, quomodo legationem mittāt? Quis verò pro impuberibus mittet, regni gratia? Tutores, illique, quibus regni cura & administratio commendata. Ita fa- 50
ctum sub pueritia Henrici IV. imperatoris, qui ætatis anno quinto patri successit. Superior annorum nostrorum memoria idem nos docuit in regno Daniæ, cùm legationes hac illac miserint pro rege suo impubere Quatuorviri, quibus regis & regni cura erat commissa. Sic enim interregni tempore Senatui 51
regni idem jus quod regi: ut sede vacante idem jus Capitulo, quod Episcopo competit. Aliâs verò neq; Capitulum, superstite Episcopo, neque senatores incolumi rege jus mittendi le- 52
gatum habent. At liberas respublicas & civitates diximus ha- 53
bere. Quid verò illæ, quæ liberis subjectæ? Ut Patavium, &c.

Aur. B. tit. 7. de succeß. princip.

l. 1. C. de falſ. mon.

Lambert. in hiſt. Germ.

D 3 priva-

privatorum nomine habentur: & subjectis poterit omnibus,
54 si attentare jus legationis ad dominos suos velint, illud objici,
Liv. lib. 6. quod à Romanis audierunt illi apud Livium: *Facessant properè ex urbe ab ore atq; oculis populi Romani, ut nihil eos legationis jus externo, non civi, comparatum tegat.*
55 Quid verò Academiæ privilegiatæ, quibus mixtum (ut jura appellant) imperium concessum? Legatus Academiæ appellari nequit, cùm subditorum loco Academiæ omnes habeantur, non secus ac alia licita & privilegiata collegia & societates, ut sunt in littore Balthico, Hansaticarum urbium, quarũ quidem nonnullę, ut Lubeca, & aliæ, mittere legatum possunt, sed quâ liberæ, non quâ Hansaticæ. Nec enim societatis ac confœderationis ullius ea vis & potestas est, ut eos, qui subditi ac privati sunt, subditorum & privatorum numero atq; jure eximere possit. Quod tamen vulgò, nescio, quibus rationibus adducti, persuasum sibi nonnulli habent. Nec Hansaticam societatem quicquam ad consecutionem juris publici promovet, quòd Lubeca & Colonia, earum capita & coronæ, imperiales civitates habeantur, quæ illud, non ut Hansaticæ, sed ut imperii urbes liberæ obtinent. Socius autem socio, & collega collegæ suo eam, quam extra societatis collegium & commercium habet, conditionem & dignitatem affricare omninò nequit. Quid enim? An ob id regiam potestatem & excellentiam consecutos esse dicemus sexaginta viros Atheniensium, quorum in collegio Philippus, Macedoniæ rex, esse volebat? An verò poëtæ ex eo Cæsares facti, & imperatorium fastigium consecuti, quòd in poëtarum collegio Julius Cæsar Romæ versatus? Ridiculum verò illud est, quod quidam scripsit, ideò Hansaticis civitatibus jus indicendorum conventuum, & emittendarum legationum meritò competere, quia tam amplæ societatis negotia sine conventibus & legationibus expediri non possint. Quasi verò jura publica

auth. habita. C. ne fil. pro pat. Muscorn. de jurisd. n. 75. Treutl. vol. 1. disp. 3. th. 4. sub lit. G.

Athen. lib. 3. deipnos. Plut. in Iul. Cæs.

blica ex illis causis proficiscantur, quòd illa privatim necessaria huic vel illi civitati vel collegio sint, & non potiùs, velut omnia alia regalia, vel ex supremæ potestatis jure, vel ex ejusdem concessione & singulari gratia dependeant. At tanta, inquis, conventuum Hansaticorum dignitas, tantus splendor, ut non semel splendidissimis suis legationibus imperatores, reges & principes eos dignati sint. Quid tum verò? possunt regum ac principum splendidissimi non modò nuncii, de re privata, sed etiam legati de aliquo negotio publico ad privatos homines esse; quibus tamen ex eo nullum legationis mittendæ publicum jus exoritur. Quid enim? An non ipsius Cæsaris legatio, ad nobilitatem liberam Francicam & Suevicam multoties in Decretis Imperialibus iteratur? At illi quidem nuncii, legati verò publicè mittendi jura nulla vendicare sibi possunt. Aliud verò in Ordinibus, quorum magistri principibus imperii annumerantur, ut est Johannitarum & Teutonicorum Equitum 57
magister summus, qui, ut alii principes imperii mittere legatum potest. Reliqui non itidem, quamvis Generales, ut appel- 58
lant, suos habeant. Sed quid illi, qui rebelles vocantur, cùm 59
ejus esse non amplius subditi velint, quem contra insurrexerint, an legationis jure prohiberi possunt? Non injuria prohibentur, cùm principi in subditos suos, non secus ac in fugitivum servum domino, jus salvum perpetuò maneat & auctori- 60
tas. Eam ob causam in carcerem conjiciebat eos, qui ad se missi erant à Syracusanis, Dionysius, quòd rebellium disputaret, jus legationis non esse. Adversus Belgas, tanquam rebelles & se- 61
ditiosos ex eodem jure disputavit Hispanus. Et eo nomine ali- 62
quoties Philippus rex illorum legatos malè tractavit. Neq; ve- 63
rò quicquam contra jus & fas gentium commissum esset, si avorum nostrorum memoria rebellium colonorum feciales, & seditiosorum nuncii fuissent à principibus comprehensi,

Zas. in Epit. feud.
Henn cons. 3.
Sixt. de reg. li. 1. c. 5.
Plat. Ep. 7.

cùm

cùm propriè legati illorum non fuerint, neq; esse ullo jure potuerint. Vulgi autem more hanc rem tam accuratè non distin-
64 guentis, loquitur Sleidanus noster, cùm scribat, à principibus
ad turmas agrestium factiosorũ legatum missum, & ab iisdem
legatum remissum esse. Neq; enim inter rebelles & dominum,
cui rebellantur, legationis jus existit. Ideoq; Cicero missionem
illam senatus Romani ad Antonium seditiosè exercitum urbi
Cic. Phil. 7. admoventem, non *legationem*, sed *denunciationem* rectè appella-
65 vit. Neq; Spartaci, qui cùm servus esset, pro libero se gerebat,
l. 3. 5. 10 ff. de acq. vel am. do. assumptisq; hinc inde audacissimis gladiatoribus seditionem
66 in imperio movebat, agnoscere voluere Romani legatos, etsi
tribus cladibus exercitum populi oppressisset. Gravissimum
ejus rei exemplum, indeq; præclarum documentum, in Agra-
67 ria Romanæ plebis, quæ Fulvio Flacco, & L. Gracho, auctoribus incensa est seditione, Flacci filius, cùm quasi legatus ad senatum transigendi ergò mitteretur, comprehendi, & in carce-
68 rem compingi jussus est à Consule Opimio, non secus ac quispiam seditiosorũ alius: cùm legationis jure, quod rebelles habere nõ poterant, tutus esse nõ posset. Nec verò, etsi nonnunquã fides data ejusmodi hominibus missis sit, promissusq; salvus, ut appellant, conductus, legationis protectione, securitatẽ habere possunt. Quis enim illud in superioris seculi Ambosia-
69 ca conjuratione exemplũ nõ legit? Cùm deputati quidã mitte-
Warr. de leg. c. 7. & Hist. tum. Ambos. rentur, quib. fides data fuisse perhibebatur, suppliciũ de iisdẽ
strictò jure sumptũ est, ut maximè etiã hosti fidem servandam
70 integritatis priscæ & juris esse clamitetur. Siquidem multa sæpenumerò ob salutem reipubl. quę, ut decemvirales leges pręscribunt, summa lex est, facienda sunt, quæ ob privatum com-
71 modum non toleranda essent. Idq; tum justè, tum rectè fa-
Tac. An. 4. ctum esse intelligitur, quod ex publica utilitate, & imperii necessitate factum fuisse, probatur. Nec verò rebelles & factiosi

in

.n hostium numero & jure habendi, & ut cum illis gentium 72
us percolamus, legationemq; exerceamus. Eam ob causam
Tiberium imperatorem scribit, non aliâs magis sua populique *Idem An.3.*
contumelia Rom. indoluisse, quàm quòd Tacfarinas rebellis, 73
lesertor & prædo, hostium more ageret: cujus legatio non ju-
re gentium accepta: cùm ab eo missa, qui mittere non debe-
bat, à desertore & rebelli. Nam si hostis fuisset, cur legationis
nittendæ jus non habuisset, quod reliqui omnes populi Ro-
nani hostes habebant? At neq; cum prædonum latronumq; 74
nanipulis jura belli communicantur, à quibus si missi veniant, 75
ion ut legati, sed ut scelerũ administri & socii habentur. Quid
nim juris cum illis sit, qui omne humanitatis vinculum con-
ellunt, quibus etsi data fides est, etsi pacta cum illis inita, etsi
œdera icta, sine fraudis tamen & doli reprehensione, servari
a non posse contendit Bodinus. Hotomannum autem me- 76
itò arguit Gentilis, quòd jus gentium cum prædonibus & fu- *Bod.l.1. de rep. c.1.*
;itivis esse scripserit: quódve inde jus legationis datum præ-
lonibus fuisse existimarit, quòd Cæsar, cùm à Libone impe- *Cæs.lib.3.de bell.civ.*
rare non posset, ut liceret sibi legatos per ipsum mittere ad
'ompejum, exprobrarit hoc ipsum Pompejo, hisce verbis: *Non
cere civibus ad cives legatos mittere, cùm etiam fugitivis à saltu Py-
enæo, prædonibusq; licuisset.* Sed errant, qui ex hoc facto Pom- 77
eji, quod Cæsar ipsi exprobrat, jus aliquod constituant. Non
nim quid Pompejus fecerit, sed quid facere potuerit, & de-
ıuerit, intuendum. Cæsar id quidem factum esse affirmat, da-
um scilicet legationis jus prædonibus, sed jure datum esse non
fferit, potiùs factum Pompeji reprehendit, quòd, cùm acces-
ıs prædonibus concessus contra jus omne fuerit, suis legatis
undem non potuerit impetrare. Livius ejus rei arbiter, qui è
rædonibus missos, paciscendi gratia, supplicio affectos scri-
ıit. Et quid Tullius belli jura non posse intercedere cum istis, *Cic.lib.3. de off.*

E qui

78 qui ſunt omnium communes hoſtes. Ideoq; rectè hoc actum
à Rodolpho I. legimus, cùm Germaniam prædonibus, à qui-
bus altiſſima montium præſidia infeſſa id ætatis erant, purga-
rit, hinc atq; inde molitiones illorum deſtruxerit, quòd, cùm
tranſactionis ergò illi, qui Thuringiam fermè omnem infeſtam
latrociniis fecerant, aliquos mitterent, miſſos comprehende-
Chron. Thur. rit, pœnaq; affecerit. Huc pertinent pyratæ, pertinent ii, quos à
licentia, quam ſibi ipſi ſumunt prædandi, & quoſvis ſpoliandi,
79 graſſatores liberos, vulgò Freybeuter appellant, quorum cum
manipulis & turmis nihil humani juris commune Reſpubl.
habent, quorum nuncios interficere religio non eſt. Neq; enim
legationis jure, quod volunt, mittere poſſunt. Quid verò pro-
ſcripti, quos bannitos nuncupant? Cùm omnia privilegia &
80 jura dignitatum regaliaq; amittant, hoc etiam retinere in im-
perio, ex quo proſcripti ſunt, & in quo planè civiliter extincti
81 ſunt, nequeunt: adverſus exteros autem legationis mittendæ
82 jus, gentium jure ſervant. Chriſtiani Daniæ regis proſcripti &
exulis in Germania legatos, & ad Carolum imperatorem, & ad
plures imperii principes, ſeculi ſuperioris homines viderunt.
Sed & excommunicationis fulmine percuſſos, quoad hæc ju-
ra, mortuos eſſe volunt. Quid Venetis acciderit, cùm Julii
83 Pontificis telo verberati eſſent, Guicciardinus teſtatur, lega-
Guic. lib. 8. tionem illorum admittere plures recuſarunt. Quid verò regi
Galliæ Henrico IV. ſuperioribus annis contigerit, notiſſimum
84 eſt omnibus nationibus. Sic de hæreticorum legatis ſententia
ſevera conciliorum eſt, non recipiendis. Sed quid conſcientiæ
85 & fidei cauſa, quæ ſolius Dei eſt, hoc, quod ſeculi & gentium
eſt, jus labefactet & infringat? Altera inter homines & Deũ eſt:
hoc inter homines ſolùm conſiſtit. Neq; verò ſocietatis huma-
næ jura ob id diſſolvenda ſunt, quòd diverſa inter diverſos re-
ligio: An non Joſuam ad diverſiſſimæ religionis homines mi-
ſiſſe

isse legationem legimus? Salomon ad Tyri regem misit, qui
Iudaicæ fidei ignarus, & Domini hæreditarius populus, cujus 86
unquam populi legationem non admisit? Sed quid vetera lo-
quor? Veteramenta testimonio esse possunt, quæ in signum Iosf.9.
longissimæ peregrinationis, à peregrinæ fidei legatis callidè
Israëlitico duci allata. Ad Vandalos nō solùm corporū, sed etiā
animarū Christianarū hostes, ut eos appellat Imperator Africę, Cod.c.1.de praef.
quoties misisse Justinianum legimus, quoties eos ad eundem praet.
remisisse? Et quid, nónne inter Ottomanicos & Christianissi-
mum regem, inter Anglum, imò inter imperatorem Rom. im- Ser. in Ott.
perii legationes frequentantur omnium maximè? Persarum Mut. in Car.
legatio olim à Carolo Magno in Germaniæ medio honorificè
admissa & audita: & nunc non ita pridem, non solùm à poten-
tissimis Principibus Germaniæ splendidissimè excepta, sed et-
iam ab imperatore, & ab ipso pontifice honorificentissimè ha-
bita. Inter Græcam & Latinam Ecclesiam ab initio utriusque
semper schismata, semper hæreses. At legationis commercia
inter utramq; nunquam non exercita. Moschovitæ verò an 88
non hæretici, nónne schismatici ab Ecclesia Romana judican-
tur? At ipse Pontifex, quoties ad eorum Duces legatos suos
misit? Missus eodem Possevinus Papæ legatus, qui quid supe-
rioribus annis ibidem egerit, quid orarit, cui ignotum? Impe-
ratorias legationes, quemadmodum insignes memoria nostra
in Moschoviam fuerunt, omitto. Meritò itaque reprehensus 89
Pontifex, quòd contra Francisci regis Galliæ legatos ad portā
Ottomanicam missos disputarit, non potuisse ad hostem Ca-
tholicæ fidei à Christianissimo mitti. Nam qui ex majestatis jure
legationis mittendæ jus habet, ille potest jure gentium ad gen-
tes orbis terrarum omnes mittere, nihil omninò religionis di-
versitate prohibente. Missio enim, quę jure gentium fit, spectat
& considerat homines ex gentium jure, quâ homines tantùm

nobiscum sunt, non ex jure & more ullo regionis aut religio-
90 nis. Pacis jura religionis diversitate non tolluntur: multò minùs legationis mutuæ commercia fidei contrarietate abolentur.
91 Possunt itaque legationis jura inter Protestantes, ut nunc vocantur, qui contra pontificiam doctrinam protestati in comitiis imperii sunt, & inter Catholicos, possunt inter schismaticos hæreticos & orthodoxos consistere. Quod etiam fieri ultrò citroq; quotidie videmus. Inceptiunt autem isti theologastri, qui contra hoc politicum nonnulla ex sacra scriptura loca
92 adducunt: *Ne dixeris illis* Ave: item, *Egressi illorum civitatibus pulverem etiam pedibus vestris excutiatis, & similia:* quæ ad commercium hoc legationis & jura gentium interpellanda, non sunt alleganda, sed longè aliam mentem & sensum habent, qui
93 juri politicæ conversationis nihil detrahit, nihil adimit. Nec verò in Cypriani Epistolis, quas allegant, de hæreticorum legatis & literis non excipiendis, illud agitur, ut quæ mittantur de politicis imperiorum negotiis ex jure gentium legationes, aditu Orthodoxorum arceantur, si ab hæreticis missæ sint, sed hoc ut caveatur, ne hæreticorum lolia & zizania, per nuncios & per literas in Orthodoxorũ segetes inserantur & insinuentur; quod longè ab altero diversum est. Legationes admittere & emittere solenne juris sui habet, sitq; publicè, & publici ergò: hoc clanculum, & per nuncios & literas, privatim à pri-
94 vatis: quod eodem jure prohiberi potest, quo hæreticorum libri tolluntur, de qua re Imperatorum leges leguntur: Cùm librorum scriptiones & missiones illæ privatæ manus sint, quæ publica manu inhiberi queunt. Hac distinctione intellecta, intelligentur facilè alia etiam, in hunc sensum à patribus hinc inde scripta, quæ nihil omninò de legatione, quę ex jure gentium est, sed de missionibus privatis, hæreticorumq; nunciis & literis, quæ tanquam virus & contagium pestilens, ovili Christiano fu-

C. de hær. & Man.

no fugiendæ, loquuntur. Quod tamen nondum ab illis, qui ex professo hanc rem tractarunt, animadversum esse adverti. Sardicensi verò concilio, quòd legationibus hæreticorum usurpandis interdixisse volunt, hoc responsum velim, quod in omnium Jurisconsultorum ore frequentissimum est: legis animam rationem esse, eò verò magis concilii esse debere: Esse autem rationem, cur inter omnes gentes, qualiscunque fidei fuerint, legationes ab initio usq; rerumpublicarum celebratæ fuerint: Nullam esse, quâ id, quod juris gentium est, religionis diversitate inter mortales tollatur. Præterea autem, non posse illud, quod non solùm more gentium, sed & divinarum literarum approbatione stabiliatur, concilii ullius interdicto subverti, jam pridem omnium prudentium sententiis confirmatum est. Nolo itaq; facibus solem adjuvare, quod supervacui impendii & laboris esse Anacletus Pontifex scripsit. *C si omnia, c. 6. q. 1.*

CAP. IV.

Qui & quibus mittendi?

SUMMARIA.

1 *Legatus promiscuè non sumendus.*
2 *Legatus à legendò dictus Varroni.*
3 *Cyri in legato educando diligentia.*
4 *Apud Romanos penes senatum legati eligendi potestas.*
5 *Pulcherrimus eligendus.*
6 *Ratio delectus.*
7 *Pulchritudo duplex.*
8 *Legatus utramq; teneat.*
9 *Interna pulchritudo quæ?*
10 *Ciceronis, de Oratoris scientia, sententia.*
11 *Octaviani Magii de legati scientia opinio.*

12 *Magii sententia rejicitur in hodierno legato.*
13 *Ex perfectis legatus non potest haberi.*
14 *Nicephorus qualem legatum desideret.*
15 *Alberici Gentilis de re eadem sententia.*
16 *Perfectus legatus & ab Vtopia petendus, & eodem remittendus.*
17 *Legatus ex mediocribus qui?*
18 *Legatio pars politices, teste Platone.*
19 *Quis hodie vulgò habeatur politicus.*
20 *Hodiernus politicus, qui in vulgi oculis, irridendus.*
21 *Veri politici artes & peritia designantur.*
22 *Platonicus Philosophus quis ille sit, cujus gubernatione felices fore civitates dixit.*
23 *Legatus non tam scholasticas, quàm politicas & aulicas disciplinas calleat.*
24 *Magius quas artes legato imponat.*
25 *Aliter informandus literis, qui ad Reipubl. spem capessendæ educatur: aliter, qui ad scholam.*
26 *Qui de schola homines olim legati fuerint.*
27 *Mathematicæ & Musicæ artes nihil ad legationis partes faciunt.*
28 *Magnus Dux Holsatiæ in legationis oratione ob Astronomicas prædictiones à Polonis irrisus.*
29 *Legato quæ scientia necessaria inprimis.*
30 *Historiarum studium legato commendatur ante omnia.*
31 *Earum utilitas exponitur.*
32 *Non tam privati quàm juris publici cognitio necessaria legato.*
33 *Non solum literatos in schola, sed & illiteratos, tum politicos, tum legatos, esse posse.*
34 *Quibus usus & experientia loco scholæ fuit.*
35 *Qui sæpè scholastica doctrina excultos superant.*
36 *Exemplum Cominæi.*
37 *Cujusdam Germaniæ nobilis, Regis Daniæ ad Moscum legati.*

38 Bur-

38 *Burchardi de Cram proprincipis ad Lanum.*
39 *Illiterati in quibus negotiis mittendi.*
40 *Consalvus Magnus & Sphortia illiterati.*
41 *Sphortiæ apophtegma, quo ἀγραμματίαν suam excusabat.*
42 *De re militari satiùs Hannibalem, quàm Phormionem audire.*
43 *Legationis lux summa quæ?*
44 *Drancis oratio apud Virgilium contra Turnum, cur irrideatur.*
45 *Non ex unius negotii peritia judicandus quisquam esse idoneus ad omnia.*
46 *De rebus Ecclesiasticis missi olim patres.*
47 *De rebus, quæ legum decisiones flagitant, mittendi Iurisconsulti.*
48 *Prudentia legatorum lumen & oculus.*
49 *Prudentiæ spica ante annos non maturescit.*
50 *Legationis munus, quasi proprium senum, notatione Græcorum.*
51 *Consilium prudens, absolutè senile dicitur.*
52 *Major gravitas quæ legationi necessaria, & auctoritas in senibus.*
53 *Aristoteles quid reprehenderit in senili senatu Laconum.*
54 *Senectus & canities non tam annis, quàm animi maturitate æstimanda.*
55 *Legati possunt eligi, qui per legem ad Reip. munia venire possunt, & quomodo?*
56 *Iuvenum est peregrinari, tanquam patria careant.*
57 *Chalcidenses non nisi quinquagenarios legatos lege constituerunt.*
58 *Quadragenarius videtur legationi administrandæ longè aptior.*
59 *Minor etiam triginta annis, quando admittendus.*
60 *Herman. Vultejus ICtus, non multum ultra trigesimum ætatis annum in Daniam legatus.*
61 *Exempla eorum, qui ante justam ætatis metam ad consulatus dignitatem venerunt.*
62 *Scipionis elegans apophtegma de eadem re.*
63 *Turcarum princeps indignatus, cùm imberbes mitterentur.*

64 Ex

64 *Ex barba non æstimanda prudentia.*

65 *Romani imberbes quandoq; miserunt.*

66 *Guicciardinus admodum juvenis missus, & C. Valerius Petronianus, qui ἴνδεσμος cognominatus, & quare.*

67 *Excellentium ingeniorum exempla rara.*

68 *Seniores, si idoneorum copia, regulariter præferendi.*

69 *Minores quidem procuratores esse queunt, sed hoc argumentum nihil ad legationem.*

70 *Albericus ante annun trigesimum non admittit legatum, quod in eligentis arbitrio autor ponit.*

71 *Cum senioribus mittendi juniores, & quare.*

72 *Ejus rei exempla Romanorum, & recens, in Persica legatione.*

73 *Ad prudentiam reditio, quæ utplurimùm in naturæ bonitate & excellentia consistit.*

74 *Quid illa, quæ in legato requiritur, prudentia.*

75 *Eloquentia alterum ac proprium insigne ac instrumentum legati.*

76 *Legationis commercia omnia linguæ beneficio fiunt.*

77 *Schytarum Regis ad Darium legatio, quæ plus facti, quàm sermonis habuit.*

78 *Legationes quædam tantùm literis conficiuntur.*

79 *Cn. Popilii ad Antiochum legatio.*

80 *Absconditi thesauri nullus usus.*

81 *Eloquentes homines quasi hæreditariò legationis functionem possederunt.*

82 *Pyrrhi legatus Cyneas eloquentia quid perfecerit.*

83 *Diogenis, Critolai & Carneadis, trium Græciæ Philosophorum legatio ad Romanos.*

84 *Tullius cur legationibus adhibitus.*

85 *Homines Academici ad legationem admissi beneficio eloquentiæ.*

86 *Samiorum legati, quòd ineloquentes, irrisi.*

87 *Pulchritudo etiam corporis in legato legendo respicienda.*

88 Pul-

88 *Pulchritudo tacita quædam commendatio.*
89 *Elegantia corporis index elegantis animi.*
90 *Ob pulchritudinis admirationem populorum nonnulli sibi Regem constituerunt.*
91 *Pulchri legati ab ipsa natura videntur commendati.*
92 *Pulchtitudo legati non est muliebris nec meretricia venustas.*
93 *Sed illa virilis quæ Ciceroni, dignitas.*
94 *Quæ illa in legato esse, & qualis debeat.*
95 *Brevioris staturæ homunculi irrisionibus obvii, exemplo Leonis Byzantini.*
96 *Agesilaus Magnus ob parvitatem staturæ ludibrio.*
97 *Pygmæi & nani ad Homericas grues mittendi.*
98 *Cyclopum proceritas, legationis gratiam non habet.*
99 *Orator, Arator agnominatus quidam à Polonis.*
100 *Corporis gravedo hebetat sensum animi.*
101 *Gastrodes, ventriosi non eligendi.*
102 *Exemplum cujusdam professoris, qui plus in oratione stabat, quàm orabat.*
103 *Nec macilenti nimis, qui plerumq; Phtysici, quorum morbus totius corporis est.*
104 *Philetas soleis plumbeis usus est, ob levitatem corporis.*
105 *Stigmate naturæ notatos exhorremus.*
106 *Defectus naturales etiam in servis fugimus.*
107 *Non legendi legati, qui vitiis redhibitoriis ædil. edict. laborant.*
[1]08 *Stoici sola animi bona respiciunt.*
[1]09 *Cato Stoicus legatos vitiosos quo scommate prosecutus.*
[1]10 *Cicatricosus legatus ex Hispania à purpurato quodam Turcicæ aulæ irrisus.*
[11]1 *Hispani vexati talio.*
[11]2 *Dux magnus Holsatiæ, legatus apud Stephanum Poloniæ Regem qualis fuerit.*

113 *Qui ex veteribus præstantissimis Ducibus unoculi fuerint.*

114 *Legatus unoculus non mittendus, multò minùs cæcus.*

115 *Cæcus à prætore repellitur, ne postulet: potest tamen in senatu cum Appio sententiam dicere.*

116 *Legatus, si fieri possit, non Appius, sed Ianus sit & Argus.*

117 *Legatus non mittendus surdus & surdaster.*

118 *Legato auribus acutissimis opus.*

119 *Claudicare legatio non debet.*

120 *Vulcanus, quòd Claudus, cæli fabula & risus apud poëtas.*

121 *Claudus cum Claudio in senatum deferri boni consilii gratia potest.*

122 *Chalcidensium legatio, cur infelicis ominis existimata.*

123 *Miccion legationis Princeps podagricus lectica introlatus, ubi de podagra.*

124 *Naribus, auribus aut reliquis truncati eminentioribus membris non mittendi.*

125 *Mali ominis apud Romanos deformis occursus & nigri.*

126 *Principes proclives in suspicionem, deformium missionem malè interpretantur.*

127 *Angli summoperè formosis exteris, ad invidiam oblectantur.*

128 *Hieroym. Boesus Anglorum pulcherrimus à Regina ad Ducem Moschoviæ missus, & Gunterus Episc. Bambergensis formosissimus Germanorum.*

129 *Temperamentum cujusq; inprimis considerandum.*

130 *Heri in venalitiis servis idem spectârunt.*

131 *De melancholicis dubitatum, an redhiberi tanquam minus sanè potuerint.*

152 *Melancholia non unius generis.*

133 *Sanguinea melancholia optima.*

134 *Cholerica vehemens & ardens.*

135 *Phlegmatica pessima & asinina.*

136 Phle-

136 *Phlegmaticus non eligendus legatus.*
137 *Sanguineus, si haberi poterit, legendus.*
138 *Andreas Pauli, consiliarius Saxoniæ, lectissimum legati exemplar.*
139 *Felicis sanguinei temperamenti rara hodie sunt exempla.*
140 *Cholericus post sanguineum quærendus.*
141 *Extra hominem duo ornamenta generis & fortunæ.*
142 *Generis ornamentum nobilitas.*
143 *Definitio nobilitatis politica.*
144 *Nobilitas fons virtutis & seminarium omnium præcipuorum officialium.*
145 *Ex senatoribus lecti olim legati, & ex nobilissimis.*
146 *Ad Attalum & Philippum reges Romanorum qui legati missi.*
147 *Ex nobilitate etiam hodie legendi legati.*
148 *Nobilitatis ordo plebejo opponitur, & eo etiam illustres comprehenduntur.*
149 *Principibus gloriosum imperatoriis legationibus defungi.*
150 *A Carolo Magno Episcopus missus Ambiensis Constantinopolin, Irenem petitum imperatori in uxorem.*
151 *Imperatoris Valentiani Leo pontifex legatus.*
152 *Literata claritudo generis nobilitati æquiparatur.*
154 *Clarissimi eruditione viri, æquè ac genere nobilissimi legendi.*
155 *Literati quando adhibendi.*
156 *Virtute præditus ubivis terrarum nobilis.*
157 *Philosophi de schola homines legati Romam missi.*
158 *Nobilissimi appellantur.*
159 *Augerius Busbequius doctorum è numero Ferdinandi imperatoris Orator ad portam missus.*
160 *Sigismundi Imperatoris dictum de doctorum hominum precio.*
161 *Doctor Paeza imperatorius Orator.*
162 *Matthæus Langius Augustanus ex legato Cardinalis factus.*
163 *Honesti viri quisq; in suis rebus legationis munere fungi queunt.*

164 *Carolo Magno horologium à Persarum legatis donatum.*

165 *Etiam artifices memorabilium operum possunt dignè mitti, de negotiis certis.*

166 *Ludovicus Rex Galliæ XI. Olivarium Tonsorem misit in Burgundiam.*

167 *Quod pro contemptu exceptum à domo Burgundiaca, nec immeritò.*

168 *Personarum missiones, etsi liberi arbitrii & voluntatis, non tamen sint infra dignitatem legationis, ne indignitas personarum contemptum ferat.*

169 *Rex Daniæ canem pro vicario suo in regnum Noricum misit.*

170 *Contra decorum legationis missio non meretur nomen legationis.*

171 *Fullones, cerdones, institores, negotiatores, & omnis sordidorum officiorum fex, legationis muneri non adhibenda.*

172 *Nec servi & mancipia, neq; Iudæi, & à quibus illi missi.*

173 *Legationis missio est juris gentium: sed legatorum mittendorum electio jus civile respicit.*

174 *Hæretici & schismatici, etsi possint mittere, non possunt tamen mitti.*

175 *Ratio diversitatis.*

176 *Qui hæretici appellandi.*

177 *Pontificis declaratio in Imperio non valet.*

178 *Injuria fit illis, qui pro hæreticis diffamantur hodie, cùm sint approbatæ ab imperio religionis.*

179 *Protestantes non sunt hæretici in imperio, sed omnium dignitatum & munerum capaces.*

180 *Transitio ad fortunæ ornamenta.*

181 *Divitiæ bonum à malo non discernunt, sunt tamen instrumenta virtutis assequendæ.*

182 *Sine pecunia nihil magnum effici potest.*

184 Le-

184 *Legato legativum, hoc est, viaticum ex mittentis liberalitate largissimum sit, nihilq; ei desit.*
185 *Rei familiaris amplitudo plurimum ad auctoritatem facit.*
186 *Nobilior ille æstimatur, qui luculentioris facultatis.*
187 *Legati facultates cur inspicienda.*
188 *Paupertas neminem, si fidelis & diligens est, suspectum reddit.*
189 *Vulgò plus fidei locupletibus, quàm inopibus habetur.*
190 *Legationis negotium periculosum, & facilè suspicionibus obnoxium.*
191 *Cur locupleti legationis negotium magis credi debeat quàm inopi.*
192 *Divitiarum fiducia animosum facit.*
193 *Digni ob ingenii & eloquentia dona, etsi minoris rei, non sunt idcirco negligendi, sed publicis subsidiis juvandi.*
194 *Epaminonda angustiis publica ope succursum, & aliis Romanorum familiis: Aliud in debitore Imp. qui legatus esse nequit.*
195 *An fœmina fungi legationis munere possit.*
196 *Auctor negat, contra alios, fœminam mitti, etsi mittere possit.*
197 *Mittentis & mittendi diversum jus & ratio.*
198 *Mittens legationis mittenda jus, quoad jus gentium pertinet, jus imperii sui habet.*
199 *Ius imperii potest etiam fœmina habere, more Gynacocratiæ, & per id legationis mittenda.*
200 *Mittens à nemine: mittendus à mittentis nutu & mandato dependet.*
201 *Mittendum, potest lex rejicere, ne mittatur.*
202 *Missio legationis juris gentium est: Electio verò legatorum mittendorum juris civilis.*
203 *Exemplo Iudæi res pulchrè declarata.*
204 *Ius gentium non distinguit homines secundùm honoris & dignitatis gradum, sed jus civile.*
205 *Iudæus gentiũ & natura lege honestus: civili lege honorũ incapax.*

206 *Fœmina, quatenus potens est rerum imperii potest legatum mittere, hoc est, illud facere, quod est juris gentium: Fœmina auautem non potest mitti in legationem, hoc est, non potest facere quod jure civili, ob honestatem publicam & pudorem naturalem, prohibetur.*

207 *Fœminam pudor naturalis non sinit inter viros versari: multò minùs hinc inde per orbem vagari.*

208 *Ambubajæ quæ ignominiosè dictæ.*

209 *Venus in cochlea depicta, quid significet.*

210 *Fœmina rarissimè tecto egrediatur, instar testudinis, monitu ipsius naturæ.*

211 *Medeæ Euripedeæ consilium reprobatur.*

212 *Calfurnia improbissima fœmina appellatur, quòd in foro inverecundè versata.*

213 *Colloquia fœminarum cum alienis viris occasionem præbent stupris.*

214 *Mulier neq; postulare, neq; pro alio intervenire, neq; Procuratorem agere potest, multò minùs legatum.*

215 *Naturalis pudor ubivis gentium debet mulieribus dominari.*

216 *Natura fœminæ naturæ legationis contraria.*

217 *Mulieris consilium contra propria laborat commoda.*

218 *Fœmina ne in comitatu quidem viri legati esse debet.*

219 *Exempla muliebrium legationum, quæ vulgò allegantur ex veteribus.*

220 *Legationes propriè non sunt, sed deprecationes & supplicationes.*

221 *Qui de arte scribunt, ex arte debent scribere, neq; terminos confundere.*

222 *Veturiæ & Volumniæ missio non fuit publica auctoritate & mandato facta, idq; ostensum ex Livio.*

223 *Sine publica majestate & mandato legationis solenne non consistit.*

224 *Aliud est consilio publico fieri: aliud auctoritate & mandato publico.*

225 *Livii locus explicatur.*

226 *Alius deprecator, alius legatus & utriusq; jura diversa.*

227 *Supplicationibus & deprecationibus idoneè adhibentur fœminæ.*

228 *Legatus nunquam sese infra dignitatem publicæ suæ personæ abjicit: deprecator semper humilitatem sectatur privatam.*

229 *Pro Liberio Pontifice restituendo supplices fœminæ ad Constantinum Imp. missæ.*

230 *Vestalium intercessio pro sontibus Romana religione recepta, tanquam extrema necessitatis anchora.*

231 *Iulius Cæsar interventu Vestalis deprecationis à Sylla veniam consecutus.*

232 *Messalina Claudii ad idem asylon Vestalis intercessionis confugit.*

233 *Arabum reginæ ad Solomonem profectio, caruit legationis titulo.*

234 *Nemo suum mandatum ferre, aut suæ rei legationem aut procurationem agere potest.*

235 *Amore fœminarum cæcutiunt, qui legationem muliebrem defendunt.*

236 *Mulier Caliendrum & Calanticam gerat, sed non Caduceum.*

237 *Gratiosus legatus ante omnia legendus.*

238 *Gratia plus valet, quàm reliquus omnis in legato artium & eloquentiæ apparatus.*

239 *Gratia inter parentes & liberos, &c.*

240 *Gratia inter præceptorem & discipulos, &c.*

241 *Gratia inter commilitones, collactaneos, populares, &c.*

242 *Pomponius gratiosus Ciceroni condiscipulo.*

243 *Iohannes dux Megapolitanus Princeps literatissimus, viginti annos Parrisiis studuit.*

245 Gra-

245 *Gratia & amor inter Iohannem, Ducem Megapol. & Reges Massiliæ & Cypri, Comitemq; Hennebergensem condiscipulos.*

246 *Gratia inter similes ordine & statu.*

247 *Gratia veterum meritorum plerumq; solet dormire.*

248 *Iustinianus ad Regem Persiæ Cosroben Medicum cur miserit.*

249 *Rhodii ad Cassium præceptorem veterem ejus miserunt optimo successu.*

250 *Venulus apud Vergilium, cur ad Diomedem mittatur.*

251 *Patria charitas charitates omnium complectitur.*

252 *Gratiæ plurimum conciliat linguæ ejusdem commercium.*

253 *Legatus linguam ejus calleat gentis, ad quam mittitur, sitq; ibidem antè peregrinatus.*

254 *Peregrini nonnunquam mitti solent, ut gratiosior sit legatio.*

255 *Infestam personam mittere inconsultum, etsi Nestoris prudentiam habeat.*

256 *Demosthenes, quòd invisus Philippo, noluit ad illum legatione fungi.*

257 *Cicero noluit ad Antonium inimicum proficisci.*

258 *Carolus V. quid responderit Parisiis, prædicatori suarum laudum, à quo antea fuerat vituperatus.*

259 *Odia ob injurias Principum diu manent reposta.*

260 *Imprudentiæ suæ pœnas capitales luerunt multi legati, qui inimicum accesserunt.*

261 *Demades legatus Athenienſium, quare interfectus ab Antipatro Rege.*

262 *Pelopidas ad Alexandrum Pheræum missus suum inimicum, imprudentiæ pœnas dedit.*

263 *Tyranni & inimici domus non facilè ingredienda.*

264 *Qui, tanquam minus grati & accepti, non mittendi.*

265 *Bodinus non fuisset gratus in Germania Austriaca legatus, neq; in Saxonia, & quare.*

266 *Lipsius non esset gratus legatus in Westphalia.*
267 *Historici scriptores, qui de gentibus odiosa scripserunt, non mittendi.*
268 *Vera de Principibus scribere, odii præmium confert.*
269 *Sleidanus in odium multorum, ob veritatem scriptam, incidit.*
270 *Practici & advocati quò non mittendi.*
271 *Fridericus II. Daniæ Rex, literatorum amans, osor advocatorum & practicorum extremus.*
272 *Diversæ religionis sententia alieniorem affectum in multis parit.*
271 *Ἀντιπάθεια tacita quadam natura inter nonnullos, cujus ratio reddi nequit.*

NOn esse numero è promiscuo, neq; temerè quemvis è vulgi cœtu, & ex imi subselii viris, legationi obeundæ adhi- 1
endum, vel ipsa legati notatio, Varrone auctore, ostendit, qui
legendo legatum dictum esse docet, quod non, nisi lectos, 2
oc est, quemadmodum Maro canit, *delectos ordine ab omni*, tàm
rduo muneri præficerent. Delectus autem ille, non cœco arbitrio, non urna, ac sorte (quod in senatoriis ad Vespasianum np. missionibus, quæ tamen propriè legationes non erant, factum esse legimus) verùm diligentissima circumspectione, ac *Tacit. lib. 10.*
idicio perquàm accurato instituendus. Atq; utinā hîc Impetores, Reges, Principes, omnesq;, quibus legationis mittenæ jus concessum, exuscitari possint, ut quos secundum præriptum omnium, ab omni ævo virorum prudentum, & optiè constitutorum Imperiorum exemplo legere oporteat, eos l tam grave reipubl. munus eligant, Cyriq; omnium optimè prudentissimis politicis instituti Monarchæ, de legato acquindo institutum teneant. Quod verò illud? Cùm quantum hac re positum momenti esset, quod vulgò non advertunt, ploratissimum ille haberet, in aula sua à prima pueritia edu-

 cari

cari ac institui eum voluit, cui personam suam in functionibus legationum circumferendam, cui animum suum exponendum apud exteros daret. Sed cùm ille, quem Persa olim in arce sua erudiit, nunc arte sit nobis informandus, non tam ex Cyri regis educatione optabimus, quàm omnium ætatum præceptionibus excultum aptabimus aliquem hodiernis temporibus legatum. Romani, cùm omnes fermè reipublicæ partes benè & prudenter ordinârunt, tum hanc potissimùm de legato idoneo mittendo & eligendo curam, diligentissimo studio
4 sibi commendatam habuerunt. Ideoq; penes senatum uti mittendorum & excipiendorum, sic etiam eligendorum legatorum cura fuit, ne illi multitudinis judicio, quòd facilè decipit & decipitur, verùm prudentissimorum optimatum consensu eligerentur. Sed quemnám eligendum inprimis putabimus?
5 Omnium certè, quem habere poterimus, pulcherrimum, cùm nihil ad inflectendòs hominum sensus animosq; devinciendos, tam validum, tamq; efficax, quàm pulchritudo inveniatur. Nam ut Philosophus apud Laërtium loquitur, παντὸς ἐπιστολίου συστατικώτερον, omnibus literis ac epistolis commendatitiis gratiosior illa & potentior est. Unde τὸ καλὸν Græcis denominatum esse volunt, quod suapte natura animos possit καλεῖν καὶ κηλεῖν, &
Tiraq. leg. 2. Conn. n. 45. provocare & permulcere. Nullam verò ob causam aliam noster legatus foràs emittitur, quàm ut omnium hominum ora ac oculos in se convertat, flectatq;, quò velit, animos illorum, ad quos missus, quò facilius causam, cujus gratia missus est, obtinere possit. Cœci autem percunctationem esse Aristoteles pronunciavit, quærere, quî fiat, ut quæ pulchra sint, suapte indole moveant & alliciant. Verùm pulchritudo illa duplex est: alia corporis, alia animi: quantoq; animus corpore præstabilior, tantò illius pulchritudo divinior & amabilior, quàm hujus. Optandum autem est utramq; in legato nostro, quem eligimus,

gimus, concurrere; ut & corporis dote eximius, ac animi ornamentis præstantissimus inveniatur. Internæ verò pulchritudinis colorem primò omnium intueamur, qui in animi cultu consistit. At nihil magis illum excultum nobis dare poterit, quàm eruditio ac scientia, quæ tanquam nobilissimā aliquam gemmam, expolit eum, ac tenebras & caliginem omnem abstergit. Doctrinam itaq; in legato eligendo ante oculos inprimis habebimus. Sed quam? Illámne, quam Tullius in Oratore suo desiderat, rerum omnium exquisitissimam cognitionem? Idem quidem Octavianus Magius expetit, qui neminem, scribit in numero legatorum habendum, qui non sit omnibus iis artibus instructus, quæ liberales solent appellari. Quod Tullio quidem concedendum, in illo Oratore, quem ille potiùs ex idea artis perfectū fingit, quàm ut ostendat aliquem ejusmodi inveniendum: ita & Magio idem permittendum, ut ex perfectionis imagine optet potiùs aliquem, quàm ut ex omni ordine nobis demonstret, qui ita instructus esse queat. Verùm hoc loco ille, quem eligere velimus, nō ex perfectis, sed ex optimis, ut haberi in hominū numero possunt, desumendus erit, quem aliis præferamus, quemq; pulcherrimum esse efferamus. Illos itaq; velim cum meridiana Diogenis laterna, ab ortu ad occasum obambulare indagatum, an illum, quem tam perfectè instructum velint, ullibi locorum inter mortales offendere possint, ut, quemadmodum Nicephorus magnificè legatum proponit, adducere nobis eum queant, qui rerū omnium, omniū artium, omniumq; linguarum, & quidem omnium excellentem cognitionem habeat. Etsi enim Cereris lampadem accendas, quâ illa universum orbem perlustravit, cùm filiam amissam investigaret, æquè minùs tam perfectum ac absolutum omnibus numeris Oratorem, ac perditum illum Hylam, aut Osirim amissum invenies, quemadmodum in fabulis prædicatur,

Cic. de Or. lib. 1.
Mag. de leg. li. 1. c. 1.

11 12 13

14 tur. Ideoq; meritò hoc Albericus in erudito suo tractatu irri-
Alb.Gent.de leg.lib.3.c.1. det: *Turbida, inquit, & ridicula est hæc virium nostrarum elatio,
cùm si vel in triplum vita prorogetur, ne tum quidem nos rerum ple-
nam posse cognitionem adipisci, &c.* Quid verò attinet multa de
perfecto legato, qui haberi nequit, disputare? Nolumus quem-
15 piam ad civitatem Platonis, nolumus in Mori illam Utopiam
ablegare, ubi perfecti homines degunt, sed ad eos homines, qui
cum Terentiano illo fateantur, *nihil humani à se alienũ*, & quod
Imperator scripsisse legitur, *divinitatis potiùs esse, quàm humani-*
16 *tatis omnia scire.* Ex mediocribus itaq; optimus & pulcherrimus
nobis creandus, qui eas doctrinas calleat, quarum adminiculo
adjutus, legationis administrare provinciam quàm optimè
possit. At quis ille? Dicam uno verbo, quem quæramus: *Poli-
ticus esto.* Partem enim, & quidem præcipuam politices esse le-
Plat.in polit. gationem docet Plato. At quis ille politicus? Illéne, quem ho-
die vulgò nobis laudant, quem digito demonstrãt, aulicis mo-
ribus imbutum, & artibus callidis, qui, quod in comicis specta-
culis Gnathonum esse videmus, ad omnium nutus frontem
componere, omnibus arridere, gestibus peregrinis, crurumq;
flectionibus scitè uti, seria salesque tempori accommodare,
principum gratiam venari, hominum favores aucupari: qui
cum omnibus ludere, bibere, naso quemvis suspendere, dicte-
ria jacere, & in communis vitæ scena, quamvis, ut dicunt, per-
17 sonam aptè, hoc est, simulatè, ut ipsi interpretantur, agere no-
Iul.Bel.in Herm.pol. rit? His enim, si quem præditum moribus & ingenio vulgò vi-
dent, politicum egregium nuncupant: Mallem, per Deum im-
mortalem, quod apud Ecclesiasticum Sapientem est, aureo
torque potiùs, baccatoq; monili scrofam suam exornarent,
quàm politici nomen tam indigno titulo prostituerent: Mal-
lem inter famosas Thaidas castissimam Penelopen, quàm in
eo hominum genere politicum constituerent. At eo habitu
pleriq;

pleriq; videri politici hodie volunt, eamq; viri politici faciem
peregrinatores nostri Italici ac Gallici vulgò referunt. Sed ô
longissimè à veræ politicæ via ac ratione peregrinatos! Non
enim illæ artes, non illi mores sunt; quos Plato, & universa pru-
dentum corona politici viri esse prædicant? Quæ verò sunt? *Born. de pol. prud.*
Reipubl. tum pacis, tum belli tempore benè gubernandæ pru-
dentia, morum & legum civilium jurisq; publici gentium lo- 19
corumq; variorum cognitio; cum omnibus & singulis, domi
forisq; hominibus pacem, fidem, amicitiam, societatem, fœ-
dera, benevolentiam & jungendi & conservandi, virtutisque
colendæ scientia ac studium. Facessite verò inepti virorum po-
liticorum æstimatores, cum vestro isto gestuoso ludibrio, quod
etiam pueros politicos efficere vestros poterit, & hunc mihi
rectè contemplamini virum politicum, cujus doctrinam in
electione nostri legati intuebimur, internaque pulchritudine
ornatissimum esse prædicabimus, qui politicis illis tum scien-
tiis, tum virtutibus erit præditus. Hic est ille scilicet sapiens, 20
cui Plato commendatam reipublicæ proram & puppim vole-
bat, felicissimas fore civitates affirmans, quæ ab ejusmodi re-
gerentur. Cyclicas autem, quas nominant disciplinas, si affe-
rat, non rejicio, si non habeat, non admodum in legato desi-
dero. Satiùs illi erit scire, quid hominum circuli ferant, quid sa-
piant, quàm quid Archimedis in arena circuli sibi velint: Neq;
enim tam in pulvere Euclydeæ scholæ, aut in Peripato philo-
sophico, quàm in Catonis domo, ac in aulico senatu, curiæque
penetrali, veluti Papyrius alter, legatus educandus. Magius 21
vult suum legatũ omnibus Philosophiæ partibus instructum, *Octav. Mag. de leg. lib. 1. c. 1.*
Mathematicisq; scientiis imbutum, vult Astronomum & Geo-
metram, vult etiam Musicum, vult deniq; Poëtam esse: In li-
berali quidem ingenio studia ea omnia summoperè quidem
complectenda: verùm cùm vitę summa brevis, ut canit Hora-

tius, & ars longa ſit, ut teſtatur Galenus, ſufficiat legato noſtro
illas artes majori ſtudio perſequi, quibus ad legationis operam
ſuſcipiendam ante omnia opus. Nam & veterum, ut apud Gel-
22 lium legere eſt, ſententia fuit, ſobriè philoſophandum eſſe,
neque illum ingurgitandum ſcientiarum abyſſo, qui ad ſpem
reipubl. & ad aliquam ejus partem adminiſtrandam adoleſcat.
Etſi enim legationibus Philoſophorum nonnullos antiquitùs
23 adhibitos eſſe legamus, Menedorum, Xenocratem, Ariſtote-
lem, Critolaum, Theodorum, Carneadem, Diogenem, quo-
rum duo poſtremi homines de ſchola, cùm nullam ante à reip.
partem attigiſſent, perhibente Tullio, è ſchola ad hoc munus
24 egreſſi ſunt. Nihil tamen video, quod ad legationis munia ex
Mathematicis & Muſicis artibus afferre potuerint, niſi quis
idem fortè facere velit, quod Warſevicius ſcribit, Magnum
Holſatiæ Ducem, legatum apud regem Poloniæ Stephanum
feciſſe. Quid verò illud? Cùm ad perſequendum bellum con-
25 tra Baſilidem, Moſchoviæ tyrannum, & inter homines revera
baſiliſcum, cohortari Stephanum ille vellet, ex Aſtronomicis
addebat ſe certò ſcire conſtellationibus, Baſilidem illo anno
non ſuperſtitem manſurum, ſed Polonorum regis armis iri ſu-
peratum. Quod tanquam ineptè prolatum, à Polonis vehe-
menter irriſum fuit, cumq; politicum oratorem, & ſimul vati-
cinantem aſtronomum agere. Quas itaq;, ais, tuo legato ſcien-
26 tias inprimis proponis, quas imponis? Moralem & civilem
philoſophum exactè deſidero. Inprimis verò legatum velim
eſſe hiſtoriarum, tum veterum, tum recentiorum gnarum. Vi-
27 deor dixiſſe omnia, cùm hiſtoriarum ſtudium nominarim.
Quid enim erit, quod non inde peti poterit? Hinc non ſolùm
præterita, ſed & futura haberi queunt. Certiſſima omnium
actionum informatrix hiſtoria! quæ ex homine quaſi numen
aliquod ac Deum efficit, qui nō modò perſpicere, verùm etiam
pro-

Warſ. in orat. de leg.

prospicere ac prævidere pleraque rerum possit, cùm uno quasi momento, quicquid ab initio universitatis gestum, quicquid 28
benè dictum, quicquid sapienter, quicquid prudenter peractum, in conspectum illa magistra proponat. Historiæ itaq; in legati electione primas: Historiæ secundas: Historiæ tertias largiendas esse, nemo rerum intelligens inficiabitur. Quid enim, volumúsne legatum, regni, quò mittit, mores ac consuetudines, statum & statuta explorata habere? dabit historia: Volumus locorum, quæ transeunda sunt, cognitionem habere? dabit historia: Volumus priscas Regum & Principum genealogias, origines, incrementaq; familiarũ non ignorare? dabit historia: Summatim dicam? scholam omnis scientiæ legato necessariæ dabit historia. Hinc & publici juris peritiam, quæ 29
nullibi nunc rectiùs indaganda, quàm in historicis monumentis, percipiet, cujus ignarum esse legatum omninò nolim, cùm legationum potissimæ causæ, in publicis juris capitibus consistant, de fœderibus, de jure belli, de regnorum jure, de dominationis jure, & similibus, quorum gratia legationes frequentantur, quarumq; rerum uberior tractatio ex Jurisconsultorum & politicorum voluminibus accersenda. Etsi enim legatus noster causas privatorum neq; civiles, neq; criminales cognoscat, ad quem nihil omninò pertinet, quod de legato bellico, qui ducibus & imperatoribus ac proconsulibus adhærebat, proditum reliquit Vegetius, quodq; Imp. Constant. Æliano Proconsul. Africæ scripsit, contrà quam sensisse videtur peritissimus Waremundus. Attamen & Jurisconsultorum libri, qui privati juris cognitionem continent, quòd plurimum juri publico expediant, illudq; tanquam manus dextera adjuvent, non sunt politicæ eruditionis gloriam consectanti legato negligendi. Sed ne quis fortè existimet, me ita velle delectum meum instituere, ut tantùm Capitones ac Tuberones, qui & privati & publi-

Veg. lib. 2. c. 9.
l. un. C. de off. proconf. & leg.
War. lib. 1. de fœder. n. 127.

publici juris juxta periti ſint, ac eos, qui ætatē in otio literarum omnē confecerint, in oculis ferendos eſſe judicem: Eos etiam huc admiſſos velim, qui, etſi neque Latinis, neq; Græcis literis imbuti ſint, communi tamen ſenſu, quod magnum eſſe in ho-
Com. li. 4. com. mine, Cominæus ſcribit, judiciiq; quodam acumine ſingularis præ aliis polleant, remq; & negotium, cujus gratiâ legatio inſtituenda, ſi non lectione hiſtoricâ, aut acquiſita ſtudiis ſcien-
31 tiâ, tamen uſu & experientia, quæ omnium fideliſſima præceptrix ac magiſtra dicitur, perſpectum atque cognitum habeant. Quo genere multi olim fuerunt, & etiámnum in nobilitatis ordine ſunt, qui inſtructiſſima tum legali ſcientia, tum aliis artibus excultiſſima doctorum ingenia, admirabili judicandi dexteritate, agendiq; expedita felicitate longiſſimè ſuperant.
32 Quis majorum noſtrorum memoria in Burgundiacis ac Gallicis legationibus illo, quem modò nominavi, Cominæo il-
33 luſtrior fuit, quis majoribus negotiis, cauſarumq; graviorum momentis adhibitus, quis prudentior, quis illo celerior, quis acrior & felicior habitus? At illum ſine literis, ſine illis, quæ in ſchola traduntur, linguis, ſine artibus, quas Cyclopædia continet, ſine legalis Philoſophiæ ſcientia, ſolo uſu & experientia
Sleid. in qua vit. maximarum rerum, tam eximium evaſiſſe accepimus. In Dania, cùm admodum adoleſcens peregrinarer, memini quendam Germanum nobilem regis Friderici miſſu, Baſilidem Moſcoviæ ducem adire, qui equeſtri diſciplina, belliq; artibus eleganter inſtructus, & rerum communium gerendarum ſatis peritus erat, adeò verò literarum, & linguæ Latinæ ignarus, ut, cùm familiariter eo uterer, quando in eodem diverſorio uterq; hoſpitabamur, ex me percontaretur, quid inſtructio eſſet: Eſſe
34 enim inſtructionem expectandam, reſponſum ex aula fuerat. At idem non infeliciter apud Barbarum ſibi commiſſum negotium peregerat, cujus rationes intelligebat. Et neſcio quo

fato

fato & genio hoc fieri dicam, ut sæpenumerò illiterati politici
viris literatis, in multarum communis vitæ causarum consiliis
& actionibus, tum acriores, tum feliciores reperiantur. Non
ita pridem nobilissimum illum virum, in hac, ad Lanum, urbe
proprincipem Burchardum de Cram, amisimus, admodum se- 35
nem, quo vix alius in gravissimis negotiis transigendis exerci-
tatior & expeditior erat, nullis fermè literis, nullis linguis & ar-
tibus, quæ à magistris discuntur, institutus: prudentissimi ta-
men judicii & aciei, qua multis, etiam doctissimis antecelle-
bat. Quod si itaq; id genus negotia occurrant, quorum hi in-
telligentiam majorem habeant, qui indocti vulgò ideò vocan- 36
tur, quòd scholasticæ doctrinæ non vacaverint, meritò in ele-
ctione legatorum præferuntur. De rebus certè militaribus
præstiterit Consalvum, aut Sphortiam mittere, quorum uter- 37
que literarum ignari, Caroli nostri V. imperio, tum bellicis,
tum politicis artibus memoriam nominis consecuti immor-
talem. Sphortiam quidem, cùm neq; literas pingere nosset, di-
cere solitum accepimus: Non se potuisse, qua manu gladium 38
& pilum à teneris vibrare didicisset, eâdem & stylum tenere.
Præstiterit etiam Hannibalem de eadem causa potiùs audiri, 39
quàm Phormionem. Summa enim hæc legationis lux est, si
missi fuerint, qui non modò præclarissimè sentire ac dicere de 40
rebus, quarum gratia missi sunt, sed qui etiam agere easdem, si
opus sit, eodem spiritu possint. Drancis Virgiliani oratio, quam
de fortitudine Martia contra Turni timiditatem habebat, ob
am causam irridetur, quòd cùm ipse lepus esset, pulpamen-
am, quod dicitur, quæreret, cumq; fugacissimus, neque un- 41
uam hosti faciem obtulisset, de acie tamen & bellica virtute,
ti miq; robore ineptè garriret. Diligenti itaq; circumspectio-
opus est, ut pro cujusq; negotii momento idoneus legatus
gatur. Neq; enim, uti canit Maro, omnia possumus omnes,

neq;, qui in una legatione virum præstitit, præstare etiam in al-
42 tera poterit, neq; qui hujus & alterius negotii peritiam habet, illicò habebit etiam omnium aliarum rerum, Delphicusq;, uti Aristoteles loquitur, gladius erit. Notum est illud Imperatoris: *Non omnes ad omnia, sed certi per certa, vel meliores, vel deteriores inveniuntur.*

l.1.§ omnibus. C.de vet jur. enucl.

43 Veteres ob eam causam Theologos aliquoties missos ex Ecclesiasticis historiis cognoscimus, utpote Augustinum, Chrysostomum, Gregorium, cùm de negotiis Ecclesiæ agendum esset.
44 Ad negotia verò, quæ non nisi à legum peritis pertractari queunt, non alius, quàm Jurisconsultus, mittendus. Ita olim in Græciam Solonis leges allatum missi Posthumius, Albus, Sulpitius, Camerinus, & A. Manilius, quibus, ut rerum intelligentibus, etiã potestas novi juris condendi, cùm essent domum reversi, à populo fuit concessa. Eumq; ad modum de rebus aliis alii, qui peritiam earũ ante alios habebunt & prudentiam. Hæc enim veluti primaria internæ pulchritu-
45 dinis in legato gemma est, imò verò lumen ac oculus, quo si quis destituatur, non minùs quàm Homericus ille Cyclops, undiquaq; in tenebras & erroris caliginem irruet. Cæterùm prudentiæ, ut ita dicam, fructuosissima spica, cùm ante annos, uti dicitur, rarissimè maturescat, maturiorem ætatem in legendo legato inprimis considerandam esse admonemur. Nec verò ad alios quàm ad senes, tanquam horum munus proprium,
47 legationis administrationem pertinere, Græci innuerunt, cùm πρεσβύτας legatos appellarint, non aliter, quàm Romani etiam suos senatores à senio, & senatum Lacones γερουσίαν nominârunt, quòd in eum ordinem non nisi majores natu legerentur. Prudentiæ siquidem mater & adjutrix est experientia, quam senes multorum observato curriculo temporum, plurimarumq; re-
48 rum exemplis, comprobatam sibi habere possunt. Unde etiam prudens consilium, absolutè senile appellatur: Juvenilia verò

consi-

consilia etiam in stultitiæ proverbium abierunt. Accedit præterea gravitas, gravitatisq; assecla, comesq; auctoritas, sine qua 49
legationis splendor & intuitus vilescit, quæ in canitie & senectute magis quàm in juventute relucet. Neq; enim abs re est *Tull.d.lib.*
illud Virgilii, dum canit:

——— ———Si gravitate virum quem *Verg. Æn.1.*
Conspexêre, silent, arrectisq; auribus astant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Verùm hìc cavendum, ne quod Aristoteles in Lacedæmoniorum senili senatu reprehendit, illud ipsum in legatorũ senum 50
electione animadverti possit. At quid illud? Lacones corporis senectutem magis, mentisq; canitiem, quàm animi maturitatem, mentisq; senilem prudentiam intuebantur. Absit à delectu nostro senex repuerascens, delirus, mente & consilio vacillans, acie hebescens; neque enim senem cùm deposcimus, depontanum aliquem & emeritum intelligimus, quemq; legis *Arist.de rep.*
civilis faventia omnibus oneribus ac muneribus publicis liberat, ut ultima vitæ suæ tempora sibi impertiat, domiq; tanquã 51 *Plin.lib.Ep.3.*
in vado & portu maneat. Senem hìc juniori & imperfectiori opponimus, cujus etiámnũ vigor ac ætas rebus gerendis aptissima. Neq; verò adeò dubitatur de eo, quin cooptari in hanc classem, & ad legationis munus vocari possit, quem civilis juris providentia ad reipublicæ munia capessenda, honoresque admittit, id quod ante vigesimum quintum ætatis annum fieri 52
non potuisse Ulpianus scribit. Ab eo termino posse quidem legatum legi (invitus autem nemo ante id ætatis ad personalia munera vocari potest: sed optimè legi illum intelligendum est, qui inter illos provectioris ætatis erit majoris usus & experientiæ, qui multùm diuq; Juvenis cum Ulysse peregrinatus, *l.8.ff.de muner. & honor.* *l.3.C.qui ætate.*

Multorum mores hominum conspexit & urbes.

Peregrinationisque suæ fructum aliquem, prudentiam nimi-

rum, retulit. Eam enim ob caussam Apollonius dicebat, adole-
53 scenti convenire, tanquam si patria pulsus esset, quàm longissi-
Her. in pol. Philost. 1. de vit. Apoll. mas in oras diutiùs peregrinari. Chalcidensium autem lege,
quam Heraclides in Politiis recenset, nolumus senem nostrum
54 metiri, qui infra quinquagenarii spacium constitutos, legatio-
nis administrandæ delectu excludebant. Quadragenarium
55 enim non video, cur non sæpenumerò præferre aliis possimus,
Soph. in Elect. qui quasi ἐν ἀκμῇ ἀλκείας καὶ ἔργων, ut Sophocles loquitur, versatur,
quiq; sustinere & laborem profectionis, itinerisq; nauseam ac
molestiam majoribus viribus tolerare possit. Neq; minorem
annis triginta cur negligamus, ratio est, si cætera senilis pru-
56 dentiæ & gravitatis instrumenta non deerunt. Id enim ætatis
complures hoc munus obiisse laude cum maxima, & antiqui,
& nostri temporis exempla dari queant perplurima. Et non-
dum, ut opinor, multum ultra triginta annos, si non infra, eras,
Hermanne Vultej, Jurisconsulte clarissime (te enim honoris
57 & amoris ergò compellari à me, in testimoniū hujus rei, aman-
ter & libenter sinas) cùm à principe Wilhelmo, laudatissimæ
memoriæ, Landgravio Hassiæ, quem Sapientem appellant,
gravissimi negotii gratiâ ad Fridericum II. Daniæ regem mit-
terêre, cùm id temporis & quadragenariorū, & quinquagena-
riorum, qui ætate potuissent anteire, abundè in aula & comi-
tatu principis esset. Sed non tam annis & canis, quàm annosa
prudentia, & cana rerum intelligentia, legendi legati persona
æstimanda, cùm etiam plerumq; juvenes sint ingenio perspi-
l. præcipiet 38. ff. de ad. ed. l. 5. C. de off. rect. prov. catiore, quàm senes. Quis autē ætatis modulo Scipionem æsti-
met, & imberbem rejiciat, quis Octavium adolescentem, quis
Pompejum illum ante annos Magnū, quis Corvinum, aliosq;,
qui ob præcocem & celerem prudentiæ maturitatem, consi-
Cic. Phil. 5. liiq; senilis magnitudinem, rerumq; maximarum administra-
tionem, non expectato ætatis justæ & legibus præscripto ter-
mino,

mino, consulatus fastigium ingressi sunt. Hac itaq; indole, hoc ingenio, & felicitate naturæ adolescentes si quos habebimus, ac privilegio quasi quodã naturæ donatos, legationis obeundæ muneri præficere ante ætatis metam meritò possumus. Indignum enim est, uti prudenter Scipio apud Liviũ adolescens exclamat, ab egregia indole annorum progressum exspectare. 59
Nam ut ingeniosissimus poëta canit:

Ingenium cœleste suis velocibus annis
Prodit, & ingratæ fert malè damna moræ.

Barbari verò judicium illud fuit, quòd, cùm ad Turcarũ principem, imberbes adolescentes ex Gallia ævo patrum nostrorum missi essent, in contemptum sui & contumeliam illud fieri interpretatus tyrannus fuerit, plurimumq; ob illud stomachatus: prudentiæ contrà plus quàm senilis illud, quod legatorum alter indignanti intrepidè respondit: *Non esse ex barba virum, neq; ex piloso mento mentem hominis judicandam, fore alioquin, ut cùm barbatiores hirci sint, meliores etiam & prudentiores hominibus censerentur.* Facetè quidem, sed verè, &, quod res ipsa est, responsum. Nam & Romani, qui legationis mittendæ arbitri circumspectissimi erant, nónne adolescentes misisse leguntur? Qui illi, qui ad Jugurtham ibant? Imberbes profectò erant.

Franc. Weyer. de leg. c. 2. 60 61 62

63 Ad regem Arragoniæ, Guicciardinum, historicum id ætatis absolutissimum, missum accepimus, cùm nondum quidem ætatis majoris esset, prudentiæ verò maturæ, & ante annum senilis. Et cui incognitus C. Valerius Petronianus, qui antequam vigesimum tertium expleverat ætatis annum, quinquies legationis munere perfunctus esse prædicatur, & juris & medicinæ, politicæq; prudentiæ callentissimus; quiq; εὔδρομος eam ob causam honorificè cognominatus, quòd brevi multa studia felicissimis stadiis percurrisset. Sed cùm perrara hæc excellentissimorum ingeniorum exempla sint, res ea non tam regula,

Alc. in Orat. 64

quàm exceptione, ut loquuntur in ſcholis, finienda. Neq; enim
de iis, quæ non ἐπὶ τὸ πλεῖστον ut ex Theophr. loquitur Jurecon-
l.3.ff.de leg. ſultus Pomponius, certa jura conſtitui oportet. Ideoq; ſi habe-
65 ri poſſunt ſeniores, graves, prudentes, rerum intelligentes eli-
gi ac præferri eos, magis ad majeſtatem legationis conferet. Et-
ſi autem procuratores ad negotia privata admitti etiam mino-
66 res poſſint: Ad hanc tamen tam ſplendidam & arduam publi-
l.1.ff.de poſtul. cæ legationis functionem regulariter, ut loquuntur, omnes
impuberes, pupilli, qui quod agant, non videant, non intelli-
l.1.C.de falſ. mon. gant, omnes, qui etſi grandes natu ſint, mentis & prudentiæ
tamē defectu laborant, communiq; ſenſu deſtituuntur, etiam
l.18 ff.de aquir. poſſeſſ. illi, qui, ut Celſus loquitur, in conſpectu inumbratæ quietis
ſunt poſiti, non admittantur. Ac quod ad majores quidem at-
tinet, non facilè admittendos vulgò volunt: qua etiam ſenten-
67 tia Albericum eſſe video, qui nondum trigeſimū exceſſerint.
Verùm malim hoc in eligentis judicio & prudentia poſitum
eſſe. Illud tamē perquàm conſultum videtur, ſi nonnunquam
cum ſenioribus juniores emittantur, ut ætatis utriuſque quaſi
68 temperamentum quoddam, in uno legationis, veluti quodam
corpore, exiſtat. Ita enim ſenum prudentia & experientia con-
ſilium juvenile concoquet, ardoremq; nimium præcipitis ſen-
tentiæ mitigabit: Senis verò frigiditatem juventæ calor, & ſi
69 fortè nimis trepidus & meticuloſus ille fuerit, quod ſenibus af-
Ariſt. in probl. fine eſſe teſtatur Ariſtoteles, hic exſuſcitabit langueſcentem, &
in vires revocabit. Hoc jugo & copula miſſi olim à Quiritibus
plurimi miſſi à Græcis: Miſſos hoc exemplo illos ſuperioribus
annis ex Perſia in Germaniam vidimus. Seniori, gravi & vultu
& pectore adhærebat junior quidam, ſuprà nominatus, natio-
ne Anglus, vir nondum ætatis, ut videbatur, mediæ. Quam
70 quidem diſparis ætatis, paris tamen officii & honoris in legatis
Brun. leg. 2. de legat. c. 6. conjunctionem maximè etiam probat Brunus. Sed ad pruden-
tiam

tiam redeamus, cujus rationem in legendo legato habendam esse inprimis nemo non intelligit: illius autem non tam in præceptis & regulis, quàm in solertia & naturali sagacitate præcipua vis posita; adjuvari tamen plurimum exemplorum & historiarum magisterio potest. Sæpè quidem tantam nonnullis promptitudinem ac ingenii solertiam naturâ insitam esse comperimus, ut cùm ad agendum aliquid sese inclinaverint, non secus agant, ac si per omnem ætatem unicè ejus rei incudem tududerint, nihilq; aliud egerint, & quasi nati fuerint ad hoc unicè agendum. Quòd si itaq; ejus, quæ in legato requiritur prudentiæ (quam cum Cicerone & Platone dicimus scien- 71
tiam opportunitatis esse, idoneorum ad agendum temporum, & causam, ut rectè & commodè ac apposité agantur omnia) tanquam radii quidam in aliquo eluxerint, præferri meritò in electione ille debet. Cæterùm prudentiam illam comitabitur virtutum reliquarum corona, fides, temperantia, & fortitudo, veritas, integritas, de quibus singulis, quales in legato esse oporteat, infrà suo loco disseremus uberiùs. Nam & hæc ad internæ, quam suprà nominavimus, pulchritudinis ornamenta atq; decora pertinent: Pertinet eodem eloquendi suavitate condita gravitas, quæ tanquam alterum legati proprium instrumentum ac insigne est, quod maximè omnium in sensus 72
hominum incurrit, & admirationem ac nomen oratoris legato conciliat, qua qui destituitur, æquè minùs persungi legati partibus potest, ac navis remi expers navigare. Cùm hoc, quod inter homines legationis commercium exercetur, disertæ lin- 73
guæ beneficio potissimùm celebretur. Rarissimus enim ille legationis usus, qui apud Herodotum describitur, cùm Scytha- Her. lib. 4.
rum Rex ad Darium caduceatorem miserit, cum ave, mure, 74
rana, & quinq; sagittis, mandato adjecto, ut si regi obtulisset illa, celerrimè rediret. Etsi neq; planè mutam illam legationem

fuisse

fuisse oportuit: sed sermonem præcessisse, ut quò, qui, & unde veniat, cujus nomine munera illa offerat, legatus exposuerit. Hoc enim solùm interdictum erat, ne interpretatio, quid dona
75 significarent, adderetur. Sicuti neq; illi elingues omninò venire possunt, quorum legationis munus omne literis duntaxat exhibendis perficitur. Cujus rei exemplum apud Livium exstat in C. Popilio, qui, postquam adveniens à rege Antiocho exciperetur, ac dexterâ porrectâ, salutaretur, literas ei Romanas illicò tradit, easq; ut primùm omnium legat, jubet. Quibus perlectis, cùm se Antiochus cum suis deliberare velle, quid facto opus sit, affirmaret: Popilius bacillo, quem manu tenebat,
76 Regem circumscribens: Hîc, inquit, delibera. Cui dicto cùm paruisset Antiochus, legatio illa confestim confecta fuit. Plus quidem in hac legatione facti, quàm verbi, sine sermonis tamen commercio haberi non potuit. Tam necessaria autem legato eloquentia est, ut totus etiam reliquus cultus & fulgor, scientiæ, eruditionis & prudentiæ, obscurus sit, & quasi in ci-
80 neribus sopitus jaceat, nisi eloquentiæ luce illustretur. Ut enim nullus absconditi thesauri usus est: ita neq; profundissimæ rerum omnium cognitionis, nisi, tanquam proma, eloquentia accesserit. Hinc Cicero: *Copiosè,* inquit, *eloqui, & prudenter, melius*
81 *lius est, quàm acutissimè sine eloquentia cogitare.* Hoc itaque dono præditi, propè hæreditariam possessionem in legationis functione & dignitate defixam, non solùm in Romanorum republica & Græcorum; verùm etiam apud omnes alias peregri-
82 nas gentes habuisse animadvertuntur. Pyrrhi legatus, quanta eloquentia Cyneas prædicatur, cujus oratione se plures peperisse urbes, quàm armorum contentione, Rex ipse fassus est. Quid verò, nónne totam urbem senatumq; Romanum commotum esse legimus, cùm ex Græcia tres illi eloquentissimi legati; nobilissimi Philosophi, Carneades ex Academia; Dioge-
nes

Liv. lib. 45.

Appian. de bel. Syriac.

nes ex Stoa, Critolaus ex Peripato, Romam veniſſent? Et Tul- *Gell. lib. 7. c. 14.*
lius noſter à ſenatu omniū digniſſimus legationis muneribus 84
obeundis judicatus. Vidêre ſuperiora ſecula legatos, Bartolū,
*Æneam Sylvium, Jaſonem, Budæum, Hermolaum, & ex Germania Capnionem ad Pontificem, aliosq; complures è ſchola
egreſſos homines, quos ſola eloquentiæ cōmendatio aliis prę- 85
tulit, & ad legationis provinciam extulit. Tantum itaq; eloquentia in hoc delectu ſibi vendicat, ut & irriſos & contem- 86
ptos Samiorum legatos legamus, quòd eorum oratio nullum florem, nullam lucem attuliſſet. Sed qualis oratio legati eſſe debeat, poſtea videbimus: Nunc ab interna animi pulchritudine ad externam corporis tranſeamus. Altera quidem nobilior, ſed hæc conſpectior, & ad favorem, ad amorem & gra- 87
tiam promerendam proclivior, ideoq; non minima felicitatis
pars in ea collocata, quæ reliqua omnia etiam animi dona illuſtriora efficit, ſecundum illud noſtri Maronis: *Tiraq. lib. leg. 2. connub. n. 47.*

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Perſuaſum enim non ſolùm vulgo, ſed & prudentibus eſt, in 89
elegantis corporis domicilio habitare ſimul animum elegantem, at contra ſub deformi vultu latitare plerunque aliquem Therſitem; ſummumq; illum architectum generoſis & excelſis mentibus hoſpitia præclariora conſtituere, haud ſecus ac comitiales metatores videmus inſigniora civitatis palatia & pulchriora tecta regibus ac principibus deſignaſſe. Hinc factum, ut etiam inventi inter mortales populi ſint, qui corporis flori & formoſitati tantum tribuerint, ut tum divitiis, tum ge-
neris antiquitati ac nobilitati eam prætulerint, regemq; ſibi le- 90
gerint, quem pulchritudine ſuperare alios omnes contuerentur. Cùm itaq; nemo non legatum ſuum commendatiſſimum exteris velit eſſe, providendum certè erit, ut non animi ſolùm, *Strab. lib. 16. Diod. lib. 17.*
ſed & corporis pulchritudine, tanquā ab ipſa natura commen- 91

datus, mittatur. Sed nolim quispiam ejusmodi pulchritudi-
nem hîc cogitet, quâ Phrynem commovisse universum judi-
Plut. in v. Hyp. cum suorum Senatum dicitur. Aut quam apud Homerum
Fab. lib. 2. c. 16. nostrum in Helena conspecta Priamus ille senior, totusq; re-
giorum procerũ consessus vehementissimè admirantur. Non
92 illam muliebrem, quam hodie calamistratos adolescentes, ve-
rè semiviros, cinninnis, pigmento & cerussa lomentoq; mulie-
Cic. de off. lib. 2. bri imitari turpiter videmus, quæ, uti Cicero distinguit, in ve-
nustate constituitur. Sed alteram illam virilem, quæ in dignita-
93 te posita est, quærimus. Cùm pulchritudo autem in εὐαξία καὶ με-
Arist. lib. 1. de poët. c. 7. γέθει consistat, legatus legendus erit statura & proceritate sani
corporis, toti membrorum reliquorum integrorum harmo-
94 niæ conveniente, eaq; vultus dignitate, ut simul gravitatem &
comitatem florido & jucundo quodam coloris temperamen-
95 to referat. Brevioris staturæ homunculos, etsi, ut de Mariano
Sylv. Epist. 92. JCto Sylv. loquitur, preciosiora sint interdum parvi corporis
vascula, vulgò tamen irridere solent. Accidisse hoc Leoni By-
Plut. in polit. zantino Plutarchus commemorat, qui tamen egregio dicterio
96 contemptum sui vindicavit. Accidisse itidem Agesilao, qui
Magnus cognominabatur, quem, quòd perbrevis esset, Ægy-
Idem in v. Agesil. ptii illudebant. Risus in Cardinalium conventu, ob eandem
causam obortus esse legitur. Nam cùm Jacobus de Castello
Bononiensis JCtus ad Bonifacium P.P. missus, & de rebus gra-
vissimis stans peroraret: Pontifex, cùm admodum pusilla sta-
tura, velut Zachæus ille Evangelicus esset, ratus hominem ge-
nibus flexis verba facere, erigi & assurgere eum jussit, idq; re-
Ioh. And. pro-œm. sext. Decr. fert Joh. Andr. qui se illud vidisse dicit. At consultius ejusmodi
homuncionibus esset sedere potiùs, quàm stare, secundum il-
lud Nasonis consilium, quod pusillis amatoribus suadet:

Si brevis es sedeas, ne stans videare sedere.

Nanos autem & pygmæos, nemo, qui magnus apud exteros
esse

eſſe expetit, oratores, niſi ad Homerica gruum certamina ab- 97
legabit. Sed & illi abſint, qui nimiæ & Cyclopicæ proceritatis,
quos caligas Maximini, joco caſtrenſi appellabant, ne homi- 98
nem magis, quàm coloſſum miſiſſe videaris, néve aratorem 99
potiùs, quàm oratorem, quo dicterio eluſum eſſe quendam,
qui ad Stephanum, Poloniæ regem, miſſus erat, ſcribit Warſe- *Warſ.d.Orat.*
vicius. Compertum præterea eſt, rariſſimè ingenio pollere eos, 100
qui nimia corporis mole graventur. Quo argumento neque 101
ventrioſi Gaſtrodes, qui tanquam tricorpores Geryones ince-
dunt, mittendi, de quibus illud Satyricum dici poſſit:

Pinguis æqualiculus protenſo ſextipede exſtat.

Qui vel ob eam cauſam non idonei, quòd ſine crebris anhela-
tionibus eloqui nihil poſſint, qualem elegante illo dramate,
quod Rebecca inſcripſit, expreſſit Friſchlinus. Quod quàm
moleſtum ſuperbis auribus ſit, expertus ipſe in quodam Pro- 102
feſſore, homine alioquin doctiſſimo, fui, qui plus in prælectio-
nibus flabat, quàm orabat, dixiſſes Vulcanium aliquem follem
in pectore fuiſſe ejus poſitum. At nec macilenti nimis, ſatis 103
apti, etſi in ſicca anima prudentia habitare dicatur, quòd iti-
nerum moleſtiis illi non facilè ſint ferendis, æſtuq; laboris ci- 104
tiùs excoquantur, qualem Philetam quendam virum doctum
apud Ælianum legimus, qui tam gracili & levi corpore fuiſſe *Ælian. in var. hiſt.*
memoratur, ut neceſſe habuerit, ne venti violentia, inſtar pa-
learum, abriperetur, ſoleis ſuis plumbum ſubdere. Sunt id ge-
nus homines plerunq; phtyſici, totiuſq; corporis morbo labo-
rant, atq; ea re etiam parum idonei. Nec mittendi, qui inſigni *L.1.§.7.ff. ad ædil. ed.*
corporis aliquo nævo ac vitio, ſive illud à natura, ſive infortu-
nii caſu illatum. Nam à natura, quaſi ſtigmate, ſignatis abhor- 105
rere omnes naturâ ſolemus. Et obvium illicò in ejuſmodi illud
eſt: Caveantur, quos Jupiter ipſe notavit: In ſervis etiam &
mancipiis noſtris defectus notabiles damnamus, unde præto- 106

ff. ad edil. edict. ris edictum redhibitorium introductum, cujus censurâ hoc lo-
107 co adhibitâ, legatum legi expediet, ne derisionē & cahinnum,
quos honoris & dignitatis gratiâ emissos velis, tibi reportent.
E Stoicorum censu Catonem fuisse accepimus, qui sola animi
108 ornamenta & bona pro veris habebant, cætera verò ne nomi-
ne quidem bonorum digna judicabant. At idem deformita-
tem in legatis, sua ætate à senatu missis, animadversam scom-
mate & joco prosecutus esse legitur. Cùm enim pacis ergò in-
ter Nicomedem & Prusiam faciendæ missi essent, quorum al-
109 ter lapide quondam petitus, cicatricosam frontem ostende-
bat, alter pedibus laborabat, tertius verò ingenio planè socor-
de erat, festivè ille: *Legationem*, inquit, *populus Romanus mittit,*
quæ neq; caput, neq; pedes, neq; cor habet. Similem ob nævum acce-
110 pti in facie vulneris irrisum in aula Turcica quendam Hispa-
Warsf. de orat. de legat. niensem legatum testatur Warsevicius, qui tamen omnium
ingeniosissimè sese vindicavit, scommati scommate, & morsu
morsui repenso. Nam à quodam Bassa interrogatus: Dees-
séntne ipsius domino homines alii, quos sine cicatricibus vul-
nerumq; nævis ad Imperatorem mittere potuisset? *Hominum,*
111 inquit, *nobis abundè est, sed ob eam causam, cum nota hujus vulneris,*
quod non aversa, sed adversa parte accepi, accessi, ut nostræ de vobis ad
Naupactum victoriæ testimonium ob oculos offerrem, in qua pugna &
tu debuisses interfici, nisi pedibus tibi consuluisses. Idem auctor in re-
112 gis sui Stephani palatio risum scribit excitasse, Magnum illum
ducem Friderici regis Daniæ fratrem, quòd & unoculus & di-
stortus: *Legatum, quasi aliquod monstrum* (verbis auctoris utor)
gestu & oratione exhibuisset. Etsi autem fortissimos quosdam
Plut. in vit. Sertorii. Duces & Heroas, apud Plutarchum legamus, in illum casum
113 incidisse, ut altero oculo capti fuerint, quemadmodum Philip-
114 po, Alexandri Magni parenti, Hannibali, Antigono, Sertorio,
alisq; accidit: Legationis tamen lumen hoc vitio obscurari
non

non oportet. Multò verò minùs eligendi cœci, qui utrisq; lu- 115
minibus orbati, quos etiam prætoria festuca, ut Gellius loqui- *Vlpian.l.1.§.1. ff.de post.*
tur, à foro suo, ne postulent, repellit, etsi Appii sint, & publicis
consiliis intersint, inque senatu sententias dicant: etsi Nicasii
sint, & doctissimi habeantur, ac jura interpretentur, æquita-
temq; omnem ingenii acie perspiciant: etsi Dydimi, qui alios
docere cunctas artes linguasq; possint. Oculos suos habeat il- 116
lustris legatio, ac si fieri possit Janus mihi biceps legatus sit, qui
non solùm antè, sed & retrò videat, ne fortè, ut cum Satyrico *Iuv.in Satyr.*
loquar, ciconia à tergo pinsat: Nam ut maximè totus oculeus,
ut Plautus ait, instar Argi illius fabulosi fuerit, non satis tamen
sibi providere ab aularum decipulis ac foveis poterit. Habeat
præterea legatio suas aures, quibus non solùm in Mydæ regia, 117
sed in omnibus aulis & palatiis longè acutissimis opus. Procul
itaq; à delectu nostro surdus & surdaster esto. Optandum si-
quidem legato esset, ut, quod de famæ domo poëtæ fingunt, 118
cùm ejus ita fabrefactos esse parietes prędicent, ut ab omnibus *Ovid.met.9.*
orbis partibus, quicquid soni mittatur, referant: Ita auriculas
ille compositas haberet, quas nihil eorum, quæ ad legationis
institutæ vel minimam partem pertinebunt, prætereat, nihil
fugiat. Claudicare autem legatione dici joco possit, aut sine pe-
dibus esse, ex Catonis illo dicterio, claudum domi manere ju-
bebis, etsi à Laconicæ militiæ delectu claudus ille rejici ob id 119
nolebat, quòd se diceret venisse, ut pugnaret, non ut fugeret. *Plut.in Apoph.*
Vulcanum claudicantē inter cœlites fabulā risumq; esse, poë- 120
tę etiā commentati sunt. Ob id nolumus illum huc, intra exte- *Hom.Iliad.1.*
rorū palatia admittere, etsi cum Claudio illo claudo lectica, o- 121
ptimi cōsilii ergò, in curia deferri possit. Notata ideò apud Li- *Liv.lib.43.*
viū Chalcidensiū legatio, utpote malis ominibus & incōmodè 122
nimis instituta, quòd, qui caput legationis erat, cum pedibus
laboraret, lectica illatus esset: *Chalcidensium*, inquit, *legatio, ipso*

123 *introitu, ob id, quod Micon Princeps eorum pedibus captus, lectica est introlatus, ultimæ necessitatis exemplo visa est.* Eodem podagricum referas, qui etsi inducias doloris sui habeat, innectere tamen non modò legationis, sed & negotiorum cursum tædiosa mora multoties poterit, quando podagræ, tanquam malæ hospitæ, recursus quotidie metuendus. Ultrò autem excusabit se, & in lectulo remanebit, qui ita hujus morbi compedibus constrictus erit, ut rebus propriis intercessum commodare non possit, uti Impp. Dioclet. & Maxim. verba sunt. Pauci enim, ut arbitror, reperientur, qui posthabita valetudinis suæ ratione, cum Sulpitio, ægri & infirmi, legationis molestias suscipere gestiant. Neq; legationi illud ipsum consultum. At nec eum, qui vel naribus mutilatis, quo vitio etiam nefas in Valachia Principem eligi, vel auribus, glorioso etiam Martis vulnere amissis,

l. podagra, C. qui morb. o.

Warf. d. Orat.

124 aliísve membris eminentioribus, truncatus sit, quod tamen virtutis in sese monimentum ac honestamentum corporis Philippus Macedo solebat appellare, emitti suadet. Videtur enim, nescio quid deformitatis ac horroris ipsa legatio ex deformitate legati trahere? Et quis ignorat etiam ominis sinistri, & singularis infortunii apud veteres Romanos, superstitione gentili laborantes, habitum fuisse, si quis in occursum deformis, nigroq; vultu hominis manè egredientis venisset. In legati siquidem persona regis, & principis majestas, qui misit hominem, agnosci & repræsentari peregrinis videtur. Quocirca regalem præ se ferat oportet, dignitatem ac decorem, cui personã tuam pro majore tui existimatione gestandam dederis. Quin etiam

Gell. lib. 2. c. 27.

125

126 in despectum sui interpretantur exterorũ principes, quorum animus suapte indole suspicioni plurimæ obnoxius, si Thersites, si Mopsos, si fungos, si blennos, si Capitones, si Labeones, si luscos, si Strabones, Nasones, & id genus informes homines ad sese missos conspexerint. Neq; verò barbari tantùm, ut Aristoteles

Com. lib. 2.

teles scriptum reliquit, faciei pulchritudine oblectantur, sed etiam cultiores terrarum omnium populi. In Angliam nõ nisi pulcherrimos aspectu mitti debere, & proceros, suadet Warsevicius, qui plurimos ætatis annos variarum gentium legationibus adhibitus, quò quisq; mittendus, optimè calluit, testatus, formosis exteris visis, Anglos in admirationem rapi, & dolere simul ex sua gente illos non esse. Ac eodem quidem corporis habitu & filo in Moschoviam legatum, missum esse à regina Elisabetha, tum insignem nobili corporis proceritate, & ea aspectus præstantia, quæ simul vigorem & comitatẽ ostenderit, Hieronymum Boësum, equitem Anglicanum, ut ipse unus, in tanta regni pulcherrimorum hominum copia legari præ cæteris meruerit, scribit Gentilis. Mirum est, si non tam pulchro Anglo per tot exteras, & maxima ex parte barbaras nationes idem contigerit, quod Germano principi Gunthero, Episcopo Bambergensi, in Palestina lustratione obvenisse, omnium formosissimo id ætatis scribit Lambertus Schaffnaburgensis. Quid verò illud? *Tanta statura ac formæ elegantia, natus Guntherus, ex primis Palatii* (verba auctoris refero) *privatis possessionibus præter Episcopatum affluentissimus, lingua promptus, & consilio, literis eruditus tam divinis, quàm humanis, totiusq; corporis integritate ita cæteris eminens mortalibus, ut in illo Hierosolymitano itinere ex urbibus & agris spectandi ejus studio profluerent, & benè secum actum crederet, cui eum videre contigisset. Unde cùm positis eis in diversorio, plerumq; turba intemperans, propter eum nimis molesta foret, compulsus est aliquoties à cæteris Episcopis, ut in publicum procederet, & obsidentem foris multitudinem suo spectaculo à cæterorum vexatione avocaret.* Sed non tam color & oris externus aspectus, cum vulgo isto, quàm amabilitas, ac totius corporis crasis & temperamentum, à quo omnis indolis ac morum, totiusq; naturæ in homine, ut ita dicam, filum ac habitus dependet, conside-

Arist. lib. 4. pol. 127

Warsc. d. Orat.

Gent. lib. 3. c. 3. de legat.

Lamb. in hist. Germ. sub An. 1065.

ſiderandum. Id quod etiam in venalitiis mancipiis veteres he-
130 roes diligenter inſpexiſſe, ædilitii edicti proviſiones teſtantur.
l.1.de adil.ed. Nam & melancholicum ſervum, ſi quis emiſſet, dubitatum
131 fuiſſe liquet, an redhiberi, tanquã minùs ſanus, potuerit. Quid
l.2.l.4.ff.de ed. edict. nos de melancholico aliquo legato? Aptúmne muneri dicemus? Minimè: etſi non unius generis eſſe melancholiam do-
132 ceant cum Philoſophis medici, tribus enim reliquis humori-
For.obſ.lib.19. bus, ſanguini, bili, ac phlegmati, melancholicus ſuccus, tanquam ardelio, adhæreſcit, & quaſi communis ſocia omnibus
133 nubit ac applicat ſe, inſtar Polypi, ad cujuſq; naturam. In ſanguine moderatior eſt, quam idcirco Plato vehementer commendat, neminem aſſerens ſine illa (quatenus ſine morbo eſt)
134 ingenioſum reperiri. Bili conjuncta celeriores, ardentiores, vehementioresque motus, & verè Martium ſpiritum exuſcitat, flammasq; bilis & acrimoniam impellit, adeò, ut ſi nimias ſibi habenas ſumpſerit, in rabiem quandoq; & furorem exurgat. In
135 phlegmate planè contraria, tarda, iners, veternoſa, & propemodum ſemimortua, quam eam ob cauſam melancholiã aſininã appellant, quòd hoc animal maximè huic ſit obnoxium. Ex quo genere legatum legi noſtrum, idem eſſet, ac ſi focum in
136 gelu poneres: Nihil in eo ingenii, nihil animi, nihil amœnitatis, nihil gratiæ haberes: aſino chordam, quàm huic negotii tanti curam commendare malis: Sanguineum itaq; elige, ſi habere poteris, quem tum vultus gratia, tum morum lepor, tum
137 innata quędam amabilitas & humanitas, tum ingenii felicitas, tum verborum ſuavitas, geſtusq; urbanitas non omnibus non commendatiſſimum reddere poterit. Quibus naturæ donis in
138 Electorali Saxoniæ aula conſiliarium & legatum poſt illos Platonicæ Ideæ perfectos, perfectiſſimum, ad admirationẽ omnium, floruiſſe Andream Paulum, ex nobiliſſimo viro Eberhardo à Weihe, Haſſiaco conſiliario & Cancellario Schaumburgenſi,

genſi, aliquoties me in comitio Ratiſbonenſi audire memini. Quod ſi tam felicis temperamenti, quod nunc ſeculi perrarum eſſe perhibent doctores phyſici, inveniri quiſpiam nequit, cholericum (quem Ceriola reliquis etiam præfert) non 139
minore cum laude habebis, vegetum, celerem, conſilii promptum, expeditum, & ad omnem negotiorum aleam paratum. *Cerio'. in tract. de conſil.*
Sed tantum de utraque pulchritudine, cujus in delectu rationem habendam diximus, ſufficiat monuiſſe: verùm extra hominem etiam poſita quædam ornamenta ſunt, quæ electores non ſolùm legatorum, ſed omnium fermè munerum & dignitatum diſpenſatores, non quidem, ut præ ſuperioribus debebat fieri, per nubes & per tranſennam, ſed ambabus pupillis defixis, intueri ſolent. At illa in duplici diſcrimine habentur, 140
generis & fortunæ. Generis ornamentum, εὐγένεια ab Ariſtotele 141
appellatur, Latinis nobilitas, quam nõ ex philoſophicis diſputationibus, ſed ut nunc eſt, in Chriſtiani orbis imperiis, more ac 142
conſuetudine noſtri ævi conſideramus & definimus, ſanguinis 143
ac familiæ per antiquam ſeriem continuatam, politicoq; inſigni honeſtatum, ordineq; diſtinctum, hæreditarium decus & gloriam. Ex illo itaque ordine, tanquam ex fonte virtutis (ita enim nobilitas comparata eſſe debet) ad omnia præclariora 144
officia ac munera eligi dignos viros antiquiſſimi in optimè conſtitutis rebuſpublicis inſtituti & moris fuit. Eam ob cau- 145
ſam ex ſenatoria claſſe lectos à Romanis legatos legimus, in qua nobilitatis priſcæ flos reſidebat. Teſtis paſſim Livius, qui *Liv. lib. 10.*
nobiliſſimos quoſq; legatos miſſos ſcribit, & exempla illud clarius oſtendunt. Ad Attalum & Philippum reges, illuſtres fuere 146
legationes. Ad alterum miſſi quinq;, quorum unus ſecundùm conſul, alter prætorius, tertius ædilitius, poſtremi duo Quæſtores, homines nobiliſſimi omnes. Ad alterum ex nobiliſſimis familiis, Cn. Manlius, & M. Aurelius, quibus Terentius Varro,

homo novus ob eruditionis gloriam adjunctus, imò verò præ-
positus. Neq; hodie laudabile illud institutum mutatum, neq;
147 ullo tempore mutandum. Legendi ex nobilitatis ordine, pro
cujusq; tum mittentis, tum ejus, ad quem mitti debet, dignita-
te, conditione, ac statu, qui haberi possunt, dignissimi, qui ma-
gnificum munus legationis administrent. Gratiosa enim apud
Cic. pro P. Sext. omnes nobilitas, & ut novus homo Arpinas fatetur, nobilitati
omnes favent. Nobilitatis ordinem hîc plebejo opponimus, ut
& illustres, qui hodie majoris dignitatis titulo vocantur, com-
149 prehendat. Gloriosum enim etiam principibus ab imperatore
150 ad reges externos mitti. Missi olim à Carolo Magno Episcopi,
Mut. in Car. ut Ambiensis, Jesse nomine, Constantinopolim, Irenem, Orien-
talem Augustam, Occidentali Augusto in matrimonium peti-
151 tum. Imò verò ipse olim Pontifex Romanus Leo à Valentiano
imperatore missus, legationem ad Attilam pro salute imperii
152 suscepit. Et à Theodoro, Gothorum rege, Agapetum Pontifi-
Platin. in Leon. V. Bonfin. lib. 7. dec. 1. rerum Ung. Paul. Diacon. lib. 17. cem missum ad Justinianum imperatorem legimus. Ita vicis-
sim à principibus mitti pro dignitate majoris legationis & ne-
gotii possunt Comites: possunt ab his vicissim nobiles, & ab
omni superiore statu. Verùm cùm illa claritudo, quæ à literis
153 & eruditione provenit, cum generis nobilitate, omnium con-
sensu, æquiparetur, & ut in omnibus constitutionibus politicis
legere est, in eodem precio & æstimatione, tituloq; & dignita-
te, si non majore, habeatur (nolumus enim philosophicâ truti-
nâ, quæ longissimè hanc illi præferendam judicat, utramque
ponderare) non minùs viros literata nobilitate excellentes,
154 quàm antiquitate generis præstantes, legendos eodem con-
sensu, & quasi ex eadem urna eximendos, prudenter cum pru-
dentissimis statuendum est. Idq; eò magis, quando ejusmodi
negotia conficienda missionibus sint, quæ tum acumen, tum
155 sagacitatem, tum interiorem literarum cognitionem deside-
rant.

rant. Neq; id solùm in legationibus principum ad principes, sed regum ad reges, imperatorum ad imperatores. Nusquam enim virtute & doctrina exornatum pectus non stare maxima cum dignitate & laude potest. Ubivis ille terrarum nobilissi- 156
mus, qui animum veræ nobilitatis ornamentis indutum habet. Nominantur itaq; suo jure tres nobilissimi legati illi, qui professione homines quidem de schola, philosophi, de politici ordinis & dignitatis gradu minimè soliciti, ex Græcia, uti suprà indicavi, Romam appulerunt. Sed quid in veteribus hæreo? Ferdinandus ad Turcicum Imp. principem misit? At quæ legatio toto terrarum orbe illustrior, quàm inter hæc duo terrarum capita esse potest? Quem verò misit? E doctorum hominum classe Augerium illum, cujus subinde mentionem in hoc scripto facere honorificam oportet. Quàm verò graviter ille, quàm prudenter, quàm peritè & feliciter, superata omnium hominum expectatione, ipsisq; barbaris in admiratione conversis, negocia commissa expedivit? Et cur non illi summo lo-
co, maximorumq; munerum honore digni, quos ipsa natura 160
donis ingenii superiores aliis hominibus fecit, ut Sigismun-
dum Imp. dixisse de doctoribus ferunt. Nostra memoria in eo- 161
dem loco & munere est versatus, auspicio felicissimo invictissimi Rodolphi Augusti Romanorum, incomparabilis ingenii & sagacitatis doctrinæq; vir, Doctor, ut in propositione comitiali eum nominari audivi, Hieronymus Paëtza, qui non minorem gloriam & laudem ex illa legatione reportavit, majus certè præmium, cùm ad illustrium virorum dignitatem & ordinem, illustris etiam potitus connubii sorte, evectus fuerit, rebusq; Transylvaniæ non solùm nunc adsit, sed etiam fortuna-
tè præsit. Maximiliani imperio claruit Matthæus Langus, civis 162
Augustanus doctus, & virtutis tenax, qui maximis ad maximos reges & principes, & ad Pontificem legationibus præclarissimè

Sylv. in dict. & fact. Alph.

Barthol. in hodæpor. ejusd.

fuit defunctus, tanta laude, ut purpureo illo Cardinalium ga-
Cast. de princ. Germ. vnt. li 3. lero tandem fuerit insignitus. Sed quis sese exemplorum
omnium acervis obrui patiatur? Illud est, quò revertendum
erit, ut tum generis, tum literarum nobilitatem in hoc mune-
re obeundo, locum primarium electionis habere firma con-
163 clusione pronunciemus. Quod cùm ita probamus, non exclu-
dimus illos, qui in suis rebuspublicis & civitatibus quisque suo
loco & officio sunt honesto, quos pro qualitate negotii & mit-
164 tentis, mitti posse jam antea præmonuimus. Velit quis princi-
Sturm. in Car. pum alteri horologium, quale Carolo Magno à Persarum rege
165 oblatum, missione solenni donare, simulq; ejus usum & artifi-
cium docere, quem mittet? Nullum certè commodiùs, quàm
ipsum artificem, honestum & integrum virum. Idq; tum longè
rei aptius & decentius eveniet, quàm cùm Olivarium tonso-
rem suum Ludovicus XI. Galliæ rex, in Burgundiam, petitum
166 uxorem Delphino filio suo, Caroli ducis unicā filiam, Mariam,
Comin. lib 8. in comment. olim ablegarit. Plenissimum certè contemptu factum, & ita à
domo Burgundica meritò habitum: quod etiam in jugulum
167 tonsoris rediisset, nisi maturiore fuga sibi homo prospexisset.
Wasf. de leg. lib. 2. Multò enim gravius & illustrius hoc negotium erat, longeque
majoris prudentiæ & consilii ac auctoritatis, quàm ut barbi-
tonsoris vilitati ejus tractatio conveniret. Nec enim missio-
168 num licentia, ut maximi arbitrii sit, voluntatisq; & electionis
liberrimæ, eò tamen frenos effundere suos debet, ut injuriam
magis, & contemptionem, quàm officium legationis præ se fe-
rat, neq; id vilitatis & abjectionis habere, ut indignitas eorum,
qui missi sunt, rubori & probro etiam illis sit, quibus legatio
domum missa. Negavisse Romanos quibusdam pacem, ob
hoc, quia parum dignitatis in legatione fuerat, testatur Anni-
Liv. lib. 30. bal apud Livium. Nec verò toleranda in legationum commer-
169 ciis illa cujusdam regis veteris *Daniæ* ludibria, quem pro vica-
rio

rio ſuo canem in regnum Noricum miſiſſe Olaus Magnus te- 170
ſtatur. Inepta enim & contra decorũ, legationisq; πρέπον, ut ap- *Ol in hiſt. Su. lib. 1.*
pellant, instituta miſſio, legationis jus ac nomen non meretur.
Parum enim intereſt, aliquid omninò non fieri, aut perperam,
& non eodem modo, quo debebat fieri, uti regula juris tritiſſi-
ma eſt. Faceſſant itaq; procul à legationis ſplendore omnes il- 171
læ ſordes cerdonum, fullonum, & quotquot vilis & abjectæ ſi-
ve manus, ſive muneris & conditionis in jure reputantur, ſor-
didorum officiorum fex, pronum illud ad lucrum & turpiter *l. 6. C. de dignit.*
faciendum genus, inſtitores, negotiatores. Procul omnes, qui *l. 44 ff. ædil ed. d. l. 6. C. de dign.*
vel facti, vel juris infamia gravantur: procul omnis ſervi &
mancipia: procul Judæi, quibus in Chriſtiana civitate janua 172
honoris dignitatumq; ingreſſus denegatus. At civilis, inquis, *l. ult. C. de Iud.*
altera de dignitatibus prohibitio eſt: legationis verò aditus ju-
re gentium pateſcit omnibus: Erras, neq; rem rectè percipis.
Legationis jus, quo ad legatos in nationes exteras mittendos, 173
gentium eſt? At ipſa legatorum mittendorum electio, ad jus
civile redit, quam quiſq; quidem ex ſuo arbitrio, ſed tamen ad
legem, & ſecundum mores ſuæ civitatis ordinare debet. Quiſ-
quis igitur, civilis legis obſtaculo, à portis dignitatum civilium
aſpellitur, idem neque ad legationis, quę civilis honoris & mu-
neris eſt, electionē admitti debet. Etſi itaq; Judæũ olim à Per-
ſarũ rege miſſum ad Carolum noſtrũ Magnum, teſtentur anna- *Fuld. Annal.*
les veterum, illud tamen Chriſtianorũ civitati nihil præjudicii *ſub an. 802. edit. Freh.*
parit. In Perſarum enim rege, ut & in hodierno Turcarum do-
minatu, Judæis ad civilia munera & honores quoſvis acceſſus
patet. Quod in noſtra, ut diximus, republ. ſecus. Idem de hære- *Busbeq. d Epiſt.*
ticis ac ſchiſmaticis judicabis, quibus etſi legationum miſſio- 174
nes, ſi cum imperio illi ſint, cujus poteſtate ac jure gentium hoc
legationis mittendi jus habeant, jure religionis nõ adimi poſſe,
ſuprà diſſeruerim: tamen hoc capite, quod de electione perſo-

narum, quas legationibus dignè admoveri oporteat, agit, hęreticos & schismaticos in illa republica, in qua infames habētur, & munerū ac dignitatū accessionibus arceantur, mitti nō posse
neq; debere, rectissimè cōtendo. Electio enim idoneæ personæ
175 ad juris civilis præscripta accommodari debet. Non itaq; inter
se pugnant, hæreticum posse legationē mittere, ut omnes alii
possunt, qui jus imperii absolutū habent, & hęreticū non posse
in legatione mitti, vel legatum esse, ut omnes non possunt, qui
à dignitatibus reipubl. arceantur. Hæreticos autem illos intelli-
176 gere oportet, qui in toto imperio, & ab imperio pro hæreticis
tot. tit. C. de hæret. & Man. publicè declarati sunt, ut olim Manichæi, Montanistæ, Dona-
177 tistæ, Arriani, Macedoniani, Nestoriani. Non autē, quos Ponti-
L. 28. l. 4. l. 5. l. 6. & seq. d. t. fex in Cardinalium suorum consistorio, aut hæc vel illa schola,
& secta, in cathedris suis, hæreticos esse clamitat, & conde-
178 mnat. Ideoq; summa injuria infertur hodie illis, qui à Catholi-
l. 6. l. 8. & seq. d. tit. cis, ut appellari volunt, secessionem fecerunt, quòd pro hære-
ticis illos habeant diffamentque. Nondum enim ab imperio
Protestantes condemnati, nondum reprobati, imò verò ap-
179 probati, & in religionis imperialis formulam ac pacem publi-
Rec. imp. an. 1555. cam sunt publicè assumpti. Non minùs itaq; ad honorum &
dignitatum fulgorem, munerumq; civilium & imperialium
privilegiorū omnium commoda admittuntur, quàm illi. Sed
satis, ut opinor, de generis ornamento dictum. Videamus & al-
180 terum, quod extra hominem, in hominis tamen delectu insti-
tuendo occurrit. Fortunæ illud diximus esse: Hîc facultates,
opes & divitiæ sub censum adducuntur, quæ quidem bonos à
frugi, probos ab improbis, doctos ab indoctis discernere non
181 possunt. Instrumenta tamen sunt, testimonio quoq; Aristote-
lis, quibus doctrinæ & virtutes facilius comparantur, & nervi
sunt, quibus res maximæ & inchoari & conservari, atq; ad exi-
182 tum finemq; perduci queant. Demosthenis illud vulgò omnes
in

in ore habere ſolent, qui in negotiorum magnorum admini-ſtrationibus, in officiis, curiisq́; publicarum rerum verſantur: Δεῖ δὴ χρημάτων καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων, hoc eſt: *Opus pe-cuniæ ope eſt, ſine qua nihil quod opus facto eſt, fieri poteſt.* Si quod Dem. in Olyn. I.
verò negotium eſt, quod nervo pecuniario indigeat, legatio- 183
nis certè eſt, quod cum ſua magnificentia munificentiam ma-ximam conjunctam habere oportet. Etſi autem à mittentis li-
beralitate proficiſci legati viaticum largiſſimè debeat, nihilq́; 184
omninò denegari, quod ad ſumptus & impendia legationis pertinebit, tamen & ad legati dignitatem & majorem, tum domi, tum foris retinendam auctoritatem rei familiaris am-
plitudo plurimum facit. Cumq́; rei hujus ratio non ex Philo- 185
ſophorum ſententia, ſed communis vitæ curriculo æſtime-
tur, Caſſiodori illud vulgò ſequuntur omnes: *Tantum quis no-* 186
bilior, quantum & moribus probis, & luculenta facultate reluxerit. Caſſ. 3. Varr. Epiſt. 17.
Legati itaq; legendi inſpiciantur etiã facultates, utrum tantæ, ut ſplendori ampliſſimi muneris domeſtica fortuna reſponde-
re poſſit. Anguſtia enim rei familiaris, non ſecus ac exhauſta 187
fœce tenus amphora, ſordes perpetuò ſecum trahit, & quaſi
amurcam quandam, in omnibus negotiis relinquit. Ac quam- 188
vis juris ſententiâ paupertas per ſe neminem ſuſpectum faciat,
qui fidelis & diligens eſt, tamen populari judicio locupletibus 189
ſemper plus fidei, quàm inopibus habetur. Cumq́; legationis l. 8. C. de ſuſpect. tut.
negotium, opus plenum periculoſæ aleæ exiſtat, ut Horatii 189
verba ſunt, obviumq́; ſuſpicionibus plurimis, facilius ille præ- 190
ſumitur munuſculis flecti, ſilentii fidem proſtituere, arcana ſui principis venundare, & fumum aulicum citiùs vendere, qui exiguas facultates, quàm qui lautam domeſticæ rei fiduciam habet. Minor etiam metus de illo eſt, ne quicquam contra ju-
ramenti religionem foris committat, qui lares, penates, do- 191
mumq́; & familiam locupletem, magnasq́; divitias, tanquam

obſi-

obsides apud se reliquit, quàm qui cum Biante omnia sua bona secum asportat. Hic se nihil amittere, nisi sese & existimationem cum domini gratia novit. Alter plus de divitiis suis, in quibus alter hominis sanguis positus, quàm de sese anxius & sollicitus. Adde quòd animus opum domesticarum robore sem-
192 per erectior, atq; ad omnia fortunæ ludibria serenior, nec adversus superbientium rhinocerotum nasum fractior. Etsi ta-
193 men idcircò, qui curtioris supellectilis fuerint, viri probi, graves, rerumq; periti, ac legationis provincia aliis, propter ingenii & eloquentiæ dona, digniores, non postponendi, sed publicis fortunis ita juvandi, ut cum dignitatis altitudine, familiaris copiæ conveniant. Ita enim Epaminondæ angustiis succursum
194 esse legimus. Multorumq; Romanorum familiæ, quorum opera erat reipubl. opus, largitate publica sublevatæ fuerunt. Aliter in debitore reipublicæ, qui ut aliarũ etiam dignitatũ, honorem & fructum percipere nequit, priusquàm id, quod debere eum constiterit, conventus exsolverit: ita neque ad legationis functionem admitti potest. Fisci tamen debitori debitum obstaculo non est, quin mitti queat. Verùm cùm æris alieni moles per se satis onerosa molestaq; existat, hîc etiam non minor metus est, ne animus nominibus obrutus ac oppressus, legationis difficilimo muneri, quod hominem integrum desiderat, fortiter sustinendo, satis expeditus ac validus esse possit. Nec minores suspicionum nubes obæratum, quàm pauperem, imò majores involutum tenent. Et quis non legit plurimos & imperatores & reges in contemptum sese vocasse, quòd debitorum fluctibus navim dicerentur fregisse? Quamobrem prudenter dixisse fertur Ludovicus XII. rex Galliæ. Satius esse regi nihil omninò largiri, quàm multa debere. Quod non absq; gravissima causa inter prima probra à Persis veteribus habitum. Sed ne plura de fortunæ ornamentis ad alia duo, antequam capiti huic

Plut. in Fab.

l. 1. C. de debit. civ.

l. 4. ff. de legat. d. l. 4. §. 2.

Iov. in illust. Herod. lib 1. Plut. de ære al. vit.

huic finem imponamus, nobis contemplanda accedamus.
Quæstionem enim de fœminis hoc loco movent, & sunt qui 195
contendant illam etiam jure mitti posse. Mihi verò illorum *Wary. de leg.*
sententia non satisfacit. Quid ita, inquis? An non fœminam
etiam mittere posse, quod longè majus, suprà docuisti, cur er- 196
gò mitti eandem posse non concedes? Diversa jura & ratio-
nes mittentis, atq; ejus sunt, qui mittitur. Mittens legationis 197
jus, quod ex gentium jure est, jure imperii & potestatis suæ ha- 198
bet, eò quòd cùm nemo sit, qui ipsi contradicere possit, liberè
legatos suos jure gentium ad omnes emittere potest. Quòd
enim ad omnes, quos velit, populos emittat, & quòd emissi tu-
ti & inviolabiles apud omnes habeantur, illud est ex jure gen-
tium, quod populi inter se ita constituerunt, usu & communi
consuetudine frequentatum. At quòd hic vel ille in eorum nu-
mero sint, qui jus illud gentium habent, quòd liberrimo nutu
& mandato mittere possint, hoc ex jure quisq; sui imperii ha-
bent. Imperii autem gubernationem cùm etiam fœmina ha- 199
beat, in regnis illis, quæ hæreditaria successione, non tantùm
ad masculos, sed etiam ad mulieres deveniunt, & in quibus gy-
næcocratiæ forma recepta est: habebit itidem, velut omnia alia
majestatis jura & regalia, ex jure sui imperii, jus mittendi lega-
ti. At alia ratio, & aliud jus illius, qui mittitur. Mittens à nemi- 200
ne dependet, sed pro arbitrio omnia agit, & neminem in eo ju-
re agnoscit superiorem, qui prohibere ipsum possit. Mittendus
pendet totus ex electione & nutu mittentis. Mittens jure im-
perii sui mittit: Mittendum, ut maximè mittentis promptitu- 201
do sit, lex ipsa reprobare & rejicere potest, ne mittatur. Missio
enim ipsa, quam jure imperii mittens habet, juris est gentium: 202
at mittendorum electio, etsi in arbitrio & voluntate mittentis,
civilis tamen legis est, hoc est, institui debet secundum cujusq; *l. 4. §. 1. ff. de legat.*
civitatis, in qua habetur electio, mores, disciplinam, leges &

203 ſtatuta. Verbi gratia: Si Judæum velit princeps mittere lega-
tum, quem in delitiis habeat (ut & hodie quandoque habent)
quæritur, an poſſit? Legationem quidem ne mittat, qui jure
imperii poteſt, prohibere nemo poterit. Illa enim gentium ju-
ris eſt, & jure imperii apprehenſa. At Judæum eligere ad lega-
tionem obeundam non eſt gentium, ſed juris, ut etiam ſuprà
204 oſtenſum eſt, civilis. De eo enim jus gentium non ſollicitum
eſt, quem mittas, ſed civile jus, quod hominem ab homine di-
ſtinguit, quod dignitates & gradus, honorem & infamiam in
civitate conſtituit, electionem legati mittendi dirigit, differen-
tiam eſſe dictitans, inter hunc & illum, hunc honeſtum, illum
minùs, hunc liberum, illum ſervum, hunc dignitatis capacem,
205 illum incapacem, atq; Judæum ob eam cauſam, etſi gentium
l. ult. C. Iud. & naturæ lege ſit honeſtus, civili tamen lege honorum inca-
pacem haberi. Eodem modo de fœmina diſputandum: fœmi-
nam jure imperii, quatenus illud teneat, legationem mittere
poſſe, hoc eſt, poſſe poteſtatis plenitudine facere illud, quod
206 juris gentium eſt: At non eandem poſſe mitti adminiſtratum
legationem, hoc eſt, non poſſe facere illud, quod jure civili, ob
207 honeſtatem & pudorem naturalem prohibetur. Fœminam
l. 14. C. de contrah. & com. ſtipul. autem inter viros verſari, pudor naturalis non patitur, idq; aſ-
ſerit imperator, multò minùs verò vagari, peregrinari, & inter
208 exteros obambulare. Quod quæ faciunt, Ambubajæ ignomi-
Hor. Saty. 2. li. 1. nioſè veteribus appellatæ. Admonuerunt veteres hujus rei
209 mulierem eleganti pictura, cùm in cochlea ſtantem Venerem
Plu. in connub. depinxerint, quòd teſtudinis more, nunquam tecto ſuo illa e-
210 gredi debeat. Quod & ipſa natura in muliebris corporis fabri-
ca ſignificatum voluit, cùm quæ ad ſeſſionem conſtitutæ par-
tes ſunt, in ea multò latiores, quàm in viro fecerit, ut memine-
rit οἰκουρὸν eſſe, quemadmodum Apoſtolus loquitur: *& Sola do-
mū & patrias aſſervet filia ſedes, ut canit, paucis mutatis, Vergilius de
Lauren-*

Laurentis regis nata. Nec quicquam hîc loci invenit profugæ &
sagæ veneficæ consilium illud Medeæ in scena Euripidis, quæ 212
gypsatissimis, uti Cicero ad Trebatium scribit, manibus per- *Cic.lib.7.Epist.*
suadere Corinthiacis matronis voluit, patria abesse, & hinc
inde apud exteros obvagari, mulieri pulchrum esse, neq; posse
illud cuiquam vitio verti. At improbatissima ob id fœmina ap-
pellatur Calfurnia, quòd inverecundè in foro, contra sexus ru- 213
borem, magistratum inquietaverit. Quid nos verò de illa dica- *Ulp.l.1.§.5.de postul.*
mus, quæ non solùm in foro, sed in aulis & palatiis exterorum
versari non erubescat, & quæ interesse velit virorum collo-
quiis, quæ occasionem stupris præbere testatur Ulpianus. In- *l.9.ff.de adult.*
ter clarissima certè reipublicæ munera legationis administra-
tio est. Quod si itaq; neq; postulare, neq; pro alio intervenire,
neque procuratorem agere fœminam lex patiatur, multò mi- 214
nùs legationis omnium gravissimam provinciam mulierem *Ulp.l.fœmina, ff.de reg.i.*
sustinere sinet. Et ut maximè civilis juris conniventia permit- *l.4.ff.de legat.*
tere illud velit: naturæ tamen jus, & naturalis pudor, qui ubi-
que gentium mulieribus dominari debet, non concedit, quin *d.l.4.C.de cont. & com.sti.*
& ipsa natura fœminæ legationis functioni planè contraria.
Ubi consilium? ubi prudentia? Quid enim? an non adversus 215
propria commoda laborare consilium mulieris Imperatores
scripserunt. Sed & lubricum linguæ, cum silentio, & momen- *l.4.C.de spons.*
taria voluntas, cum constantia & fide, metus & imbecillitas 216
cum fortitudine legatorũ non consistit. Miror autem auctores *l.10.ff.de inoff.test.*
esse, qui muliebris legationis defensionem suscipiant, cùm ne 217
in comitatu quidem, de quo infra, legati uxorem esse conve-
niat. At exempla sunt, inquis, apud veteres. Quæ? Sabinarum, 219
apud Livium, Veturiæ & Volumniæ ad Coriolanum, apud *Liv.lib.1. lib.2 & Halicarn.lib.7.*
eundem, Vestalium ad castra Vespasiani. Quid audio? Lega-
tionum illa exempla nulla sunt. Ubi enim publica missio? ubi *Suet.in Vesp.*
solennitas, quæ à legatione abesse non potest? Deprecationum 220

& supplicationum nudæ illæ missiones fuere. Sabinæ mulie-
bri intercessione ad amicos & propinquos suos sunt usæ, non
publico gentium jure, sed necessitudinis jure egressæ. Eodem
modo deprecatum egressæ ad filium & virum Veturia & Vo-
lumnia. Nam profectò illa profectio muliebris, non legatio est
221 dicenda (quo nomine tamen dici eam ab illis video, qui de le-
gationibus ex arte scripserunt, quorum non est terminos, ut
vulgus solet, confundere, sed propriè rem quamvis signare &
distinguere) quis enim misit illam muliebrem supplicationem?
222 An senatus? At audi historicum: *Matronæ*, inquit, *ad Veturiam,
matrem Coriolani, Volumniamq; uxorem frequentes coeunt. Id publi-
cum consilium: an muliebris timor fuerit parum invenio. Pervicere
certè, ut & Veturia magno natu mulier, & Volumnia duos parvos ex
Martio ferens filios, secum in castra irent.* Non se invenire potuis-
223 se, Livius ait, an publico consilio instituta egressio illa fuerit.
At si non consilium, multò minùs mandatum, & majestas pu-
blica accessit, sine qua legatio nulla intelligi & haberi potest.
Tota itaq; hæc mulierū actio privata fuit, ut maximè sit, quod
224 consilium publicum accesserit. Neq; enim illud inde relinqui-
tur. Consilium accessit, ergò & mandatum & majestas publi-
ca, cùm & privatim multa consilio publico fiant, quæ tamen
non publica cum majestate & mandato peragantur. Et hoc ex
Coriolani facto quod subjungitur, clarissimè patescit: *Vbi ad ca-*
225 *stra ventum est* (pergit Livius) *nunciatumq; Coriolano adesse ingens
mulierum agmen, ut qui nec publica majestate in legatis, nec in sacerdo-
tibus tanta offusa oculis animoq; religione motus, multò obstinatior ad-
versus lacrymas muliebres esset.* Idem est, ac si dixisset, quem neq;
legati publicæ majestatis, neq; sacerdotes religionis obtentu
potuere flectere, multò minùs privata illa obtestatio ejulan-
tium mulierum potuit, quæ nihil mandati & auctoritatis pu-
blicæ ferebant, sed ut privatæ obtestatum venerant. Nec illa
Vesta-

Veſtalium miſſio ſolennis legatio,ſed inſtituto Veſtalis religio-
nis, & cultu ſanctimoniæ facta deprecatio fuit. Aliud autem 226
eſt deprecatorem venire,aliud legatum:alter exit privato,ami-
citiæ, neceſſitudinis, aut alterius fiduciæ jure, cui ſe totũ com-
mittit : alter jure gentium, quod violari nefas. Supplicatum
mittere quivis poteſt auctoritate privata, poteſt mittere quem-
vis, non habito ſexus diſcrimine, alter non item. Nec verò 227
deprecationes & reconciliationes commodiùs, quàm lacry-
mis & muliebribus ſuppliciis (verbũ Saluſtii) peragi poſſunt.
Legatus quidem etiam nonnunquam ſupplicat, & veniam
orat,ſed ut legatum & publicæ perſonæ gravitatem decet: ſup-
plicator verò etiam ad privatæ perſonæ humilitatem ſeſe de- 228
mittit, obſecrando, flendo, & ejulando. Idem de illa fœmina-
rum ad Conſtant. Imperatorem miſſione ſentiendum, quę de-
precatum egreſſæ habitu miſerabili & privato, ſine ſolennibus
(nemo enim mittere illas ad imperatorem jure legationis po-
terat) ut Liberium Pontificem in exilium actum, populo pa- 229
ſtorem, imperator reſtitueret. Veſtalium autem illa deprecatio *Theoret. l. 1. c. 17.*
pro ſontibus & reis Romæ, religiosè recepta erat, adeò, ut
etiam fortuito illarum occurſu, qui ducebantur ad ſupplicia, 230
liberarentur, teſte Plutarcho. Idq; gentilis religionis cultui, &
venerationi ſanctimoniæ, & honori virginali tributum. Eratq;
extrema hæc miſeriarum & neceſſitatis, tum publicæ, tum pri-
vatæ, anchora. Nam & Julius Cæſar civibus cum aliis, à Sylla
Dictatore, interventu Veſtalis ſupplicationis, veniam impetra- *Suet. in v. Caeſ.*
vit. Viden' hîc manifeſtò, non fuiſſe id genus deprecationis, le-
gationis miſſionem ? Julius Cæſar enim tum privatus, mitten- 231
dæ legationis jus habere nullum potuit. Sic & Meſſalina, Clau- 232
dii imperatoris mulier, cùm ſe propudii & libidinis inauditæ
audiſſet convictam, ad idem Veſtalium precum aſylon ulti-
mum confugit. Nec verò illa ad Solomonem regem, Arabiæ

233 reginæ profectio, legatio fuit, velut ineptè à nonnullis allegatur, cùm fœmina non alterius missu, sed sponte sua accesserit.
234 At nemo suum mandatum ferre, suæq; rei legationem, *quod* l. 21. C. de mandat. *decemvirali, l. vetitum his verbis: (Rei suæ ergò ne quis legatus esto)* uti neq; procurationem agere potest, neq; dici aut intelligi legatio, quæ ex missione alterius, & mandato nõ dependet. Quæ
235 cùm ita sint, cæcutire illos nimio fœminarum amore certè credendum est, qui amplissimum hoc virilis officii & dignitatis munus ad colum & squasillum trahere, non sine maximo
236 legationis rubore, muliebrisq; verecundiæ offensa, conantur, l. 25. §. 10 ff. de aur. & arg. leg. caliendrũ quidem & calanticam mulier gestet, caduceum verò & legationis insignia non attrectet. Sed qui & quales mitti possint & debeant, nunc satis, arbitror, in delectus hujus campo excussum est. Unum autem, cujus monendus legati ele-
237 ctor, ultimò restat. Quid verò illud? Quod vel primum in electione legatorum punctum ferre potest, ut huc potissimùm inter alia, quæ jam proposita, cogitatio electoris intendatur, quò maximè gratiosum legatum eò, unde quid per legationis
238 viam velit obtinere, mittat. Gratia siquidem plus valet, quàm omnis reliquus prudentiæ, & omnium dicendi & agendi artium apparatus. Sunt autem gratiæ quædam vincula ab ipsa
239 natura. Ut est sanguinis & necessitudinis propinquitas: quò parentum, liberorum, fratrum, agnatorum, cognatorum, & similium charitates referendæ. Alia à maximis meritis & bene-
240 ficiis: ut præceptorum & discipulorum, qui paternæ affectio- l. 27. ff. de donat. nis inter se habere flammam intelliguntur, tutorum & pupillorum, patronorum & clientum, aliorumq; ejus generis ne-
241 cessariorum & amicorum. Alia à simili educatione, studio, & commilitio: ut collactaneorum, popularium, commilitonum
242 in utriusq; togæ & belli castris. Quo nomine Pomponium Atticum legimus Ciceroni omnium fuisse gratissimum. Sic inter Johan-

Johannem, Ducem Megalopolitanum, Principem id ætatis 243
omnium doctiſſimum, qui viginti annos Lutetiæ Parriſiorum
Academicis ſtudiis & Muſis militavit, & commilitones ſcho- 244
laſticos, Maſſilienſem & Cyprium reges, comitemq; Henne-
bergenſem, tanta charitas & gratia fraterna exarſiſſe memora- 245
tur, ut uterque regum poſtea ducis ſorores, continuandæ in *Span. in Chron. Henn.*
ſcholis inchoatæ amicitiæ gratia, in matrimonium duxerit, co- *Münſt. in Coſm.*
mitisq; ſororem Megalopyrgicus uxorem acceperit. Ita & mo-
rum & ordinis ac ſtatus ſimilitudo gratiæ plurimum alit: Prin- 246
cipes principibus, comites comitibus, nobiles nobilibus enixè
ſtudent, & officiorum, veterum memoria (etſi gratia in his, ut 247
apud Pindarum eſt, ſoleat antiqua utplurimùm dormire) be-
nevolentiæ & amoris aliquem fomitem conſervare poteſt.
Quantum autē hic reſpectus in mittendo gratioſo legato ex-
pediat, videre eſt in miſſione Juſtiniani ad Perſarum regem
Coſrhoem: cui cùm ſciret acceptum fore veterem illius medi- 248
cum, quòd ipſum graviſſimo morbo olim periclitantem vale-
tudini reſtituiſſet, legatum de pace petenda eundem impera-
tor miſit; miſit, & non ſolùm pacem, ſed etiam perpetuam *Procop. de bello Perſ. lib. 2.*
amicitiam per eam legationem impetravit. Cùm Rhodii ea- 249
dem de cauſa ad Caſſium mitterent, quò majorem gratiam le-
gatio celerioremq; ex ſententia eventuum nanciſceretur, præ-
ceptorem ejus, à quo Caſſius literas Græcas Rhodi didicerat,
Archelaum miſiſſe prudente conſilio leguntur: qui uno ver- *Appia. de bell. civ. lib. 4.*
bo ab obſidione diſcipulum avertit. Prudentiſſimus poëtarum
Latinorum eam ob cauſam fingit Venulum à Latino rege ad
Diomedem miſſum, his verſibus: 250

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem, *Æneid. 8.*
Qui petat auxilium, &c.

Quòd Diomedis popularis & civis eſſet (uterq; Argivi) eoq;
haberetur gratior: quòd communis patriæ charitas, ut loqui- 251
tur

tur Tullius, charitates omnes complectatur. Quin & linguæ
252 communis commercium plurimùm in omnibus cõtractibus,
nedum in legationibus gratiæ & benevolentiæ utrinq; affert.
253 Quocirca Carolum Magnum legimus in Osnaburgensi colle-
gio, Græcæ linguæ lectionem instituisse, ut ad Græcorum re-
Grantz in Metr. lib. 1. c. 1. ges inde haberi possent legati, qui gloriosè mitti possent, cujus
exemplo legendus, qui linguam ejus gentis ad quam mittitur,
calleat, quiq;, si non inde oriundus, nationis tamen notitiam,
peregrinatus ibidem, habeat, qui mores & ingenia hominum
norit, quive ibidem veteres amicos, affines, necessariosq; no-
254 minare sciat, quorum maximam apud primates, si non ipsi sint,
auctoritas. Nam & peregrini eam ob causam, qui aliunde sese
in exteras aulas servitii ergò receperunt, mitti sæpè solent,
quòd gratiosiorem legationis personam apud principem, cu-
jus in provincia nati, & apud populares reddere possint; & si
olim in illis aulis, quò mittendi, locum aliquem honorificum,
auramq; aulicam, & aurem benevolam habuerint, quiq; sciant
molles aditus & tempora fandi, ut de sorore sua loquitur Ver-
giliana Dido, quam eandem ob causam ad Æneam ire suo no-
255 mine jubet. Inconsultum autem certè est, personam infestam,
quam minùs acceptam fore suspicamur, emittere. Etsi enim
Nestoris prudentiam, & Periclis eloquentiam, Sulpitiiq; justi-
tiam & æquitatem, Catonis gravitatem, & Pompeji autorita-
256 tem comitem habeat, plus tamen nocebit, quàm causæ prode-
rit. Demosthenes illud odoratus est, cùm ad Philippum Mace-
donem, cui se invisum vehementer esse sciebat, quòd multis
eundem conviciis & injuriis coram populo Atheniensi one-
rasset, ideoq; ex itinere, cùm non tam sibi, quàm causæ, ut post-
ea dicebat, metueret, sese domum recepit. Tullius ad Anto-
257 nium ire noluit (etsi illa legatio propriè non dicenda) quòd ini-
micissimum sibi & capitalem hostem esse, in quem tot Philip-
picis

picis invectus erat, exploratissimum habebat. Nec enim operæ precium est, id genus hominum mitti, qui vel de gente, vel de principe, ad quem legatio instituenda, quippiam scripserint, aut dixerint, quod exacerbare animum potuit. Memorabile est, quod regis Galliæ oratori imperator Carolus V. cùm ab eo- 258
dem Lutetiæ elaborata, & perquàm splendida oratione exciperetur, & cœlo usque laudibus panegyricis extolleretur, responderit: minùs enim grata tum ista prædicatio erat, quòd ab eo fieret, qui proximo anno antè, eundem Carolum in oratione, quam in Anglia legatus, coram rege habuerat, extremis vituperiis prosecutus erat. Sed quid tum Carolus, cùm eundem prædicatorem suum audiret: *Vtinam*, inquit, *superiore anno, cùm in Anglia perorares, minus me vituperasses, & nunc minus laudasses, utrumq; gratius mihi futurum fuisset.* Manent etenim principum Com.lib.1.
& magnatum alta mente reposta, si qua ob illatas injurias, odia Hom. Il. 1.
justa adversus auctorem conceperint. Nec verò solùm in ejus- 259
modi legationibus, quibus invisæ personæ obeundis adhibitæ, oleum & opera, quod dicitur, inane consumitur: Sed & ipsi legati, perpetrati adversus illos, ad quos missi sunt, criminis 260
conscii, temeritatis suæ & imprudentiæ, quasi in contemptum ad antiqui vulneris exulcerationem accessissent, deserti à juris gentium protectione, capitales pœnas sustinuisse leguntur. Atheniensium legatum Demadem ab Antipatro interfectum 261
eo nomine intelligimus, quòd jam pridem convitiis plurimis regem proscidisset. Pelopidam imprudentiæ suæ pœnas luisse Polybius affirmat, quòd cùm sibi inimicitiarũ inter se & regem 262
Alexandrũ Phęreum conscius esset, mitti tamẽ sese ad eundem Polyb.lib.8.
sustinuerit. Sed an rectè, an secus illi egerint, infrà, ubi de jure legatorum differemus, videbimus. Inconsideratos profectò & legationis ambitione cœcos esse oportet, qui cùm talia norint, ipsi sese inimicorum in casses & retia præcipitent, neq; id cogi-

tent, quod Pompejus fugiens in Ægyptum, ex poëta sibi ipse
263 malum vaticinans dictum reliquerit:

> Ὅστις γὰρ ὡς τύραννον ἐμπορεύεται
> Κείνου ἐστὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.
> *Quisquis tyranni vadit in domum,*
> *Ex libero fit servus illicò.*

Providendum itaq; illis, qui aucupari legationis suæ gratiam velint, ne quos malè acceptos & ingratos fore sciant, vel propter minimam aliquam suspicionem, ablegent: néve ex illo re-
264 gno, quò mittantur, profugos & proscriptos, obæratos, aut quovis modo vel expulsos, vel elapsos, néve eos, qui in publicis suis scriptis aut orationibus mentionem minùs honorificam,
265 vel nationis, vel regis aut principis fecerint. Bodinum acutissimum politicorum scriptorem hac illac missum, ut & ipse de se prædicat, scimus: At idem si in Germaniam, in aulam Imperatoris, vel in Saxoniam Electoralem missus esset, minus gratus & acceptus fuisset. Quàm multa enim contra majestatem Imperatoris falsò & ineptè, qui statum imperii nostri Germanici nunquam rectè assecutus est, quàm multa temerè scripsit? Taceo, quibus Saxonicæ domus illud lumen Mauritium exornarit præconiis & titulis. Quem jure & meritò Jurisconsultus Heigius refutavit, pessimeq; scripsisse, atq; contumeliosè & impudenter egisse comprobavit. Doctissimum Li-
266 psium, dignissimum omnium doctorum amore & favore virum ad Hermannos suos, quos ita appellavit, in Westphaliam nollem ablegari. Nec ille, ut rerum communium & veterum prudentissimus est, facilè sibi persuaderi pateretur, ut si quam sibi gentem irasci ob haram (certè immeritò etsi ob aram) co-
267 gnitum haberet, temerè adiret. Ita nō consultum fuerit Historicos illos foràs mittere, qui vera quoque scribendo de regibus
268 & principibus, de populis & nationibus, certissimum veritatis præ-

Bod. lib. 5 de Rep.
Heig p. 1 quæst. 11. n. 13.

præmium, odium scilicet, meruerunt. Quod Sleidano superio- 269
ris ætatis scriptori obvenisse constat. Nec practicos & advoca-
tos velim ad eos, quos contra militaverint, neq; ad eos, quibus 270
practici, tanquam facultatũ hirudines, exosi. Erat eo ingenio
Fridericus II. laudatissimus rex Daniæ, ut etsi literarum & ar-
tium, de qua re sæpè conquestum ajunt, esset ferè inops, litera- 271
tos tamen maxima gratia & honore complecteretur, exceptis
advocatis & practicis fori, quos ne in conspectu quidem ferre
poterat: erga reliquos Jurisconsultos, qui à consiliis erant, mi-
rum in modum benignus. Fortè sibi ille persuasum habebat,
practicos, ut de iisdem Baldus loquitur, esse plerunq; modicæ
conscientiæ, & omnia, ut glossa addit, mala nosse, variéq; non
modò posse, sed & solere, quod Canones reprehendunt, leges
& jura exponere. Quod in illo rege adversus practicos ani
madversum, illud in aliis adversus eos, quos diversum à se sen-
tire in religionis controversiis sentiunt. Quibus ne dexteram 272
quidem porrigi posse, sine piaculo existimant, majore supersti-
tione, quàm vel barbarus Moscovitarum dominator, imbuti.
Ille enim quoties externos legatos admittit, malluvium in me-
dio positum habet, quo manum tanquam pollutam contactu
contagioso abluat. Sed & non rarò tacita quædam inter homi-
nes complures ἀντιπάθεια est, cujus rationem reddere ipsi ne-
sciant. Quod non modò in singulis adversus singulos, ut in
Aristidis & Themistoclis exemplo, sed & in universis gentibus
& nationibus videre est. Ita Hispanorum naturam contrariam
Gallicanæ indoli ac naturæ asseverat Bodinus, cujus quidẽ ad-
versitatis argumenta vel in cunis apparere utriusq; gentis vi-
dentur. Quis enim non audivit illud, quod non multis abhinc
annis, cùm hæc ad incudem revocatem, ex Gallia ad Germa-
niæ aures permanavit? Legatus Catholici regis ad Henricum
Christianissimum qui missus erat, Delphinum, qui nondum

Bald. in l. 13. C. mand.
gloss. ibid.
c. quid est hoc, dist. 50.
Reinbold. de Mosc. bell. lib. 1.
Bod. lib. 5. de rep.

octo annorũ erat, videre & salutare gestiebat, quem cùm puer regius in foribus adesse intellexisset, illicò ad ea, quæ parieti affixa habebat arma puerilia convolans, gladiolo, inquit, gladiolo meo opus est, si Hispanus conventum me habere velit. Eandem adversus Italicum sanguinem contrarietatem Gallorum esse, Sylvius, quem fortunæ magnitudo Pium II. fecit, in Epistolis testatur. Quis verò Anglorum inimicitias, quibus & Gallos & Scotos quondam prosecuti, ex lectione Cominæi ignorat? Sed & Polonos & Germanos odio quodam naturali inter se diffidere vulgi judicio habitos esse, scribit Warsevicius, Polonorum orator. Nec ignota vox Maximiliani Imp. I. quam de Austriacæ atq; Bavaricæ familiæ naturali id temporis dissensione usurpasse legitur. Quæ illa? utriusq;, inquit, familiæ sanguinem si aheno commixtum vi flammæ ut coeant, cogere moliaris, operam omnem & sumptum perdideris. Altero enim injecto, exiliet & erumpet alter. Verùm ut natura ejusmodi

273 vincatur, quisq; sibi ipse gratiam conciliare poterit iis artibus, quæ apud principes virtutisq; omnes amantes in precio & admiratione habentur. Sed nos ad alia capita transeamus.

Sylv. Epist. 11.

Com. lib. 5. com.

Warf. in Orat. ad Maximil. II. Ratisbonæ habita, anno 76. 3. August.

Luth. in Coll.

CAP. V.

An excusare sese, & nuncium oblatæ legationi remittere quispiam possit?

SUMMARIA.

1 *Legationis munus difficile, & molestiarum ac laborum plenum.*
2 *Felices, apud Comicum, qui nunquam mare ingressi.*
3 *Catonem pœnituit, quòd mari usus, cùm terra potuisset.*
4 *Legatus non solùm terrestres, sed & maritimas difficultates sustinere cogitur.*

5 Vir

5 *Vir bonus cogitare debet, se non tam sibi, quàm patriæ natum.*

6 *Pro patria anima & sanguis profundendus.*

7 *Legationis administratio compendiosissimum ad veram gloriam cursum ostendit.*

8 *Servius Sulpitius infirma corporis valetudine legationem suscepit, saluti patriæ, salutis ratione posthabita.*

9 *Tullii de Sulpitii laudibus Oratio.*

10 *Cogi subterfugiens potest, ut legationis officio jungatur.*

11 *Subterfugiens etiam ob minora officia Reipubl. detrectata, potest puniri.*

12 *Venetorum respublica pœnam constituit in illos, qui legationem suscipere injunctam nolint.*

13 *Excusationes quorundam audiendæ.*

14 *Senectus per se morbus est.*

15 *Venetis in legationibus pro communi bono suscipiendis promptissimi, etsi difficultatibus domesticis obruantur.*

16 *Ambitiosè nimis legationem affectantibus resistendum.*

17 *Legationis provinciam venalem fieri non tolerandum.*

18 *Inviti & fugientes officiis admovendi, exemplo cujusdam Romani.*

19 *Vltrò sese offerentes suspecti.*

20 *Stratocles & Damocles Reipubl. munera, tanquam auream messem petebant.*

21 *Indigni per pecuniæ corruptelas legationis ad honorem evehuntur: apud exteros facti ridiculi.*

22 *Catharina Medicea regina Galliæ quarta furia.*

23 *Ejusdem legationes fraudulentæ.*

24 *Legationes quæ tanquam foveæ ursorum & cervorum, fugiendæ.*

25 *Prudentiæ pars imprudentiam suam agnoscere.*

26 *Pœna dignus, qui imperitiam pro peritia venditat.*

27 *Paulus IV. Pontifex in eligendo legato non imitandus.*

28 *Legationes provinciales, quæ propriè non sunt legationes, excusationem trium liberorum superstitum admittunt.*

29 *Provinciales legationes onerosæ, non tam personæ, quàm patrimoniis.*

30 *Legationes juris gentium patrimonii onera nulla habeant.*

31 *Trium liberorum excusatio in legatione propria non admittenda.*

32 *Liberis & toti familiæ gloriosa patris missio.*

33 *Provincialis legatio vicarium patitur constitui: non itidem alia.*

34 *Industria personæ ubi electa est, vicario non potest esse locus.*

35 *Excusatio inimicitiarum valet.*

CUm itaq; lectum accurata diligentia & judicio legatum nostrum habeamus, videndum, si electioni lectus refragari, munusq; impositum, tanquam onerosas clitellas humeris
1 rejicere velit, an possit & debeat. Munus enim quàm difficile & periculosum, quàm molestum, & quàm tædii, nauseæ, laborisq; plenum sit, nemo, qui communi sensu prçditus est, non
2 animadvertit. Vitæ felices prædicantur apud Comicum; qui nunquam mare ingressi sunt. Catonemq; legimus à navigationibus tantoperè abhorruisse, ut se ejus pœnitere dixerit, quòd
3 unquam ventis & fluctibus caput commiserit, si quà sicco pe-
4 de venire potuisset. At legatus non solùm terrestrium peregrinationum, quæ innumeræ sunt, molestias, sed & tempestatis maritimæ pericula sustinere cogitur. Mitto domesticæ absentiæ desideria & incommoda, quæ si quis animo secum rectè perpendat, legationis munus & dignitatem non tam expetet,
5 quàm velut onus laboriosissimum fugiet. Verùm cùm bonum civem patriæq; amantem cogitare illud oporteat, quod à Platone scriptum est, & à Tullio sæpiùs repetitum, legibusq; civilibus approbatum, nos non tam nobis, quàm reipublicæ esse natos, nunquam profectò, domestici laris, paterniq; liminis,

neq;

neq; uxoris aut liberorũ charitas, neq; itinerũ longitudo, neq;
maris periculositas, viarúmve asperitas, deterrere quemq; ab
iis muneribus ac officiis debent, quæ bono reip. futura existi- 6
mantur, cùm & animã & sanguinem, si necessitas ferat, pro pa-
triç salute profundere, nedum laborẽ ac periculum peregrina-
tionis suscipere, neminem bonorũ ambigere oporteat. Cumq; 7
ad verã gloriam nullus compendiosior cursus, nulla ad laudem
immortalem via rectior, quàm per gloriosissimã legationis ob-
eundç provinciam pateat, nihil profectò, si ad nominis æterni-
tatem contendas, tibi antiquiùs, nihil prius habeas, quàm ut de
patria optimè mereri hoc officio egregiè administrato possis.
At hîc omnibus in oculis & cõspectu esse positum velim opti-
mum illum virum, neq; tam juris quàm justitiæ studiosissimũ, 8
Servium Sulpitium, Jurisconsultum clarissimum, quem neq;
infirmitas corporis, valetudinisq; extrema adversitas ab hoc
optimè de patria merendi studio, retinere domi potuit, quò
minùs in extremo spiritu, si quid labanti reipublicæ consilii &
opis ferre posset, suscepta periculosissima illa ad Antonium ci-
vitatis perduellem profectione, experiretur, & in ipso tam lau-
dabilis studii stadio exspiraret, animamq; quasi in sinu reipu-
blicæ deponeret. De cujus viri nunquam satis prædicanda er-
ga rempublicam voluntate & merito, Tullii in senatu Roma- *Cic. Phil. 9.*
no habita elegantissima legatur, ad pares animi concipiendos 9
spiritus, oratio. Sed etsi quis tam sui & suorum amans, tam lau-
dis & nominis negligens, ut malit carere omnibus illis præ-
miis, quæ benè merentibus proposita, quàm legationum peri-
culis pro patria fungi, cogi tamen se posse noverit, si nulla le- 10
gitima excusatione allata, cùm alius haberi idoneus nequeat,
suam reipublicæ subtrahere operam malevolè velit. Nam si in *l. 4. §. 5. ff. de leg.*
minoribus etiam officiis patriæ munera subterfugientem pœ- 11
na dignum leges esse judicant, quid, quin fieri possit idem in *l. 15. l. 16. ff. ad municip.*
majo-

majoribus, dubitabimus? cùm longa major eorum copia undiq; haberi possit, qui inferiora, quàm qui amplissima ac gravissima legationum munia dignè obeant. Cùm multa itaque
12 præclarè & sapienter à Venetorum republica omnium constituta optimè, quæ prudentiæ nervo, tanquã adamantino quodam vinculo, ultra mille annos floruit, tum nihil salubrius, & reipublicæ utilius, quàm quòd inter alia prudentissima decreta & statuta, pœnam quoque constituerit in eos, qui legationis munus, si digni & idonei à senatu judicentur, detrectaverint, testante Octaviano, cive Veneto. Sunt tamen excusationes justæ audiendæ, sunt admittendę eorum, qui vel occultum *lib.1.c.2. de leg.*
13 morbum & valetudinem (manifestò valetudinarios eligendos
14 non esse, suprà ostendi) vel senectutem, quæ, ut Comicus ait, per se morbus est, vel rei domesticæ difficultates prætendunt. Idq; etiam in Venetorum senatu fieri idem auctor ibidem confirmat, ut si idonea causa reperiatur, locus excusationi concedatur: Sin minus, non dimittatur, præsertim si eam hominum quispiam opinionem alat, ut sit confidendum maximè, nihil esse, quod non illius virtute, eloquentia & prudentia effici possit. Optandum certè foret in omnibus imperiis & rebuspublicis, eam esse erga commune bonum omnium bonorum voluntatem, eam animi promptitudinem, quam in Venetorum republica Magius inveniri inter senatores scribit: Quid enim
15 ille? *Vidimus*, inquit, *senatores gravissimos, patriæq; amantissimos, onus legationum libentissimè suscepisse, quamvis multis & necessitatibus premerentur, & domesticis difficultatibus laborarent.* Contrà verò illorum ambitioni & cupiditati resistendum potiùs quàm velificandum, qui ultrò in legationum occasiones irruere, seseq; sponte sua offerre, largitionibus honorem nundinari, turpiterq; emere honestissimũ reipublicæ munus soleant. Quod cùm in omnibus publicis officiis ac dignitatibus probrosum, nulloq;

nulloq; modo tolerandum: tum verò in legationum ambitionibus maximè temerariū, nec solùm singularis imprudentiæ nulla ratione & consilio suscipere, sed & immodestiæ ac impudentiæ, deposcere illud munus, quod non tam rogati, quàm prestari ultrò dignis oporteat. Verùm adversus illos ambitiosos retineri illud Romani principis laudabile institutum (*l. 2. tit. ult. de orig. jur.*) rectè potest, qui neminem nisi invitum officiis & muneribus publicis admovebat, ultrò sese obtrudentes, & ambitiosè ingerentes (*Spart. in Sev.*), tanquam suspectos repellebat: Nec injuria. Nam qui 19
inhiare nimis cupidè ac studiosè illis functionibus videntur, quas alii difficultatis onere prævisо, quantum possunt, defugiunt, hi de se illicò eam suspicionem excitant, ut proprii potiùs emolumenti, quàm publicę utilitatis studium cogitare videantur. Quo hominum ex genere Stratoclem & Democlem 20
in republica Græcorum fuisse legimus (*Plut. in polit.*), bipedum pessimos, qui tanquam ad auream messem, ad publicorum munerum ac officiorum administrationes, anhelabant. Quorum ingeniorum ac morum ætas nostra non insolens est: videreque licet in hodiernis multorum aulis amplissimum illud legationis munus, tanquam sub hastæ auctionatu prostitui, & indignis multoties conferri, qui postea apud exteros ridiculi, toti nationi suæ, nedum principi, à quo missi sunt, contemptum & ludibrium reportant. Digni profectò, ut quibus Catharina Medicea, regina 22
Galliæ quarta Erynnis illa & Furia, ut in illius epitaphio continetur, beare suos amicos legationibus consueverit, ejusmodi tam ambitiosi munerum petitores honorarentur. At quæ illę? Si quos auctoritate prævalere aliis consilioq; ac prudentia in regno suo animadverterat, quiq; primū gratiæ locum apud filios merebant, hos illa extemplò sub honorificę legationis specie, 23
aliorsum amandabat, subordinatis interim aliis, qui profectos insidiis exciperent, & in itinere tollerent. Harum rerum

artificio neminem non præcipitem in aula datum eſſe, ſcribit
Warſ. d. or. in leg. Warſevicius, Gallicarum illarum rerum non ignarus. Sed ab
ejuſmodi legationibus, quæ tanquam foveæ ſunt, quæ urſis &
24 *l. 28. ff. ad l. Aq.* cervis in jure leguntur capiendis factæ, prudentis politici eſt,
ſibi cavere, excuſationisq́;, quam poterit, pro re nata excogitare, rationemq́; omnem obtendere, ut laqueo caput expediat.
25 Sed & prudentiæ non minima pars eſt, imprudentiam ſuam agnoſcere, & ineptitudinem ingenuè fateri, oblatumq́; munus excuſatione conditionis ſuæ oneri legationis imparis recuſare. Cujus excuſationis non minor quàm ſontici morbi vis
26 eſſe debet, pœnamq́; ille merere, qui imperitiam ſuam pro peritia venditat, ejuſq́; muneris adminiſtrationem ſuſcipit, cui vires ſufficientes habere nequeat. Imitari verò illam Pauli Pon-
27 tificis IV. conſuetudinem, principibus erit tum inhoneſtum, tum inutile, qui cùm amicorum & neceſſariorum quendam brevi ad maximos honorum apices evehere conſtituiſſet, legatum eundem in Galliam mittere decrevit. At ille cùm ſe imparem (ut certè erat) tanto muneri reſpondiſſet: Abſtine, inquit Pontifex, hac excuſatione: Ecquis enim nos duos præter te ineptum, & ad officium inhabilem, nihiliq́; eſſe noverit, niſi ipſe tuo indicio te prodideris. Prudenter ille & ingenuè, qui, ut dicitur, pede ſe ſuo metiri & æſtimare didicerat: Malè verò & iniquè Pontifex, qui pluris amicitiam privatam, quàm amplitudinem publici muneris, atq; auctoritatem legationis facie-
28 bat. Sed inter difficultatum domeſticarum excuſationes, an trium liberorum excuſatio audienda? Ita quidem reſcripſe-
l. 1. C. de legat. runt Valerianus & Gallienus: *Pater trium liberorum incolumium*
29 *legationibus publicis liberatur.* Verùm legationes illæ provinciales, de quibus illa lege & ſeq. agitur, propriè, ut ſuprà oſtenſum, legationes non erant, quæ officii & honoris debiti gratia ex provinciis & civitatibus ſubjectis ad Imperatorem mitteban-
tur.

tur. Neq; tam honorem & dignitatem, quàm onus & difficul- *l. 2 ff de leg.*
tatem habebant, ordineq; per classem decurionum in civitati- *l. 18. § 2. ff de mun. & hon.*
bus injungebantur, fiebantq; sæpenumerò gratuitæ, ita ut le-
gativa, hoc est, viatica non restituerentur. Unde in favorem
fœcunditatis matrimonialis illa immunitas concessa, ut trium
liberorum superstitum parens onere illo legationis provincia-
lis aut municipalis, quæ ordine injunguntur, liberaretur. In le-
gatione verò nostra, etsi difficultates laborum & itinerum sint, 30
patrimonii tamen onera nulla sentiuntur, cùm ex mittentis
sumptibus legativa profluant, neq; verò plus oneris quàm di-
gnitatis & honoris ex illa percipiatur. Nec enim ulla magis *Plut in pr. pol.*
compendiaria via, neq; celerior ad reipubl. honores, quàm
legationis functio. Ideoq; trium liberorum excusationem non 31
tanti æstimandam hîc existimo, ut si quis creatus idoneus sit, li-
berare sese illius obtentu possit, cùm non solùm liberis, sed &
toti familiæ gloriosissimũ sit, regis aut principis persona apud
exteros parentem benè fungi. Nec verò in hujus legationis 32
munere vicarium constituere licet, uti in altera illa provinciali, *l. 7. l. 13 ff. de legat.*
licet patri pro sese filium mittere: cùm plurimum hîc in indu-
stria personæ, quæ electa est, positum sit, quæ vicarium non ad- 34
mittit. Verùm & illius excusatio admittenda, qui sibi inimi- 35
cum esse, aut minùs faventem illum, causis adductis, probat, *l. inter artifices 31 ff. de solut.*
ad quem legatio instituetur: de qua re superiore capite pluri- *d. l. 31.*
bus egimus. *l. 4. § 3 ff. de leg.*

CAP. VI.

Quot mittendi, tum legati, tum comites.

SUMMARIA.

1 *Legationis apparatus nõ solùm ad necessitatem, sed etiam ad pompam instituendus.*

2 *Vbi plurimum auctoritatis, ibi minimum vanitatis.*
3 *Pompa instructio partim numerum, partim ornatum desiderat.*
4 *Numerus aut legatorum, aut comitum.*
5 *Multitudo dissensionem facile gignit.*
6 *Plurimorum missio non tam legationi, quàm legioni convenit.*
7 *Paucorum missio sordida.*
8 *Demetrius indignè tulit, unum ad se missum esse.*
9 *Vnus ad unum: Demetrio responsum.*
10 *Romanorum legati nonnunquã quatuor, ut & Feciales: nonnunquam quinq., aut etiam plures.*
11 *Legatus proconsulis & castrensis nihil ad præsentem legatum.*
12 *Proconsulis legato mandati jurisdictio poterat.*
13 *Castrensis legatus animadvertere in sontes poterat.*
14 *Legatus, qui Orator propriè dictus, præter mandatum legationis, nihil habet jurisdictionis.*
15 *Castrenses legati additi Pompejo viginti quinq.*
16 *Proconsul suos legatos ipse legebat.*
17 *Ciceronis frater, quos legatos proconsul Asiæ legerit.*
18 *Æneas Vergilianus centum misit: quod ad regii splendoris pompam, & ejus rei ratio.*
19 *Artaxerxes, Persarum rex, quadringentos ad Alexandrum Rom. Imp. misit.*
20 *Centum senatores gratulatum missi ad Severum Imp. Rom.*
21 *Legationes honoris & officii ergò quæ fiunt majore splendore instruendæ.*
22 *Viginti senatores ad Maximum Imp. honoris gratia emissi.*
23 *Legationes, quæ negotiorum gratia in longinquas oras suscipiuntur, minorem numerum habeant.*
24 *Belus rex Babyloniæ, qui primã legationẽ misit, duobus legatis usus.*
25 *Vespasianus edicto cavit, ne plures quàm terni mitterentur, in municipalibus missionibus.*

26 *Legatorum, qui jure gentium exeunt, numerum præscribere ille ad quem mittitur, non potest.*

27 *In Comitiis Imp. olim præscriptus comitum cujusq; ordinis numerus.*

28 *Ratio edicti Vespasianei ad omnes legationes accommodari potest.*

29 *Vnum mitti, nisi ratio negotii exigui, aut missionis postulet, non debere.*

30 *Legatio, instar multorum aliorum negotiorum.*

31 *Multis negotiis unus non facile potest sufficere.*

32 *Omnis sententia firmior, quæ ab altero etiam confirmatur, sententiâ Plat.*

33 *Duo minùs in suspicionem veniunt, quàm unus.*

34 *Negotium, quod pluribus commissum est, plerumq; segnius administratur.*

35 *Millepeda, animalculum, mille pedes habens, omnium tamen reptilium tardissimum.*

36 *Pluribus missis, unus tamen legendus legationis princeps.*

37 *Cyneas princeps legationis à Pyrrho missæ.*

38 *Phineas legationis Ætholorum.*

39 *Xenophanes in legatione Philippi caput.*

40 *l.7. ff. ad l. Iuliam. de vi publ. explicata.*

41 *Accursii error, qui per Oratores ibidem intelligit artium Doctores.*

42 *Princeps qui legendus legationis.*

43 *Phœnix Homericus legationis princeps ad Achillem missæ, & quare.*

44 *Ilioneus orator Æneæ Vergiliani.*

45 *Sylla etsi junior, reliquis in legatione ad Bochum regem, præpositus.*

46 *Terentius Varro, doctissimus Rom. homo, etsi novus esset, princeps tamen est legationis lectus.*

47 *Nobiles & doctores in legatione conjungendi.*

48 *Nobilis ille eligendus, qui contra collegam ignobilem non sit superciliosus.*

49. *Crameri doctissimi, & nobilis Poloni superciliosi adversus ignobilem collegam festiva sessio.*

50 *Persarum legati superiori anno emissi imparis status, & ob id æmuli & contentiosi.*

51 *Affectus privati in publicis administrationibus & legationibus deponendi.*

52 *Aristides & Themistocles collegæ in legationis officio simultates privatas seponebant.*

53 *Comitum numerus quantus esse debeat.*

54 *Cato uno puero contentus.*

55 *Cosrhois Persarum regis legatus quadringentos comites duxit.*

56 *Nimius comitatus suspicionem legionis hostilis habet, neq; temerè admittendus.*

57 *Georgius Romanus præfectus Iustiniani Imperatoris, noluit Persicam legationem intra mœnia urbis Daræ admittere: & quare.*

58 *Vngarorum legatio ad Fridericum III. Imp. ternos quidem legatos, sed tria millia comitum habuit.*

59 *Coronam sacram regni Vngariæ Imp. Frider. tutor regis pupilli custodivit.*

60 *Vnus tantùm legatorum Vng. cum ducentis equitibus in urbem intromissus.*

61 *Legationis splendor non tam in pompa comitatus, atque ornatus, quàm in prudentia legati positus.*

62 *Barbarorum opinio, quòd illustrior legatio magno numero comitum & ornatu fiat.*

63 *Soldanus Babylonicus, & Lusitaniæ reges magnum comitatum legationis mittere soliti.*

64 *Regum ad reges legationes splendidiores.*

65 *Fri-*

65 Friderici III. regis Daniæ ad reginam Angliæ legatio quanto numero.
66 Navalis legatio plures comites ad ministeria nautica opus habet.
67 Regum Galliæ legationes odiosæ quondam, quòd sine omni pompa & auctoritate fuerint.
68 Poloni contemptim & indignè tulerunt, unam ad se rhedam legationis nomine ab imperii principibus missæ venire.
69 Non quàm multi, sed quàm boni sint comites, refert plurimùm.
70 Quod genus famuli & comites non assumendi.
71 Ob comitum delicta legatus tenetur.
72 Sæpè ob unius ministri lasciviam & injuriam ingens periculum & turba oboritur.
73 Qui adolescentes publicis sumptibus in comitatu legationis habendi.
74 Volones olim in militia dicti, qui volentes ultrò militabant propriis stipendiis.
75 Fœmina an comitari virum debeat ad exteras gentes, deliberatum est olim Romano in senatu.
76 Melius sine uxore proficisci.
77 Proconsulis & legati profectiones diversæ.
78 Vxorius comitatus legationis cursui impedimento.
79 Fœminam veteres Romani comitem viri in castra esse nolebant, idq; nefas habitum.
80 Cleopatra ob id à Vergilio vituperata, quòd Antonii castra secuta.
81 Multa legationi incommoda ex uxorio comitatu oriri queunt.
82 Vxorius comitatus legati auctoritatem apud exteros tanquam uxorii imminuit.
83 Iulius Cæsar uxorius, & Iustinianus Imperator cognominatus.
84 In veterum legationibus uxorii comitatus non est exemplum.
85 Longioribus legationibus præstat cælibem quàm maritum adhibere.

Lega-

Legationis apparatus ita instituendus est, ut non modò ne-
1 gotii necessitati, verùm etiam pompæ fulgori, quæ pro di-
gnitate tum mittentis, tum ejus, ad quem mittitur, instruenda,
satisfaciat, quò majorem auctoritatem in exterorum oculis, ac
2 vulgi etiam conspectu habeat. Ubi enim plurimum auctorita-
3 tis, ibi minimum vanitatis esse animadvertitur. Pompæ autem
instructio tum numerum, tum ornatum convenientem lega-
l. 7 ff. ad leg. Iul. de vi publ. tioni requirit. Numerus mittendorum bifariam consideratur:
Aut ipsorũ legatorũ, qui collegæ legationis habentur, aut co-
4 mitũ est, qui partim pro satellitio & ministerio, partim, ut tan-
l. 4. §. 1. ff de off. procur. & legat. tùm numerus sint, & pompã augeant, adjiciuntur. Sed quém-
nam legatorũ numerum habendũ existimabimus? Multitudo
certè omnis consiliorum & actionum concordiæ, quæ in lega-
5 tionis administratione requiritur, infesta & contraria, secun-
dum illud triviale: Quot capita, tot sententiæ. Ac plures qui-
6 dem in legatione mittere nõ tam legationi, quàm legioni con-
venire videtur: sed pauciores, quàm tum negotii gravitas, tum
7 missionis dignitas postulet, sordidum, & cum contemptu con-
junctum. Nam & Demetrium regem indignè tulisse Lacedæ-
8 moniorum ad se legationem legimus, cùm sordidè & contem-
ptim unum, cumque in comitatum misisset, & exclamasse:
Plut. in v. Rom. Unúmne ad me, Lacedæmonii? Cui quidem legatus scitè, &
9 breviter, sed non ad legationis decorum & pompam, ἓν πρὸς ἕνα,
Unus ad unum, respondit. Romani magnificentiores, qui non-
10 nunquam legationi quatuor personas gravissimas legebant;
quemadmodum & feciales quatuor, ad indicenda bella, ad res
ablatas repetendas perpetuò missi, teste Nonio. Nonnunquã
tit. ff. de offic. procons. & leg. quinq;: ut in illa ad Attalum. Quandoq; pro majore splendo-
re, decem missi. De istis autem legatis, qui proconsuli adjun-
11 cti, quiq; Imperatoribus ad legationes & exercitus additi, hoc
loco nihil loquor, cùm ad nostrum legatum non pertineant:
Pro-

Proconſulis legato, ut ſuprà demonſtratum eſt, mandari juriſ- *l.12.l.15.ff.de*
dictio poterat, ut judicem daret, tutorem conſtitueret. Lega- *off.procons.*
tus militaris animadvertere etiam in criminoſos poterat: ut 12
de Trebio Germano legato Macianus teſtatur. At nihil legatus 13
noſter, qui jure gentium apud exteros inviolabilis erat, juriſdi- 14
ctionis habet. Ejuſmodi verò legatos, quos caſtrenſes poſſis 15
appellare, decretos Pompejo viginti quinq; eſſe teſtatur Ap- 16
pianus. Proconſul, quos volebat, ipſe legebat, unde Cicero fra- *Cic. Epiſt. 1. ad Quintū fratrē.*
tri ſuo gratulatur, quòd Aſiæ proconſul tres optimos legatos 17
legerit, Tuberonem, Halienum, Gatidium; ſed majorem nu-
merum legatorum, quos propriè Oratores dictos ſuprà oſten- *l.7.ff.ad l.Iul.*
dimus, idq; Ulpianus docet, Romani rariſſimè miſerunt. Re- *de vi publ.*
gii profectò illud ſplendoris apud Virgilium eſt, cùm Æneas: 18

Centum Oratores delectos ordine ab omni
Ire jubet.

Eratq; illa majoris pompæ oſtentatio, adventanti Æneæ ad ignotum populum neceſſaria, & ad terrendum, & ad exiſtimationem ſui majorem exſuſcitandam, ne cùm exul eſſet, contemni illius potentia & facultates ab indigenis poſſent. Ac eodē
fine Artaxerxes, Perſarum rex, quadringentos & proceritate 19
corporis, & veſtitus elegantia, aureoque cultu ornatiſſimos,
equis ac telis armatos ad Alexandrum Imp. Rom. miſiſſe legi- *Herodia. in vit. Alex.*
tur. Et centum ſenatores gratulatū, officii ac honoris gratia ad
Severum Imp. à ſenatu populoq; Romano miſſos eſſe teſta- 20
tur Spartianus. Sed hoc quidem in illis miſſionibus ita fieri o- *Spart. in v. Sev.*
portet, quibus, cùm honoris & officii ergò fiant, ſplendore co-
piæ ornatuq; opus. Quò referendum & illud erit, cùm ad Ma- 21
ximum Imp. occiſo Maximino tyranno, viginti ſenatores, quos
inter quatuor pretorii, quæſtorii octo, ad urbem adventantem
emiſſi. In reliquis negotiorum ergò, & ad longinquas oras in- 22
ſtitutis legationibus tum expeditius & commodius, tum con- 23

O ſultius

24 sultius pauciores mitti. Belum, regem Babylonium, quem omnium primum legationem emisisse scribunt, adhibuisse
Isiod lib 4. duos, Isiodorus testatur, unum, qui oraret, alterũ, qui antesta-
25 retur. Municipalis certè legationis numerum edicto præscri-
l.4.§.6 ff. de leg. psit Vespasianus, quem attentissimum ad rem fuisse cognovi-
26 mus, ne plures quàm ternos mitterent. Verùm illud edictum nostris legationibus dari nequit, cùm nemo exterorum alteri præscribere numerum legatorum aut comitum possit: Ad-
27 versus subditos edictorum vis, unde Comitialibus conventi-
Avent. in An. Boj. bus legimus nonnunquam numerum præscriptum ab imperatoribus esse, quot quisq; pro statu & dignitate sua adducere
28 copias & comites debeat. Sed tamen ratio edicti à Vespasiano facti ad numerum legationis cujusvis accommodari poterit. Quæ illa? minoris sumptus & impendii, minorisque impedimenti esse legationem, quæ paucitatem, quàm quæ copiosum
29 agmen trahat. Ut itaq; unum mitti, nisi vel negotii exiguitas, vel ejus, ad quem mittitur, conditio non aliter ferat, dissuaden-
30 dum: cùm arduæ provinciæ legationis, quæ instar multorum
l.14.§.1.C. de assess. aliorum negotiorum, unus sufficere non facilè possit, pluresq; oculi, ut vulgò dictitant, plus videant, quàm unus, omnisque
31 sententia firmitatem majorem consequatur, si ab altero fuerit
Plat. in Protag. etiam comprobata, ut Plato docet, minusque in suspicionem
32 veniant duo, quàm unus. Idemq; moneat illud Homericum:
33 Σὺν δύ' ἐρχομένω, &c. *Duobus simul euntibus:* contrà verò plures quàm binos aut ternos mittere collegas legationis, tum consi-
34 liorum consensui, tum negotii expeditioni officit. Nam pluribus, quod commissum est, plerumq; segnius & tardius expeditur: moveturque quidem, sed non promovetur: more illius
35 animalculi, quod millepedam à numero pedum, Græci ἴȣλον
Plin lib. nat. hist. 19. c 6. nuncupant, quod licet mille pedes habeat, omnium tamen re-
Had. jun. in Embl. ptilium est tardissimum, teste Chrysostomo. Verùm quotquot

mit-

mittantur, quod in mittentis arbitrio positum erit, pluribus
missis, unum ex pluribus principem & caput legationis eligi, 36
perquàm consultum legationi erit, idq; more omniũ gentium
prudenter institutũ & observatum. Ita enim legationis, quam 37
Pyrrhus ad Romanos misit, princeps & caput erat Cyneas. In
Ætholorum ad eosdem missione Phineam cognoscimus. In 38
Philippi regis ad Hannibalem eminet Xenophanes. At princi- 39
pis est cæteris antecellere, & in omnibus gravioribus legatio-
nis officiis præire. Huncq; à perorandi munere, oratorem κατ' *d.l.7.ff.ad l.Iul.*
ἐξοχὴν nominabant, ut suprà ostendi, & eo sensu lex illa intelli- *de vi publ.*
genda, quæ legatos, ac oratores, tanquam diversas species vi- 40
detur sejungere. In cujus legis explicatione meritò rejicitur
glossa Accursii, qui per oratores ibidem intelligit Doctores ar- 41
tium. Legendus autẽ ille princeps & orator est, qui tum scien- 42
tia & eloquentia, tum prudentia præstantior. Nonnunquam
tamen generis nobilitas, neq; sine causa, prefertur. Ita Phœnix,
qui & ætate, & consilio, & eloquentia reliquis antecellebat, le- 43
gationis caput constituitur apud Homerum missæ à rege Aga-
memnone ad principem Achillem. Eodem modo Ilioneus 44
Vergilianus orator reliquis præficitur. Sylla, etsi natu minor,
cùm ad Lybiæ regem Bochum, cum A. Manlio & Marco mitte- 45
retur, duobus tum collegis locum præripuit, quòd ingenii &
linguæ donis antecelleret. Ita etiam Terentius Varro, vir do- 46
ctissimus, etsi homo novus, reliquis tamen suis collegis in
legationis munere præpositus. Solent hodie prudenti consilio
in legationibus, cùm duo aut terni mittuntur, generis nobili- 47
tas & doctrinæ claritudo conjungi, ex utroq; ordine viris de-
lectis, quorum alter lumen sanguinis, quod maximum apud
aulicos intuitum hbet, alter ingenii, quod causam dirigit &
moderatur, auctoritatem affert. Sed in illa copula providen- 48
dum, ne qui nobilis est, spiritu & animo contra collegam igno-

 bilem

bilem intumescat, & tanquam imparem superciliosè contemnat. Quod doctissimo Polonorum Cromero contigisse scri-
49 bit Warsevicius, quando cum nobili quodam Palatino missus erat, qui, cùm juberentur uterq; ire sessum, collegam suum, quòd eodem scamno cum ignobili sedere dedignaretur, sella de industria exclusit. Quod cùm imperator Ferdinandus, ad quem missi erant, animadverteret: ita, inquit ad nobilem, sellam occupes, ut etiam alter, qui collega tuus est, sedere possit. Eam verò insolentiam & ambitionem inter collegas esse nullo modo expedit. Incidisse inter Persicos illos, qui superiore anno
50 emissi, eandem contentionem & rixam ex impare utriusq; legati conditione, nobis postea relatum fuit. Etsi enim Persa ętate grandior, & statu illustrior (dicebatur enim unus ex principibus regni esse) alter tamen princeps & caput legationis esse volebat, qui sese Anglicum nobilem ferebat, quod non obscurè animadversum est seniorem ægrè tulisse. Jungendi itaq; aut paris conditionis & generis: aut illi, qui iis moribus, ut æmulationis ac ambitionis studium inter sese non facilè sint susce-
51 pturi. Nihil enim privati affectus publico bono obstare debent, exemplo duorum Atheniensium, Aristidis & Themisto-
52 clis, qui cùm in legatione collegæ jungerentur, veteres inimicitias & simultates, donec in illo officio erant, seponebant. Sed *Plut. in Apoph.*
53 & comitum numerum inspiciamus. Quantus ille? Ut tum legationis, tum mittentis, tum missi dignitati, & facultatum modo conveniat. Catonis quidem ille comitatus infra legationis
54 pompam fuit, quem uno & altero puero contentum fuisse Plutarchus scribit. Verùm & ille ultra justum modum, quem *Plut. in v. Cat.*
55 Cosrhois Persarum regis legatus, Isdigunnas, ad Justinianum deduxisse memoratur. Quingentos enim ille comites tanquā exercitum habuit, teste Procopio. Nec verò tantus comitatus *Proc. lib. 2. de bello Persico.*
56 legationis justum splendorem & gratiam solùm excedit, sed & suspi-

ſuſpicionem non legationis, ſed legionis hoſtilis affert. Eamq; ob cauſam non temerè tantus numerus ſub ſpecie legationis
admittendus. Qua ratione motum Daræ urbis præfectum 57
Georgium Romanum, recipere intra mœnia tantas legationis Perſicæ copias noluiſſe, idem author docet, quòd non more legati, ſed hoſtis veniſſet. Longè verò majore numero Ungari- 58
cos legatos ad Fridericum III. Imp. contendiſſe teſtatur Bonfinius. Terni quidem legati erant, comitum verò tria millia, 59
qui ſe ſacræ coronæ exoſculandæ gratia, quam imperator, tum temporis pupilli regis tutor, apud ſe in depoſito retinebat, affluxiſſe cum legatis, religionis impulſu, aſſerebant. Verùm dolum ſubeſſe ratus imperator, ſuæ Viennæ portas undiq; occluſit, petentibusq; jure legationis ingreſſum: non ille, inquit, legationis, ſed legionis & exercitus hoſtilis adventus apparet: neq; verò, niſi unus tantùm legatorum cum ducentis equitibus, ad audientiam intromiſſus. Moderanda itaq; hujus rei ra- 60
tio eſt, ne vel infra vel ultra legationis modum comitatus inſtituatur, ne magis oneri, quàm honori, tam mittenti, quàm illi, ad quem mittitur, habeatur. Siquidem legationis ſplendor & majeſtas, ſapientum judicio, non tam in pompa & ornatu externo, quàm in legati ipſius prudentia & auctoritate conſiſtat.
Quod doctiſſimum Germaniæ quendam principem in comi- 61
tia ad ſuos ſcribere memini, ſecus, ac barbararũ gentium opiniones ſunt, quæ legationis exiſtimationem longo comitum 62
ordine magnificentiorem fieri arbitrantur: quemadmodum de Soldano Babylonico refert Petrus Martyr, & de Luſitani re- 63
gis in Hiſpaniam legatione notum eſt, inſtar exercitus eandem appuliſſe. Regum quidem ad reges legationes magnificentiorès eſſe oportet, ut ad Æneæ Vergiliani exemplum, centum aut 64
etiam plures in toto legationis corpore mittantur, ſed mille, aut aliquot millia, mitti, ultra legationis imperatoriæ modum.

Bonf. lib. 10. decad. 11. Vng. rer.

Mar. lib. 2. reg. Babyl.

Warſ. de leg.

65 Daniæ regis Friderici II. legatio illa admodum magnifica erat,
& magnificè foris habita, quam ad Elisabetham, Anno 1597.
Angliæ reginam mittebat. Vidi tum temporis totum apparatum
trium navium, quibus trecenti nobiles & ignobiles, remiges
ac naucleri, atq; satellites imponebantur; nobilissimo viro
Ramuele, cancellario regio, legationis principe. Numerus le-
66 gationis tantæ splendori conveniens: siquidem navali legatio-
ni pluribus adminiculis ministeriis nauticis opus. Regum verò
67 Galliæ legationes eam ob causam sæpenumerò & contemptu
exceptas esse, & in odium venisse apud exteros reges & princi-
pes potentes, qui nullum fermè comitatus, aut solennis mis-
sionis pompam & apparatum, tanquã privatorum negotium (*Warsf. in orat. de legat.*)
esset, haberent, teste Warsevicio. Et quid Poloni superioribus
68 annis, cùm principum imperii legationem ad se missum iri co-
gnovissent, magnoque numero in occursum eidem ire consti-
tuissent, unam ad se rhedam venire, legationis nomine ab im-
69 perio missæ, contemptim & indignè dicuntur tulisse. Sed non
tam refert, quàm multos, sed quàm bonos & frugi comites ha-
beas, quique honestamento legationis comitatui esse possint.
70 Procul itaque sycophantæ, ganeones, lenones, parasiti, infa-
miumque manipulus, procul rixosi & contentiosi ardeliones,
71 quorũ familiam ducere, tibi probro & opprobrio, cùm etiam
(*l.24. ff. de judic.*) illorum delicta in legatum redundent, non secus ac propria
72 commissa, plurimumq; sæpè turbæ & periculi vel ex unius fa-
muli injuria ac lascivia oboriri queat. Idem gravissimè monens (*Cic. Ver. 2.*)
noster Orator: *Si innocentes, inquit, existimare volumus, non solùm
nos abstinentes, sed etiam nostros præstare debemus. Primùm itaque
omnium danda opera, ut eos nobiscum ducamus, qui nostræ famæ capi-
tiq; consulant: deinde si in hominibus eligendis nos spes amicitiæ fefel-
lerit, ut vindices & missos faciamus, semperq; ita vivamus, ut ratio-
nem reddendam nobis arbitremur.* Illud autem consultissimum,
ac

ac maximè utile regno, & reipubl. decorum, publicis sumptibus in legationis comitatu, tum generis, tum bonæ spei adole- 73
scentes mitti, qui exterorum mores, linguas, instituta, loca, regiones urbesq; lustrent, legationisq; administrandæ rationem perspiciant, ut & ipsi aliquando legationis partibus defungi maxima cum laude queant. Nec illi non summoperè laudandi juvenes, qui virtutis causa propriis etiam sumptibus legatum sequuntur, non secus ac olim illi, quos Volones appellant, qui 74
propriis stipendiis imperatori exercituum adhærebant, ut artes imperatorias addiscerent. *Tol. Sym. lib. 19. c. 3. & 24.* Nec verò desinemus unquam de salute patriæ quàm optimè & præclarissimè sperare, quàm diu his veræ gloriæ adipiscendæ vestigiis nobilissimam pubem inniti videamus. Quod certè non singulari voluptate fieri hoc tempore animadvertimus. Dum enim legatum hunc nostrum extremis anni hujus noni mensibus ad incudem revocamus, electoralem ex Saxonia ad Christianissimum regem mitti legationem audimus, quæ non modò justo, de quo hîc agimus, ministrorum ac comitum numero, verùm etiam nobilissimorum juvenum, qui ultrò sese comitatui aggregarint, ornamento florentissima Galliam intraverit. Cujus quidem honorificæ missionis fama eò gratior nostris auribus accidit, quòd intimum nostrum amicum, D. Burchardum Lucanum, longè amplissimi JCti aç cancellarii Saxoniç, Marci Gerstenbergeri generum, cum illustri Comite Mansfeldico præesse huic legationi singulari cum voluptate cognoscamus. Cui non possumus, quin de hoc summo munere & itinere hæreditario (nec enim ignoramus patrem illius virum clarissimum, Davidem Lucanum, Gallicanæ legationis honore sæpiùs gloriosè perfunctum) plurimum gratulemur. Sed quid hoc loco de fœmina? An illam in comitatu legati esse patiemur? Consultatum esse de eadem re in senatu Romanorum legimus, contendentibus inter se Se- *Tac. lib. 3. Ann.*

vero

75 vero Cæcinna, & Meſſalino, cujus rei mentionem etiam in le-
l.4.§.2. ff de off. gibus Ulpianus fecit. Sed quid ibi? *Melius*, ſcribitur, *ſine uxore*
procons. *proconſule proficiſci*. Multò itaq; meliùs legatus, cujus profectio
76 multò gravioribus rationibus ſuſcipitur, quàm proconſulis.
l.16. C. de Curſ. Ille ad officium provinciale ibat, interq; ſubditos manebat: le-
publ. l.137. ff. de V.O. gatus ad exteros, quos ignorat, exit: legatus noctes dieſq; fe-
78 ſtinat, properat, & diplomate currit. Impedimento autē uxo-
79 rius comitatus illis omnibus erit. Quid, quòd & Romani vete-
80 res in caſtra venire comitem mulierem noluerint? Unde Ver-
gilius de impudentia Cleopatræ, quæ Antonii exercitum ſe-
quebatur: *ſequiturq́; (nefas) Ægyptia conjunx*. Multò certè magis
abeſſe à legationis comitatu debet, quæ irrequieto curſū, nul-
81 lam moram patitur. Adde reliqua uxorii comitatus incom-
moda: arcana legationis poſſunt illius garrulitate facilè explo-
rari, poteſt, ſi elegans uxor ſit, in periculum maritus apud exte-
82 ros devenire: poteſt eadem in occaſionē adulterii: ſed & uxor
viro adhærens legati auctoritatem ac gravitatem apud exteros
multum imminuit, quòd uxorius ſit, & obſequio muliebri tra-
83 hatur. Quod etiam opprobrium effugere graviſſimi viri non
potuerunt, & ipſi Julio Cæſari hoc vitio verſum. Nónne Juſti-
nianus imperator uxorius ab omnibus habitus eſt, quòd aſſi-
Nov. 8. c. 1. dere ſibi uxorem in conſilio paſſus? ut ipſe de ſe ſcribit. Æneas
Vergilii cogitur idem à nuncio Deorum audire: *pulchramq́;*
uxorius urbem extruis. Nec verò, ut ſuprà diſputatū, fœminam
84 pudor naturalis peregrinari inter viros patitur. Neq; exempla
veterum legatorum comitatum uxorium nobis reliquerunt.
Longioribus itaque legationibus præſtiterit cœlibem & innu-
bum, quàm maritum adhibere, quem deſiderium dome-
ſticæ conſuetudinis domo diutius abſentem
minùs ſtimulare poſſit.

Cap.

CAP. VII.

Quomodo mittendi.

SUMMARIA.

1 *Peculiarem actum publica negotia habent.*
2 *Solenniter quid dicatur fieri.*
3 *Legationis solennitas duplex.*
4 *Mandatum est legationis forma.*
5 *Procurator sine mandato non admittitur.*
6 *Legati sine mandatorum literis non temere admittuntur.*
7 *Neq. summorum principum legati sine iisdem admittuntur.*
8 *Phaneas Ætholorum legatus.*
9 *Sine mandatis agere legato periculosum.*
10 *Tassilonis legatorum periculum.*
11 *Mandata legationis sola literarum probatione nituntur.*
12 *In fiscalibus causis, ut in omnibus aliis officialibus, principum mandatorum fides literis probatur.*
13 *Legatus ut maximè amissionem literarum probare cupiat, non admittitur sine literis.*
14 *Graviora negotia plus cautionis ac diligentiæ desiderant.*
15 *Egregias & nobilissimas personas sine literis admitti non tam juris quàm facti.*
16 *Imperatorii legati literis sese instructi offerunt.*
17 *Sine alis volare difficile.*
18 *Legationis literæ duplices.*
19 *In rem legationis conceptæ quæ?*
20 *Instructio antiquitùs commonitorium dicta, & quid illa contineat.*
21 *In personam acceptæ literæ itidem duplices.*
22 *Commendationis & fidei literæ quid differant.*

P 23 *Man-*

23 *Mandata legationum aut definita sunt, aut absoluta.*
24 *Virgiliana legationis exemplum definitum mandatum habet.*
25 *Venulus Virgilianus legatus ad Diomedem cum mandato definito missus.*
26 *Absoluta mandata quibus negotiis dentur.*
27 *Lacedæmoniorum legati Athenas missi cum mandato libero.*
28 *Inhonesta non debent neq; possunt mandari.*
29 *M. Clodius mandato libero abusus cum hoste turpem pacem fecit, ob idq; punitus est.*
30 *Venturius cum Samnitibus fœdere turpiter nitro excusari liberi mandati ratione non potuit.*
31 *Definitis mandatis solet nonnunquam addi clausula libera.*
32 *Clausulæ liberæ exemplum.*
33 *Clausula libera à libero mandato quomodo differat.*
34 *Clausula restringit sese ad id, cui est annexa.*
35 *Intellectus mandati optimè percipiendus.*
36 *Mandata volunt nonnulli obscurioribus debere verbis scribi, & quare.*
37 *Mandata perspicua dari commodius.*
38 *Legatum non solùm oportet rectum, sed etiam tectum esse.*
39 *Instructionibus expiscandis solent insidiæ collocari, & in ea re industrius fuit Maximil. II.*
40 *Mandata sunt quædam occulta, quæ non omnia licita.*
41 *Mandata occulta quæ sint licita.*
42 *Scipio ad Antiochum cum occulto mandato missus.*
43 *Hostium consilia, amicitias & fœdera occultis rationibus disturbare licitum, & in eo olim ingeniosi Romani adversus Achæos.*
44 *Samnitium legati occulto cum mandato Romam missi, ut Fabricium pecuniis corrumperent.*
45 *Antiochi legatus occultum mandatum quod habuerit.*
46 *Occulta mandata quæ illicita exemplo Hannibalis declaratum.*

47 *Man-*

47 *Mandatum Severi Imperatoris mandatum legatis ad Albinum missis injunctum.*
48 *Mandata illicita non solent literis, sed secretis notis comprehendi.*
49 *Tyrius legatus Antiochi quibus notis usus.*
50 *In illicitis mandatis tam mandans, quàm mandatarius, si suscipiat inhonesta, pœna dignus.*
51 *Legationibus adhibita olim ceremoniæ.*
52 *Ceremoniæ aliæ bellicis, aliæ togatis functionibus adhibitæ.*
53 *Sagmina quæ fuerint veterum.*
54 *Verbenarius quis appellatus.*
55 *Livii locus emendatus.*
56 *Laneo filo ornati veteres & stola purpurea.*
57 *Cerytia Græcorum quæ fuerint.*
58 *Corona & folia vice caducei.*
59 *Villus lupinus pro caduceo ad Nergobrigas.*
60 *Vestem suæ gentis legatus gestet.*
61 *Prothei similes quæ illicò se in alienas oras delati exuunt.*
62 *Alexandro Magno vitio versum, quòd patrium habitum deseruerit.*
63 *Vestem genticam respuens, patriam scilicet ipse aspernatur.*
64 *Fecialium, qui Heroldi hodie, amictus.*
65 *Moscovitæ in legationibus sine solenni ornatu non orant.*
66 *Romani aureos suis legatis annulos ex publico dederunt.*
67 *Infra dignitatem personæ vestitus ne sit, neq; ad exemplum Rodolphi I.*
68 *Socrates pulcher ad pulchrum ire voluit.*
69 *Decorum vestitus pro conditione & ætate habendum.*
70 *Legati ex Turcarum palatio ob vestitum rejecti.*
71 *Rubei panni objectu boves non sunt efferandi.*

CUm publica missio legatio sit, quæ auctoritatem, & ut Livius loquitur, majestatem publicã ferat, habeantq; omnia

illa, quæ auctoritatis publicæ splendore fiunt, quendam actum
1 peculiarem, quo à privatis aliis negotiis & actionibus discernantur, operæ precium erit hoc capite cognoscere, quomodo legati mittendi sint. Diximus in definitione legatum esse, qui solenniter missus sit. Solenniter autem intelligitur illud fieri,
2 quod eodem modo & ritu peragitur, quo peragi semper consuevit. Cæterùm missionis solennitas partim in forma legationis, partim in accidentibus, ut in scholis loquuntur, consistit.
Bod lib. 1. de rep. n. 163.
3 Formalis solennitas illa est, quæ ad mandatum, in quo forma legationis consistit, pertinet. Mandatum siquidem est, quod
4 legationem informat, & negotia, quæ legationis materies, dirigit & ordinat. Sine mandato itaq; legatus mitti omninò ne-
5 quit. Quemadmodum enim procuratorem nemo audit, cujus non ante mandatum rei gerendæ viderit, aut ejus exhibendi fidem ac cautionem acceperit: Ita & legati, nisi mandatorum
l. 2. C. de coll. fund. fisc.
6 suorum literas ostenderint, aut ægrè admittuntur, aut re infecta remittuntur. Quamobrem rectè Tullius scripsit: *Nihil turpius haberi, quàm sine procuratione senatorem, & sine mandato legatũ existere.* Quod adeò verum, ut neq; summi principis legato, cu-
Cic. lib. 3. de leg.
7 juscunq; etiã dignitatis & ordinis ille sit, etsi cum mandatis secretis advenisse se asserat, credi debeat, si non ante literas mandatorum suorum ostenderit: quemadmodum rescriptum est à tribus Imperatoribus, Gratiano, Valent. & Theod. ad Fusignium præfectum præt. Romanorum exemplis res ea perspi-
l. 1. C. de mand. princip.
8 cua. Ætholorum legatus Phaneas, referente Livio, longa oratione habita, ut gratiam consulis Romani, favoremq; suis reconciliaret, tandem Ætholos, inquit, seq; suaq; omnia fidei & patrocinio populi Romani committere. Ad quæ consul de mandato ejus oblationis subdubitans, videte, inquit, Æthóli, ut ita concedatis. Tum Phaneas extemplò mandatum, quod disertè & liquidò de ea re conceptũ erat, protulit, fidemq; legatio-
Liv. lib. 6.

gationis suæ asseruit: & quidem prudenter ille. Nam periculum legatorũ in eo ingens vertitur, si sine mandato quicquam 9
agant & proloquantur. Trahuntur enim illicò in fraudis suspicionem, neque ampliùs legationis jure securitatem merentur. Quæ res olim in primordio ferè Germanici imperii malè cessit, Ducis Bavariæ Tassilonis legatis, ad Pontificem Adria- 10
num missis. Cùm enim ejus negotii, quod à Pontifice contendebant, mandatum exhibere non possent, parum abfuit, quin Pontificii anathematis fulmine percussi, extra Christiani orbis orbitam relegarentur. Ut igitur tanquam ad formam legationi inducendam, mandato opus est: Ita ad legatorum fidem & auctoritatem, literæ, quibus mandati concessio approbatur, requiruntur. Solennitas itaq; prima missionis, tum in mandato legationis suscipiendo, tum in literis mandatorum testibus constituitur. Etsi enim reliqua, quæ communi jure suscipiuntur, non solùm instrumentis, sed & testium confirmationibus probari posse, communis Dd. opinio sit: Alia tamen ratio in le- 11
gatorum mandatis est, quæ solis literarum probationibus innituntur, haud secus, ac in omnibus aliis officialibus principum, etiam in causis fiscalibus hoc juris est, ut nisi mandatorum suorum literas, illis quibus oportet, ostenderint, nihil iisdem fidei habeatur. Quod quidem in legati mandato tam arctè tenen- 12
dum, ut si fortè literas itineris casu ille amiserit, earumq; amissionem probare cupiat, sine literis tamen admitti ad exponen- 13
dum mandatum non possit, secus, quàm in aliorum instrumentorum amissionibus juris & moris habetur. Nec injuria: Gravissimum enim legationis negotium est, ac res majoris periculi, eamq; ob causam cautionis ac diligentiæ eidem plus ad- 14
hiberi debet, secundũ illud, quod Pontifex Gregorius ex generali Lugdunensi concilio scripsit. Volunt tamen vulgò egregiis, & prima nobilitate viris, si illorum virtus & integritas nota sit,

Aimon. Hist. Franc. lib. 4. c. 5. Brun. lib. 1. c. 8. de leg.

Spec. in tit. de procurat. Brun. l. 1. C. d. l. d. l. 1. C. de man. princ. l. 5. C. de jur. fisc.

c. ubi pericul. de elect. Sext.

l.un.§.1 ff.de off.pref.prat. Zabar Card.in §.nos itaq; de jurejur. pra.l.1. o.8.d.c.

ta sit, etiam sine literis credi debere, tum propter missæ perso-
næ dignitatem, quæ literarum defectum supplet, tum verò
maximè ob mittentis honorem. Quod tamen non tam juris,
quàm facti est, ac si fortè hîc receptum, illic idem rejectum,
15 quandoquidem ut nunc hujus seculi manus oculatæ sunt, ne-
mo facilè credat, nisi cum Thoma, quod tangi possit, videat, si-
quidem undiq; fraudis abundè est, ut Vergilius canit. Hinc &
16 imperatorum & regum, summorumq; principum legatos ho-
die videre est, literis venire instructos, quibus mandatorum fi-
17 dem stabiliant. Quemadmodum igitur sine alis volare, ut Plau-
tus ait, difficile: Ita legatum sine literis emittere, incivile. Lite-
ræ autem illæ duplicis generis sunt, aliæ in rem legationis, aliæ
18 in personam conceptæ. In rem sunt iterum duplices, aut sunt
literæ mandati, aut instructionis. Illæ continent mittentis jus-
sum, & potestatem conficiendi per legatum id, cujus gratia
missus est: suntq; instar vinculi, quod legatum primùm obli-
19 gat, ut quæ mandati vi & verbo continentur, mittentis nomi-
ne perficere teneatur: deinde mittentem obstringit, ut quam
legatus secundum tenorem mandati, mittentis nomine, cum
illo, ad quem missus est, egerit, grata & rata habere mittens co-
gatur. Illos denique, qui cum legato nomine mittentis egerunt
& contraxerunt, devincit, ut inita pacta, conventiones & pla-
20 cita servent. Instructio verò, quam commonitorium antiqui
nuncuparunt, continet modum & rationem mandati exe-
quendi, formamq; & ordinē negotii in legationis scena agen-
di, estque velut explicatio, & interpretatio mandati, quatenus
mittens velit extendi, quatenus restringi & limitari: quid πα-
ρέργως adjici, quid omitti: suntq; legationis tanquam limites &
cancelli, quos ultra mandatarium transilire non oportet. In
21 personam conceptæ literæ sunt itidem duplicis generis: unæ
commendationis, alteræ fidei, quas vulgus credentiæ appellat.
Illæ

Brun.lib.1.de legat.c.11.ex Leon.Pap.epist. 44. ad Anathol.Episcop. Constantinop.

Illæ, legati perſonam, iis, ad quos mittitur, commendatam faciunt: hæ, plenam adhibendam ipſi fidem eſſe, in legationis 22
præſentis actu, mandatisque negotiis, teſtificantur, & confirmant. Illæ legatum omnibus acceptum: hæ in præſente negotio facta & dicta ejus acceptabilia faciunt. Illæ in genere perſonam: hæ ſpeciatim fidem perſonæ in uno & altero negocio commendant: quarum tenore, nihil poſſunt miſſi in mittentis præjudicium & detrimentum agere: neque obligationem ullam pariunt, cùm mandatum negotii nullum complectantur, ſed perſonæ commendationes tantummodò contineant.

Cæterùm mandata, quæ legatis injunguntur, aut definita ſunt, 23
aut abſoluta, quæ libera vulgo appellantur. Definita, quæ certi alicujus negotii poteſtatem conficiendi committunt: Quale illud Vergiliani Æneæ:

Centum oratores augusta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnis
Donaq; ferre viro pacemq; exposcere Teucris.

Mandatum, quod hîc audis, certi negotii & definitum eſt his 24
duabus actionibus: Pacem petant legati, & ſimul regem muneribus honorent. Ita apud eundem:

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem, Verg. Æn. 8.
Qui petat auxilium, & Latio consistere Teucros,
Advectum Æneam classi, victosq; penates
Inferri, & fatis regem se dicere posci,
Edoceat, multasq; viro se adjungere gentes
Dardanio, & latè Latio increbrescere nomen,
Quid struat his ceptis, quem si fortuna sequatur,
Eventum pugnæ cupiant manifestius ipsi,
Quàm Turno regi, aut regi apparere Latino.

Definitum hoc eſt mandatum, quod Venulo datur legato ad 25
Diomedem: Petat videlicet ab illo auxilium, & ſimul conſilium.

lium. Absoluta autem, seu libera mandata pro re nata, potesta-
26 tem liberam negotii expediendi, legati prudentię & fidei committunt, in his rebus, quarum consilium & moderatio certa haberi nequit, uti suprà in Ætholorum legationis exemplo o-
27 stendi. Ejusmodi legationis mandatum afferebant Lacedæmonii, Athenas missi: qui ὡς αὐτοκράτορες ἥκουσι: verba legatorum,
Thucyd. lib. 5. apud Thucyd. περὶ πάντων ξυμβῆναι τῶν διαφόρων: *venerunt cum potestate summa, de omnibus cõtroversiis transigendis:* quod vetus scholiastes παραφραστικῶς ita reddidit: ἥκουσι ἐξουσίαν ἔχοντες περὶ τῶν ὅλων, ὡς ὅτι
Hen. St. in Not. ad d. loc. ἂν οὗτοι κελεύσωσιν ἀρεστὸν ἂν γένοιτο τοῖς Λακεδαιμονίοις, h. e. *Venerant cum licentia de omnibus rebus agendi, ita ut quicquid ipsi constituissent, Lacedæmoniis esset gratũ & ratum futurum.* Oportet itaq; eam hujus legati prudentiã esse, ut sub manu, quod dicitur, & cum pugile in arena, consilium expeditum habere possit. Excipitur autem in omni absoluti mandati cõcessione illud, quod fraudi & tur-
28 pitudini est. Nihil enim inhonestum, nihil fœdum & illicitum,
l. 27. § 4 ff. de pact. l. 16 ff. de verb. obl. nihil quod juri contrarium, ullo pacto, nedum mandato contineri intelligitur. Unde M. Clodium, cùm, libero mandato le-
29 gationis accepto, turpem cum hostibus fecisset pacem, hosti-
Val Max. l. 6. c. 3. bus senatus Romanus dedendum judicavit, ac si ab hostibus nõ acciperetur, in carcere enecandum. Nec Venturium liberi
30 mandati potestas, quòd cum Samnitibus fœdus turpiter pepi-
Idem lib. 6. c. 1. gisset, excusare potuit, quin pœnas turpitudinis perpetratę daret. Solet etiã definitis mandatis nonnunquã hæc clausula, quę
31 vim mandati liberi habet, annecti, ut, quæ mandati verbis non fuerint comprehensa, tacitè tamen contineantur, vel, si ita visum fuerit, mandati ipsius vigore, legatus exprimere possit, quæ necessaria ipsi videbuntur. Cujus appendicis tenorem se in hæc verba legisse, additæ mandato quorundam legatorum
Brun. lib. 1. c. 8 Pontificis, affirmat Laudensis, teste Zabarella apud Brunum:
32 *Dantes nihilominus iisdem oratoribus ac legatis, & eorum cuilibet,*

præ-

præsentibus literis in mandatis, ut defectum supplere valeant, & huic mandato addere quicquid, quoad præsens negotium expediendum substantiæ vel solennitatis possit esse necessarium, vel utile, per occupationē vel aliâs omissum, & sic uti, quoad addita sint, ac si fuissent mandato apposita per nos ipsos. Quæ quidem clausula vim aliquam liberi mandati habet, sed longè tamen à mandato libero differt. Liberum mandatum in rei ambiguæ eventum & fortunam, quæ ignoratur, qualis futura sit, concessum est. Clausula verò libera, definitio mandato addita, ad certum negotium, consilium & eventum collineat, cujus moderationem prudentiæ legati 34
liberam relinquit, semperq; se restringit ad id, cui appositum est, ne quicquam præter vel contra mandantis voluntatem agatur. Eò autem potissimùm legatus in mandati literis accipiendis respiciat, ut sensum & intellectū mandati quàm optimè percipiat. 35
Solent enim nonnunquam de industria mandata obscurioribus verbis involvi, teste Warsevicio, qui illud etiam nonnunquam expedire scribit, quò secretior legatio sit, 36 (Warsd. Orat.)
neq; facilè cujusvis sensui mandatum obvium, si fortè in aliorum manus literæ & ad notitiam mandata deferantur. Illud si legatus animadverterit, mandantis interpretationē requirat clariorem, petatq;, si quid erit dubium, ut instructionis literis apertiùs inseratur, ne si quid fortè amphibologicè & æquivocè scriptum sit, dubius animi & sententia suspensus, ubi ad aciem ventum fuerit, legatus hæreat. Etsi meo judicio præstabilius sit, & legationi expediundæ commodius, verbis omnium maximè perspicuis mandata & dari & scribi. 37
Nam illud, quod de periculo indagationis adducitur, facilè evitari poterit, si secreta legationis ea fide, quâ oportet, custodiantur. Plenum enim rimarum legatum rejicimus, eumq; legimus, qui tempori loqui, & tempori silere didicerit, quiq; non solùm rectus, sed etiam tectus in consiliis suis & mandatis esse possit. Solent siqui- 38

Q dem

dem variæ tendiculæ atque insidiæ legatorum mandatis ac instructionibus expiscandis poni. Qua in re industrium fuisse ac-
39 cepimus Maximilianū II. quem propterea admirabili ingenio principem Warscevicius appellat. Verùm illud facilè præcaveri
Plut. de Garr. fide & silentio legatorum poterit, si cum illo gravissimo Ro-
Iov. in d. Alph. manorum duce Metello, & cum Alphonso rege Arragonum, ne quidem interiorem tunicam secreti consilii consciam esse, nedum in aliorum oculos & manus mandati literas pervenire patiantur. Verùm sunt non omnia mandata ejus generis, ut scripto comprehendantur, quædam duntaxat fidei & con-
40 scientiæ legati insinuantur, quæ occulta mandata habentur & appellantur. Quorum alia licita, alia illicita. Licita illa, quæ de explorandis & speculandis hostium consiliis & machinationi-
41 bus legato injunguntur, quibus Romani sæpenumerò usi.
42 Quid enim? an non ad Antiochum missus Scipio, ἐς τῆς γνώμης
App. lib. de bell. Pun. ἀπόπειραν ϗ τῆς παρασκευῆς κατάσκεψιν, ut loquitur Appianus, ad explorandum animum Antiochi, & ipsius apparatum bellicum. Illud autem in mandato occulto legatus habebat, cùm tamen aliud apud Antiochum manifestum mandatum, quod se facilè sciret non impetraturum, simularet. Licita quoq; illa, quę contra hostes ad aliorum ab iisdem avertendos animos, aut amicitias, & fœdera conturbanda, aut ad corrumpendos exteros pecunia, mandata occulta adjiciuntur. Artifices hujus prudentiæ, quam Plato obliquam, hodierni cum Lipsio, mixtam appellant, quæ pietatis & honestatis orbem non transgreditur, etsi utilitatem quibuscunq; posset rationibus cautè & consul-
43 tò sequatur, Romani imperii amplificatores, Spartam cùm mitterent cum quibusdam manifestis mandatis, simul occultum hoc addebant; ut legati eò omnem diligentiam adhiberent, quò Achæorum concordiam dissolverent, singulasq; eorum
44 rum urbes proprii juris facerent. Legati eodem modo Samnitium,

tium, cùm Romæ ex manifesto mandato, negotia sua in senatu
agerent, occultum mandatum de Fabritio pecuniis corrum- *Cic. de Offic.*
pendo, quasi aliud agentes, perficere satagebant. Ita & Antio-
chi legatus occulto mandato habebat sibi injunctum, ut Sci-
pionis animum, quantum posset, aliud agendo tentaret. Ve- 45
rùm aliter se habent ea, quæ illicita sunt; quæ nimirum ad per-
niciem reipub. aut etiam in exitium principum, & privatorum
necem data. Illicitum erat illud Hannibalis, qui cùm apud An- 46
tiochum versaretur, persuasit regi, ut contra Romanos arma
caperet, mitteretq; aliquos Carthaginem, ad sociale bellum
suppetias petitum. Interim verò ille legatis hoc occultũ man-
datum dederat, ut si senatus nollet, civium animos ad seditio-
nem & rebellionem quovis præcio & prece sollicitarent. Nec *Liv. lib. 4.*
laudandum, sed potiùs detestandum illud Severi imperatoris 47
est, qui amicitiam cum Albino, imperii socio & æmulo simu-
lans, occulto mandato, suis præceperat, ut, si qua possent occa-
sione, illum clanculum de medio tollerent. Ejusmodi mandata
nõ solent literis, ne quâ interceptis dispalescant, ut verbo Plau-
tino utar, sed secretis notis comprehendi. Atq; ejusmodi legi-
tur instructus fuisse Tyrius legatus Antiochi, cùm Carthagi- 48
nem Hannibalis consilio mitteretur. Illicita autem mandata
neq; dari neq; suscipi debent. Tam enim mandans, quàm exe-
quens injustè faciunt, pœnamq; iniquitatis æquè merentur:
imò verò ii omnes, quicunq; consilio & suasu instigant inho- 49
nesta & promovent. Et improba eorum opinio est, quòd qua- *l. 11 ff. de pœn.*
liacunq; tandem ea sunt, quæ quoquo modo acceperint à suis
principibus mandata, posse ea honestè perfici arbitrentur. No-
verint verò legati se umbone legationis tegi non posse, si quic- 50
quam contra legationis & gentium jura, quæ injuriã & iniqui-
tatem omnẽ aversantur, committant, de qua re infra pluribus
differetur. Hoc loco nobis satis sit de prima parte solennis mis-

sionis,quam in forma mandatorum dandorum & accipiendorum consistere diximus, egisse. Sed & de reliquis similiter agamus, quæ partim in ceremoniis, partim in habitu constituta.
51 Adhiberi enim solenniter ceremonias consuetum fuisse,etiam ex Ciceronis oratione notum est. Erant autem illæ pro diversitate negotiorum diversæ. Aliæ in bellicis,aliæ in negotiis pacis
52 usurpabantur. Legati enim bellici, quos Feciales esse vocatos, suprà docuimus, his ceremoniis præmissis emittebantur. Sa-
53 gmina portabant, herbas quasdam, auctore Marciano ita appellatas, secundum Festum, quod sanctos,hoc est,inviolabiles
54 gerulos facerent. Erat autem tum gramen ex arcis loco cum sua terra evulsum,tum verbena,unde verbenarius, qui ea ferebat,appellatus. Nō enim solummodò verbenam fuisse ex Marciani verbis perspicuum est, qui herbas scribit quasdā fuisse. Unde ille locus Livii, ex arce graminis herbam ferebat, corri-
55 gendus videtur, ut legendum sit, gramen & herbam ferebat. Quid enim graminis herba? inepta certè locutio,nec antiquitatis veritati conveniens. Gramen autem & herbam ferebat,
56 quæ conjunctim sagmina dicebantur. Sed & velati incedebant laneo filo,autore Livio,manuq;,unus ex quatuor,hastam ferebat. Hoc modo instructi,& veste augustiore amicti (sacram stolam, eamq; coloris ferè purpurei, Appianus notat) procedebant, iterq;,quò tendebant,ita pergebant,ut obvio cuiq; confestim agnoscerentur ex habitu, legati esse, & inviolabiles. Sed illa in oculos incurrentia signa non unius modi, verùm diversa apud diversos fuêre. Græcorum legati, teste Marciano, Cery-
57 tia ferebant. At quæ illa? baculi erant Mercuriales,quos caduceos appellabant, à Plinio depicti his verbis: *Hic tamen complexus anguium & efferatorum concordia videtur esse, quare extera gentes caduceum in pacis argumentum, circumdata effigie anguium fece-*
58 *rint.* Sed alia ab aliis eodem fine usurpata: Prælatæ à barbaris coro-

Cic. pro Rosc. Amer.

l.8. de rer. divis.

Plut. lib. 12. c. 2.

d l.8. Xenoph. lib.6 de Cyri exped.

d.l.8 de rer. divis.

Plin. lib. 29. c. 3.

coronæ & folia instar caducei, Suida teste. Veteris Hispaniæ po-
pulum Nergobria, λυκῆν ἀντὶ κηρυκείου villum lupinum, pro cadu- 59
ceo gestasse, Appianus notavit. Sed mitto illa antiqua, quæ ab App. lib. de bell. Hisp.
usu & gentium ferè omnium observatione recesserunt, neque
enim ex alio insigni hodierni legati, quàm ex amictu cogno-
scuntur. Suæ enim gentis cultum retinere, & apud exteros fer- 60
re legatum oportet, non eum, quem apud eos, ad quos missus
est, reperit, vernaculo deposito, assumere alienum. Quod pru-
dentissimus vatum intellexit:

Nuncius ingentes ignota in veste reportat
Advenisse viros.

Deformant autem illi legationis faciem, qui in exteras natio- 61
nes delati, tanquam Prothei, illicò sese exuunt, & peregrina ve-
ste amiciunt. Contemptus etiam eam ob causam à suis Mace-
donibus Alexander fertur, quòd patrio habitu relicto, apud 62
Babylonios Babylonicum induisset. At ipse sese suamq; gen-
tem legatus aspernari videtur, qui gentis suæ vestitum respuit.
Sed & nonnullis solennis sua vestis est, quam, ut maximè ve-
lint, in muneris sui functione deponere nequeunt, quales eo- 64
rum, qui hodiernis temporibus, indicendi belli gratia, mittun-
tur, quos Heroldos nominamus. Heroldi autem verbum, non,
uti ex obscuro quodam auctore Sylvius ineptè commentatur, Sylv. Epist. 126.
ab heroe deductum, sed prorsus ex Germanicis vocibus com-
positum, idem sonat, quod exercitui gratiosus & favorabilis,
ipsoq; nomine incolumitatem & securitatem, qua frui fecialis
etiam inter medios hostium cuneos debeat, ut infra docebi-
tur, ostendit. Vestem solent ferre plerunq; pictam, insignibus
ejus principis, à quo mittuntur. In Gallia pacis tempore, teste Greg. Tol jur.
Tolosano, Heraldi gestant spinter & armillam: belli verò tem- Synt. 19. c. 2. &
pestate paludamentũ, quod Cotte d' armis vulgò nominant, 33 c. 14.
& insigne securitatis in eo publicæ habent. Quod, etsi ipse sui

 alio-

alioquin cultus negligentior esset, nõ tamen neglexit in fæcia-
Com lib. 5. li suo Ludovicus XI. Galliæ rex legitur. Moscovitas autem tam
superstitiosos in solennitate vestitus sui observanda esse tradit
65 Heidenstenius, ut ad Stephanum regem missi, maluerint inau-
Heid.lib.2 de bell.Mosc. diti iterum discedere, cùm itineris mora capsulas suas vestia-
rias nondum accepissent, quàm inornati, cùm fortè jussi essent
orare, causam adventus sui explicare. Verùm de eo quisq; prin-
cipum ipse viderit, ut pro splendore legationis splendidè suum
66 legatum induat. Quiritium certè in eo animadversa singula-
Plin.lib.3.c.1. ris diligentia, qui ex publico legatis suis aureos annulos, testan-
67 te Plinio, dedisse prædicãtur. Debet autem vestitus tum digni-
tati legati, tum legationis decoro accommodari. Episcopum
ornat sua infula: Principem principe dignus amictus. Quid
enim? an non infra honorem principis erat, quod de Rudol-
Alb. Ar. in vit. Rud. pho I. imperatore scribit Albertus Argentinensis, cùm ipse
pannosam suam chlamydem in oculis hominum reficeret, &
rusticali tunica pro imperatorio paludamento sedens, in publi-
68 co solio uteretur? At quid prudentissimus philosophorum,
Socrates: ad Antisthenem exire cùm vellet, pulchriorem a-
mictum induit, causamq; rogatus, ἵνα καλὸς πρὸς καλὸν, *ut pulcher,*
inquit, *ad pulchrum eam.* Idem legatus noster cogitet, idem fa-
69 ciat. Sed & alius virum togatum, alius militem cultus decet,
alius juvenem, alius senem, alium tempora serena, & negotium
lætum, alium nubila & tristes causæ vultum & habitum depo-
scunt. Nam & hoc prudentis legati erit, ne illa in conspectum
exponat, quæ aspectum sui ingratum & odiosum facere pos-
sint, providere. Rejectos enim esse à Turcarum palatio legatos
quosdam cognovimus, quòd viridis coloris amictu induti es-
Busb.Epist.de Constant. itin. sent, qui funesti & tristis ominis barbaris existimatur. At noster
eâ prudentiâ sit, ut, cùm rubei panni objectu bovis furorem ac-
cendi intellexerit, removere eundem à scena sua noverit: of-
fendun-

fenduntur enim alii viliore, alii pompoſiore & precioſiore indumento, omniq; eo cultu, qui oſtentationem ac jactantiam præferre videtur, eoq; magis, ſi externo filo internus habitus minimè reſpondere animadvertatur. Hinc enim illicò obvia probra & ridicula agnomina. Alii auream te pecudem, quo nomine irridere Junium Sillanum, hominem ſegnem & inertem, Julius Cæſar ſolitus: alii Phryxi arietem, & Colchicum vellus, appellabunt, ſi plumbeum intus animum, foris lanam & linum aureum perſpexerint. Quod accidiſſe cuidam ſuperioribus annis vulgò auditum eſt, qui totius inſulæ, ex qua miſſus erat, mundum, omneſq; regni cenſus induiſſe videbatur. Tac. lib. 13. An.

CAP. VIII.

Quò & quà.

SUMMARIA.

1 *Legatus, mandato accepto, è veſtigio itineri ſe accingat.*
2 *Alæ & talaria Mercurii quid denotent.*
3 *Rhodiorum legati capitis actione conventi, quòd tardius præſtituto die, legationis iter ingreſſi.*
4 *Deſertionis in pœnam incidunt, qui poſt mandatum moras nectunt.*
5 *Rhodii non potuere excuſare moram ſuam accepti legativi tarditate.*
6 *Intempeſtiva cultura deteriorem magis, quàm meliorem agrum reddit.*
7 *Boni civis eſt animam, nedum patrimonium pro patria impendere.*
8 *Res privata non debent curſum legationis retardare.*
9 *Sulpitius noctè dieq; feſtinationem legationis urſit.*
10 *Voluptatis gratia non divertendum legato.*

11 Peri-

11 *Periculosa itinera temerè non sequenda.*
12 *Moschovitici legati, quòd vetita loca attigissent, interempti à Basilide.*
13 *Persici legati quibus anfractibus itinerum usi.*
14 *Anserum Taurum transvolantium silentia.*
15 *Solito ingressu in provincias utendum.*
16 *Atheniensium legati, quòd insolitam cepissent viam in Armeniam, capitis damnati.*
17 *Clandestini introitus suspecti.*
18 *Fregosius & Rinco legati Gallici, quòd occultò per Italiam ad Turcam contenderint, intercepti.*
19 *Contra Imperatorem Romanum nemo Regum legationem mittere jurè potest.*
20 *Imperator, mundi dominus, & omnium regnorum caput.*
21 *Francicum Lilium æterno juris vinculo imperii Romani subjectioni obnoxium.*
22 *Francia vi facti, non via juris ab Imperio se subtraxit.*
23 *Franciscus Zoanettus Franciam Romano Imperio subjectam esse probat.*
24 *Francia regnum de facto, hoc est, per injuriam ab Imperio se avulsit.*
25 *Testamentum Caroli M. vult Franciam Imperii esse partem.*
26 *Comiter observans, non potest quicquam hostiliter agere contra observandum.*

SEd satis præclarè, ut opinor, legatum nostrum instruximus:
1 quid verò ille mandato accepto faciet? Audiat, quid Vergiliani illi fecerint:

> *Haud mora, festinant jussi rapidisq; feruntur*
> *Passibus.*

l.16.C.de curs. publ. Ad horum igitur exemplum extemplò itineri sese noster accingat, eat, properare festinet, ut Imperatorum Arcadii & Honorii

norii ea de re verba leguntur, ac quantum possit, volitet. Eam-
enim festinationem poëtici Mercurii alæ & talaria significant. 2
Siquidem multis fraudi capitali fuit moram ex mora, diem ex
die traxisse, præfinitique diei abitione supersedisse. In capitis *Cic. lib. 2. de invent.*
actionem incidisse legatos Rhodiorum accepimus, quòd ad 3
Athenienses, legationis mandato accepto, præstituto die viam
non arripuissent. Omnium autem rerum primum est, uti Comicus ait, tempori venisse: Ideoq; effugere, neque illi desertio- 4
nis actionem & pœnā poterunt, qui sine necessaria causa mo- *l. 1. l. 2. ff. de leg.*
ram nectunt. Quod adeò severè antiquis civitatum moribus *l. 2. C. eod.*
servatum, ut neque Rhodiorum legati justæ excusationis nan- 5
cisci velum inde potuerint, quòd legativum, hoc est, viaticum
ad necessarios sumptus, per cessationem quæstorum, tempore *l. 18. §. 12. ff. de mun.*
justo non accepissent. Privatis enim sumptibus debuisse potius
profectionem commodam institui, quàm reipubl. negotium 6
incommoda mora protelari, & quodammodò deseri, veteres *l. 25 §. conductor. 3. ff. locat. cond.*
disputabant, cùm etiam intempestiva cultura deteriorem potiùs quàm meliorem fundum faciat, bonique civis sit sangui- 7
nem & animam suam, nedum patrimonium pro patria impendere, eoq; magis, quòd ex suo, si quod impendium legatus fe- 8
cerit, repeti illud actione in municipes intenta queat. Nihil autem hîc privatarum rerum legationis cursum impediri debet: *l. 7. quod cujusque universitatis nomine. l. 2. §. 7. 8. ff. si quis caut. in judic.*
Nec audiendi illi, qui tempestatis cœlique pluvii injurias pro
causa sibi sumant. Imitandus, optimum fidelissimi legati exemplum, Sulpitius, qui nocte dieq;, Tullio prædicante, cum 9
periculo etiam valetudinis, legationis injunctæ festinationem
urgebat. Multò minùs verò voluptatis gratiâ alia diverticula, 10
& à rectâ itineris semita privatæ rei causâ susceptæ aberrationes excusationem merentur, & Ulpiani verba hac de re perspicua sunt: *Quare si quò*, inquit, de absentia reip. causa loquens, *d. l. 2. § 8. l. 38. ff. ex quib. caus.*
deflexerit, suæ rei causâ non dubitamus id tempus ei non proficere.

R Idem

Luc. de Pen. in l. 16. C. de curs. publ. Idem de re eadem sensisse Lucas de Penna legitur, qui legatos festinare, & negotia sibi commissa celeritate, qua fieri possit, maxima expedire debere scripsit. Eos autem delicatos appel-
Ioh. Aurp. sing. All. lib. 1. c. 9. lat Aurpachius, qui cùm legationis munere fungantur, voluptatis causa ex recto itinere in vicinas urbes & loca alia celebriora deflectere & obambulare soleant, testatus sibi ea de re non leves contentiones cum suis collegis aliquando fuisse susceptas. Amitti verò ejusmodi evagationibus legatorum im-
Bart. Bald. Salic. Alb. in l. 4. C. de com. munitates & privilegia, nec iis damna, si qua erroribus iis obtingant, resarciri, docent Doctores. Sed nec per vetita & infe-
11 sta, latrociniis & hostilibus incursionibus periculosa loca, si per tutiora possis, iter habendum, ne ab illis, quibus jura gentium violare religio exigua est, legatio intercipiatur & excutia-
12 tur. Id cùm non adeò diligenter perpendissent Joannis Basilidis Moscovitæ legati, quòd prohibitum iis esset, ne Poloniæ fines inter eundum attingerent, reversi gravissimas temeritatis
Heidenst. d. lib. d. l. 2. §. 8. & ibi Dd. in verb. circumire. suæ pœnas luerunt. Ideoq; expedit sæpenumerò longioribus anfractibus & circuitionibus potiùs uti, quàm periculosa viarum compendia, quæ dispendia afferant, sectari. Id quod Per-
13 sas superiore biennio emissos fecisse intelleximus, qui, ut Turcicos fines evitarent, longissimis itineribus per Moscoviam habitis, vias suas circumflexerunt. Nec ad quemvis in itinere divertendum, aut diutius, si divertisti, apud amicum tui mandatoris hærendum. Consultius verò est nonnunquam, prout le-
14 gationis negotium est, & celeritas rei requirit, more illorum anserum, qui, dum Tauri cacumina transvolant, lapillis collo insertis, ut aquilam ibidem stabulantem fallant, vocis sibi iter
Plut. de Garr. omnis obstruunt, sine strepitu & pompa, magno cum silentio,
15 te eò, quò adire jussus es, te conferre. Solito autem ingressu in-
l. 4. §. 5. ff. de offic. procons. quamvis provinciam utendum, rectaq; per portam cujusq; civitatis ingrediendum, & per ἐπιδημίας & κατὰ πλῦς, quemadmodum

dum Ulpianus cum Græcis loquitur, accedendum. Athenien- *l. 11. ff de divis. rerum.*
ſes eam ob cauſam, quos in Arcadiam miſerant legatos ſuos,
morte affecerunt, quòd inſolitam per viam iter habuiſſent. 16
Clandeſtini autem introitus nemini nō ſuſpecti ſunt, quorum 17
cauſa in periculum veniſſe, Fregoſium & Rinconem, Franciſci 18
regis Francorum legatos novimus, cùm ad Turcicam portam
occultè per Italiam contenderent. Etſi vix illi legatorum no- 19
mine & jure veniſſe potuerint, qui contra imperatorem Ro- *l. deprecatio. 9. ff ad l. Rhod. de jact. l. benè à Zenone, §. ſed ſancimus, ff. de quad. proſcript. l. 1. de cōſt. prin.*
manum, totius orbis jure æterno dominum, omniumq́; , quæ
inter Chriſtianos florent, regnorum ac dominationum caput,
ad Chriſtiani nominis ἄσπονδον hoſtem, à Chriſtianiſſimo, ut vult
appellari, rege erant emiſſi. Non enim video, quo jure illi non
potuerint intercipi, miſſi ab eo, qui poteſtatem legati mittendi 20
contra dominū univerſi orbis nullum habuit. Quamvis enim 21
vi facti Lilium Francicum bicipitis volucris ſubjectioni ſe ſub- *l. ſi duas, §. Grāmatici, ff. de excusat. tut.*
duxerit, juris tamē vinculo perpetuò obligatum manet: juxta
gloſſam, quam omnes hucuſq; judicii candidioris prudentes
veriſſimam eſſe pronunciârunt, quæ *in c. 1. de pace juram. firmand.*
aſſerit & definit, Franciæ regnum unâ cum cæteris regnis liga- 22
ri legibus Imperatoris Romani, quòd de jure Francicum re-
gnum ſubſit, ſicut & alia regna imperio Romano. Quod, vete-
rum ſententiis ubertim adductis, ex recentiorum numero
Franciſc. Zoanettus, homo Italus, omnium firmiſſimè proba- 23
vit. Idem verò rectiſſimè aſſerit contra Alciatum, contraque *lib. de Romano Imperio, n. 230. & ſeqq.*
alios Gallicanos ſcriptores, veteris Romani imperii majeſta-
tem in Germanico, uti à tranſlatione dicitur, Imperio revera *eod. tract. quaſt. num hodie ſit Rom. aut potius Germ. Imper.*
ſupereſſe. Idem ex Anglia inter nuperos ſcripſit prudētiſſimus
Albericus Gentil. his verbis: *Et conſtare tamen apud omnes vide-*
tur, imperium eſſe Romanum id, cujus in Germania ſedes. Et paulò *Alc. de ſing. cert. cap. 32.*
pòſt: *Non eſt aliud imperium, deſinente familia Cæſarum imperare;*
non eſt aliud imperium mutata ſede imperii: Imperium Roma idem

& Constantinopoli, & Ravenna, & Praga, &c. Hoc verò erat, quod etiam in prima hujus libri editione ex eodem auctore lectum & allegatum volebam. Quid enim, si Germanorum imperium ad alios quidem translatum, jure tamen translationis non est aliud, neque alius juris & dignitatis factum, quemadmodum cum Baldo & Zoanetto, ac universo doctorum consensu confitetur Albericus: an non per hoc ipsum veteris etiam Romani imperii jus & potestas, quam in cætera regna habuit, integra & perpetua stabilitur? Quo itaque jure, ornatissime Alberice, non agit ad illa, quæ ante secula imperii fuerunt? An non earum rerum æterna auctoritas esse asseveratur ab omnibus juris tam privati quàm publici peritis? Neq; hoc ausus est Didacus, Hispanorum Ulpianus, te ipso teste, negare, qui velut ex juris Cortina hoc oraculum emittit: *Imperatorem justissimè agere ad ea recuperanda, quæ olim imperii fuerunt.* Etsi itaque, clariss. Gentilis, in ea, quam ad Jacobum regem Angliæ ac Scotiæ, regum verè Phœbum missam, luculentissima oratione habuisti disputationem, me hisce verbis appellaveris: *Nullibi ego, ornatissime Hermanne, hoc scripsi aut rescripsi, regnum Francicum aut aliud, Romano subesse imperio.* Tamen non satis extricare sententiam tuam possum, qua ratione non idem scribas, idem rescribas, quando imperium non mutatum esse per sedem imperii in Germaniam rectè & ingenuè scribas, iterumq; scribas? Sed de hac re peramicè tecum agere singulari oratione instituteram, cùm ad cœlestem Academiam, & ad angelorum societatem ex Anglico regno, cui immortali ornamento hospes nobilissimus fuisti, emigrasse prudentissimam animam tuam, non sine maximis literariæ civitatis suspiriis, fama, quam vanam maluissem, nobis nunciaret: Quæ ævi brevitas? *Vivere quem gaudes, vixit, & esse, fuit.* Sed ut ad rem nostrã revertar, nolim Bodini querelam & falsam accusationẽ hoc loco locum invenire.

Gent. disp. 1. de potest. reg. abs. & lib. 1. de leg. c. 4.

De absol. reg. potest.

d. l. de jur. bell. d. c.

Bod. lib. 5. de rep. n. 186.

Quæ

Quæ illa? Violatum gentium jus in Gallicanis esse clamitat: Tu contrà eos, qui nullo jure, sed vi facti missi fuerant, via juris intercludi potuisse constanter contendes. Ut maximè enim regnum Franciæ liberum sit, & de facto, quemadmodum Nico- 24
laus de Ubaldis in hoc casu loquitur, hoc est, uti Bartolus id- *Nic. de Vbal. tr.*
ipsum explicat, per injuriam, imperatori Romano non subsit, *de successs. ab intest. n. 81. 82. 83.*
cùm etiam secundum testamentum Caroli Magni (quod apud 25
H. Mutium & alios in Caroli vita legere licet) subesse debeat: *Bart. in l. cunctos populos, C. de sum. Trin.*
Comiter tamen à Franciæ regibus majestas Romani imperii, tanquam superioris & prædominantis culminis conservari debet. Ille verò qui alterius majestatem comiter conservare 26
tenetur, non potest contra illum, cui observantiam debet, hostiliter quicquam agere, neq; legationibus mittendis, neq; fœderibus & pactis ineundis. Sed de hac re egimus in republ. nostra explicatius, & uberius. *l. non dubito 7. ff. de capt. & postl. gl. in d. l. nō dubito. & Dd. ibi. Cic. pro Corn. Balb.*

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBRI SECUNDI

CAP. I.

Quæ legatorum securitas.

SUMMARIA.

1 *Iter legati dupliciter consideratur.*
2 *Securitas legato etiam debetur proficiscenti per illorum fines, ad quos non est missus.*
3 *Macedonum legati intercepti & capti à Romanis.*
4 *Persarum regis legati intercepti ab Atheniensibus.*

5 *Sitalces Laconum legatos Atheniensibus tradidit.*

6 *Securitas legato præstanda ubiq; gentium.*

7 *Ius gentium omnes provincias aperit legato.*

8 *Carthaginensium legatos per media castra sua ad Tyrios à se obsessos transire passus Alexander M.*

9 *Macedonum legatorum à Romanis captorum ratio.*

10 *Mendacium vir bonus non loquitur, idq; nec ob publicam utilitatem concedendum.*

11 *Falsi crimen incurrunt, qui se legatos profitentur, cùm nulli sint.*

12 *Carthaginenses capti à Scipione, legationis titulum mentiebantur.*

13 *Falsum itidem committunt, qui, etsi aliò legati, se fingunt legatos ad eos, ad quos mandati nihil habent.*

14 *Mendacium impedit omnis veniæ consecutionem.*

15 *Speculatores fas occidere.*

16 *Scipio speculatores Annibalis dimisit, & quare.*

17 *Castrorum nostrorum rationes, & apparatum benè instructum, scire hostes, nonnunquam expedit.*

18 *Speculatores qui propriè sint, & uti differant ab iis, qui tacitum mandatum explorandi habent.*

19 *Romani ad Antiochum tentandi gratia legatos miserunt.*

20 *Legati qui in ore aliud, pectore aliud ferunt, speculatores non sunt propriè.*

21 *Legationes hostium plerumq; ferunt sub pectore vulpem.*

22 *L. Martius, & L. Attilius legati gloriati in senatu, quòd hostem circumvenissent.*

23 *Sapientia nova quæ dicta Romanis veteribus.*

24 *Cicero gratulatus sibi quòd populo imposuerit.*

25 *Cum simulatoribus aliter agendum, quàm cum reliquis.*

26 *Simulatoribus simulanter respondendum.*

27 *Vulpem contra vulpem agere fas est.*

28 *Caduceatori nemo homo nocet, Catonis verbum.*

30 Se-

30 *Securitas legationum mittendarum tacitè omnibus belli conventionibus inest.*

31 *Attici & Lacones inter se belligerantes, peculiaribus pactis securitatem legatorum suorum munierunt.*

32 *Singulari pacto ad legatorum securitatem in bellis non est opus.*

33 *Qui jus gentium non colunt, cum illis nullæ conventiones firmæ haberi possunt.*

34 *Pactum non pactum, non pactum pactum.*

35 *Athenienses pactorum non admodum tenaces.*

36 *Iidem sciebant, quid fieri oportebat, sed facere nolebant.*

37 *Inter Atticos & Laconas crebriores legatorum violationes.*

38 *Romani custodiendæ legatorum securitatis studiosissimi.*

39 *Fecialium collegium Romæ institutum, & quare.*

40 *Pœna legationum violatoribus quæ apud Romanos.*

41 *De debitoribus partiendis lex decemviralis ad terrorem solùm proposita.*

42 *L. Minutius, & L. Manlius à Romanis dediti.*

43 *Q. Fabius, & Cn. Apronius ædiles dediti.*

44 *C. Iulius Cæsar Catonis sententia, etsi Imperator, ad deditionem damnatus.*

45 *Romani deos esse legati violati vindices crediderunt.*

46 *Celtica calamitatis Romanis illatæ causa violatio legatorum.*

47 *Lartes Tolumnius ob violatam legationem Rom. punitus.*

48 *Dei ira manifesta in vindicandis violationibus legatorum.*

49 *Darii, Persarum regis, legati ab Atheniensibus in puteum præcipitati, & eorundem pœna.*

50 *Arabes ab Herode victi.*

51 *Lacones ultrò ad Xerxem expiandæ violationis legatorum ergò, victimas humanas miserunt.*

52 *Helena, Russorum reginæ, immanis sævitia in legatos Prutenicos.*

53 *Lestrigona & Cyclopes legationum violatione infames.*

54 *Ioh.*

54 *Ioh. Basilidis Moschi immanitas adversus legatos.*
55 *Angerius Busbequius apud Turcas inviolabilis, apud suos occisus.*
56 *Galens verbum, quo se excusavit ab expeditionis adversus Germanos comitatu.*
57 *Legatus non solùm oculatas manus, sed etiam pedes habeat.*
58 *Violatio legatorum justissima causa bellorum.*
59 *David, rex Israëliticus, Hannoni Ammonitarum regulo bellum intulit, quòd legatos violarat.*
60 *Romani neq; passi sunt verbalem injuriam legatis fieri, neq; superbius eos appellari à Corinthiis.*
61 *Mithridaticum bellum ob violatos legatos exarsit.*
62 *Ariovistus à Iulio Cæsare cæsus ob violatum legatum.*
63 *Saxonibus à Carolo Magno bellum ob eandem causam illatum.*
64 *Tigurini ob tabellarium sublatum Gallis arma intulerunt.*
65 *Tigurinorum bellum nimis calidum, neque cum legatorum violatione conferendum.*
66 *Crudeles in se & famam suam, qui legatorum suorum cædem susq; deq; ferunt.*
67 *Bellerephontis literas, qui legatis suis dant, omnium sceleratissimi.*
68 *Caligulæ commendationes quales fuerint.*
69 *Herculis novercales ablegationes.*
70 *Violanti jus legationis, idem vicissim non servatur.*
71 *Alexandri Severi symbolum à Christianis acceptum. Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris.*
72 *Tyranni solent ea crimina severiùs persequi, quibus ipsi dediti.*
73 *Paria delicta mutua compensatione tolluntur.*
74 *Dolus dolo compensatur.*
75 *Ex eo jure fructum non consequitur, quod quis impugnat.*
76 *Fidem frangens alteri, frustrà ab eodem sibi servari fidem postulat.*
77 *Violanti jura, violando jus redditur.*
78 *Cerasuntiorum legati lapidibus obruti.*

79 Ca-

79 *Caduceatores interficientem nemo cum caduceo accedit.*
80 *Stephanus Transilvaniæ dynasta à Maximiliano detentus, & quare.*
81 *Ejusdem postea regis facti Poloniæ legatio ab eodem Imp. detenta.*
82 *Belisarius Gothorum legatos vicissim detinuit.*
83 *Par pari referens, æquissima talio.*
84 *Scipio Carthaginensium legatos, etsi Romanorũ apud eosdem violati, dimisit.*
85 *Scipionis dimissio singulari prudentia nititur.*
86 *Vulgi vanæ voces non audiendæ, neq; facta ejus attendenda.*
87 *Plebeculæ erratis magis, quàm senatus condonandum.*
88 *Scipionis dimissio quorsum spectarit.*
89 *Scipionis factum non ab omnibus rectè perpensum.*
90 *Franciscus I. rex Galliæ, legatos Caroli V. Imp. non debuit detinere, & quare.*
91 *Bodinus Carol. Imp. injuriam facit arguendo violationis eundem juris gentium.*
92 *Turca tyrannicè contra fas gentium Imper. Rudolphi II. legatum carceris squalore enecavit.*
93 *Belli & legationis jura non se mutuò tollunt.*
94 *Legationis jura non pendent à jure belli aut pacis.*
95 *Legatio belli & pacis unica sequestra.*
96 *Ex belli injuriis violandæ legationis causa non proficiscitur.*
97 *Legati hostem exuunt.*
98 *Fœderum & pacis fractiones non possunt violatione legationum compensari.*
90 *Compensatio tantùm inter paria consistit.*
100 *Legationes sunt malagmata omnium, quæ ex bello proficiscuntur, malorum & vulnerum.*
101 *Carthaginensibus ter fœdifragis Romani legationis securitatem servarunt.*

102 *Fœderum & juramentorum violatio, justa belli, sed non violanda legationis causa.*

103 *Mithridates multa millia Romanorum uno die, per Asiam, unis literis curavit mactandos.*

104 *Mithridatis legatum ob tam crudele facinus interimere Romani non potuissent.*

105 *Studentium imprudentia, qui sibi quidvis in privilegiata Academia licere opinantur.*

106 *Majoribus pœnis digni, qui contra privilegia majora committunt.*

107 *Legationum severitas non est Romuli asylon.*

108 *Iulius Cæsar uxorem suam non solùm probro, sed & probri suspicione carere volebat.*

109 *Legatus non solùm crimine, sed & criminis suspicione careat.*

110 *Reatus omnem dignitatem excludit.*

111 *Contra dignitatis decus delinquens majori pœna dignus.*

112 *Inhonestè versanti dignitas & honos non succurrit.*

113 *Illustris dignitas turpitudine vitæ amittitur.*

114 *Theodati apud Procop. oratio de legationis jure.*

115 *In Lusitania cur legatus supplicio affectus.*

116 *Francisci I. regis Franciæ legatus Mediolani capite plexus.*

117 *Darii, Persarum regis, legati in Amyntæ Macedonis aula cæsi.*

118 *Amyntæ factum jure gentium defendi nequit, contra vulgi sententiam, exemplo rectè perpenso.*

119 *Osculum more Persico signum interioris amicitiæ & cognationis.*

120 *Persæ in convivia sua solùm concubinas, non uxores deducebant.*

121 *Amyntas rei displicitæ occasionem dedit.*

122 *Itali omnium maximè Zelotypi.*

123 *Hispani etiam in sacris locis de explenda libidine, teste Bod. cogitant.*

124 *Persæ legati nō potuêre statutis & moribus Macedonum judicari.*

125 Ob

125 *Ob quæ delicta legatus puniendus, & quibus legibus.*
126 *Legatus peregrinæ civitatis statuto non tenetur.*
127 *Ius gentium naturalis rationis viam sequitur.*
128 *Municipali interdicto de gladio non ferendo, legatus non tenetur.*
129 *Polonorum legati comites, quid Viennæ contra Maximil. Imp. edictum impunè fecerint.*
130 *Legatus prohiberi potest, ne alterius fundum ingrediatur.*
131 *Animadversiones in legatum, si delicti modo graviores sunt, gentium jus offendunt.*
132 *Herodes quàm Amynta in sua re juris servantior.*
133 *Arabum regis legatus in Herodis regis cœna lasciviens.*
134 *Herodes nulla alia pœna ob indignos mores legatum affecit, quàm ut discedere eum juberet.*
135 *Dimissio inhonorata non levis legato pœna, majorq́; quàm advocationis interdictio aut fori.*
136 *Hadrianus Imperator offendentes sese qua pœna affecerit.*
137 *Principibus displicere magnum opprobrium.*
138 *Pontificii legati ob contumelias in majestatem imperii à Friderico Imp. dimissi.*
139 *Legati de expulsorum Tarquiniorum bonis repetendis missi, conspirationis concitatæ rei dimissi.*
140 *Aquilii & Vitellii conjurati quo supplicio affecti.*
141 *Legatus si in principem conjuraverit, læsæ majestatis teneri non potest.*
142 *Legatus offendendo, ejus ad quem missus, lædere majestatem non intelligitur.*
143 *Legatus læsæ majestatis legibus non potest judicari.*
144 *Naturali ratione & jure gentium, affectus, pro effectu non est.*
145 *Neq; consilium sceleris pro consummato scelere.*
146 *Hispanicus legatus adversus reginam Angliæ conspirationis socius dimissus.*

147 *Verres legatus ob vim virgini intentatam dimissus.*
148 *Legati nomen gravius, quàm injuriæ ullius æstimatio.*
149 *Phileas Tarentinorum legatus obsidum fugam consilio & ope adjuvans dimissus.*
150 *Obsidum fugam consilio juvare majestatis crimen.*
151 *Consulens & delinquens pari pœna afficiuntur, juxta l. communem.*
152 *Lex communis legatum non attingit.*
153 *Suadendo aliorum scelera juvare, instar sceleris, Saturnino.*
154 *Instar rei, & res ipsa, non idem & unum.*
155 *Obsides fugientes, jure gentium possunt revocati puniri.*
156 *Obsides elapsi fuga, non amplius obsides, sed hostes.*
157 *Cœlia obses ex fuga remissa Porsenæ.*
158 *Legati consilium, jure gentium quomodo puniatur.*
159 *Ab obsidum fugacium pœnis, adversus legatum consulentem obsidibus fugam, non est similis rationis argumentatio.*
160 *Obsides instar captivorum.*
162 *Obsides testari nequeunt, & bona defunctorum in fiscum recidunt.*
163 *Criminis ad effectum perducti reus legatus punitur ex jure gentium.*
164 *Ius legatorum reciprocum.*
165 *Fabius legatus à Gallis dedi postulatus, & à fecialibus judicatus.*
166 *Ob actualem injuriam principi illatam legatus potest dedi & plecti.*
167 *Liberius loquendo offendentes dedi non possunt.*
168 *Etsi improbanda nimia dicendi libertas.*
169 *Lubricum linguæ non ad pœnam facilè trahendum.*
170 *Principes Romani maledicta adversus se temerè effusa non persequuntur.*
171 *Romani & liberè dicebant & agebant in suis legationibus.*
172 *Romani eandem libertatem in aliis æquo animo ferebant.*

173 In

173 *In legatione debent & animi & voces esse liberæ.*
174 *Ex natura legationis est, liberè quemvis, quod sentiat, dicere.*
175 *Veneti oratoris Gallici libertatem quomodo exceperint.*
176 *Didaci Mendozæ oratio, liberè inepta ad Venetos.*
177 *Centum legati Tartarorum à Stephano Valacho ob liberiores sermones trucidati.*
178 *Antonius contra jus gentium, Augusti liberiùs loquentem legatum loris castigavit.*
179 *Legatus imprudens, qui non prævidet, quî cum loquatur.*
180 *Bodinus refellitur, qui non immeritò Antonium Augusti legatum corripuisse asserit.*
181 *Rhodiorum ad Romanos de libertate legati oratio.*
182 *Antiochus Xenocratem Atheniensium legatum liberè loquentem non potuit ferre, reprehensus ob id à Plutarcho.*
183 *Tuccæ Illyriorum reginæ sceleratissimum facinus.*
184 *Legati Romanorum ad Tuccam quæ libera oratio.*
185 *Tucca placidè dimissos legatos in itinere curavit insidiosè intercipi, & unum ex illis occidi.*
186 *Liberioris orationis ergò legatus non interficiendus.*
187 *Verba debent verbis, non verberibus rependi.*
188 *Philippus Macedo rex, Romanorum legatis liberè loquentibus libera verba reposuit.*
189 *Stultè loquenti, stultè respondendum, dictum Bartol.*
190 *Tyranni gladio solent* ἀντιμιλλεῖσθαι.
191 *Henricus Dandalus lumine oculorum orbatus, ob liberiorem sermonem.*
192 *Ob iniqua postulata legati non sunt violandi.*
193 *Darius Persarum monarcha nihil contra morem aliorum postulavit ab Atticis.*
194 *Romani contra omnes gentes rerum omnium arbitrium sibi vindicarunt.*

216 *An-*

ORâ, quod dicitur, solvimus: atq; extra oras nostras oratorem deduximus, cui libet abeunti illud Maroneum acclamare: *Iuvet evasisse tot urbes, mediamq; viam tenuisse per hostes.* Iter autem

1 autem externum duplicis tramitis est: aut est eorum, ad quos
missus est cum mandato: aut illorum, ad quos mandatum nul-
lum habet, quorũ interjectas regiones aliò cùm missus transi-
2 re cogitur. De hisce verò dubitant, ad quos legationis nomine
non venitur: an etiam illi legationis jura præstare transeunti
Liv. lib. 23. teneantur. Quid enim ea de re Livius? De Macedonum lega-
tis Romanorum provincias, ad quos non erant missi, transeun-
3 tibus loquens: *Felici*, inquit, *primùm evasere mendacio, mox verò
cogniti, capti sunt, Romamq; ducti.* Eo si exemplo judicare rem ve-
limus, nullam securitatem inveniemus apud eos, ad quos lega-
4 tionis cursus non directus. Nec aliud docere videntur Athe-
nienses, qui non solùm ipsi Persicos ad Spartanum populum
legatos interceperunt, verùm etiam callidis suis commentis
& persuasionibus, apud Sitalcen regem obtinuerunt, ut ille La-
5 conum legatos ad Persarum regem missos in regno suo, per
quod iter faciebant, interceptos, sibi Athenas traderet, quos
Thucyd. lib. 2. ab eo nacti ἀκρίτους & inauditos, è medio sustulerunt. Nequiter
6 profectò Athenienses, & contra fas gentium, quod eam secu-
ritatem præbet, ut ubiq; locorum & gentium itinera ac vias
omnes legatis patefaciat, ubiq; eos ab injuria omnium homi-
l. 8. ff. de divis. rer. num defendat, sanctosq; ubique regionum faciat. Illud enim
hoc omnium gentium consensu confirmatum jus requirit, &
7 non solùm illis, qui ad nos missi, sed etiam sine noxa & malefi-
cio, transeuntibus per nostras provincias, etsi vel ab hostibus,
l. 4. C. de comm. & mercat. vel ad hostes nostros missi sint, securitatem præbeamus. Idque
naturali juri quàm maximè consentaneum esse, ut omnia iti-
in l. 7. §. 6 ff. de solut. matr. nera libera existant, Baldus, quem nihil ignorasse, prædicavit
Jason, gravissimè censet. Quod multò antè etiam auctoritate
sacræ scripturæ confirmatum dedit Augustinus, qui causam
armorum contra Amorrhæos ab Israëlitis sumptorum justis-
simam eo argumento asserit, quòd innoxium transitum pe-
tenti-

tentibus denegassent, qui jure humanæ societatis patere de- *c.ult.23.q.2.*
beat. Quam quidē doctissimi patris sententiam malim profe-
ctionibus ac itineribus legatorum, qui armorū periculum &
terror nullum sagminibus suis circumferunt, quàm vel ami-
corum expeditionibus concedere, quæ, ut maximè de damno
& maleficio caveant, vix tamen & ne vix quidem innoxium
& metus vacuum transitum præstare possunt. Quod rectè et-
iam contra Augustini sententiam sentire videtur Petr. Martyr. *Marty. in lib. judic.*
Et cui ex divinis literis, ut alios præteream, optimi regis exem- *Num.20.*
plum incognitum? Quid enim? an non Josias Ægyptii regis *Deut.2.*
immunem omnis maleficii transitum pollicentis, expeditio-
nem contra Medum institutam, finibus suis exclusit? Sed ut ad *2.Reg.23.*
legatos redeam, quod ad illos pertinet, Alexandri Magni ex-
emplum imitationis regulam hoc loco habeat. Quid verò ille?
Carthaginensium triginta caduceatores ad Tyrios Macedoni-
cis copiis obsessos, per castra sua media contendere in urbem
passus est, urbeq; capta ibidem offensos, salvos & inviolatos re- *Curt.lib.4.hist.*
misit. In Liviano autem illo Macedone, à Romanis capto, lega-
to diversa observanda ratio. Macedones legationem se ha-
bere ad Romanos mentiti sunt. Idq; est, quod historicus dicit:
Felice primum mendacio evasere. Fraus autem & mendacium
postea detectum est, unde doli & proditionis suspiciones ad-
versus eos obortæ, quæ prehensionis & interceptionis justissi-
mæ causæ, juxta Solonis illam legem: *Mentiri noli.* Cùm etiam *Laërt. in vita Solonis.*
scelus esse videatur petenti proloqui mendacium, & vir bonus *Plaut. in Mercat.*
perpetuū præstare debeat, ne mentiatur: & prudens, ne men-
dacium dicat, neq; concedendum sit, ob utilitatem publicam
fallere & mentiri. Nec verò solùm in falsi crimē incurrunt, qui 11
se legatos profitentur, cùm à nemine missi sint, quorum exem- 12
plum in Carthaginensibus illis ad Scipionem, qui se habere le- *Val.lib.6.*
gationem mentiebantur, cùm capti ab eodem essent. Sed & illi 13

c. caver. c. fraver 23. q. 5.

etiam, quietsi sagmina ferant, vereq; emissi sint, ad eum tamen se missos falsò asseverant, ad quem mandati nihil habent. Securitatis itaque umbraculum, quod ex jure gentium legati habebant, falsitatis culpa, quæ omnibus gentibus odiosa (τὸ γὰρ ψευδόμενον φαίνεσθαι καὶ τοῦ συγγνώμης τινὸς τυγχάνειν ἐμποδὼν μάλιστα ἀνθρώποις γίγνεται. *Namq; in mendacio deprehendi, impedit omnis veniæ consecutionem*) mentiti legationem amittunt, qui proditores potiùs & speculatores, quàm caduceatores habentur. Neq; enim securitatis genticæ præsidium illis deberi, sed deprehensos interfici posse, testatur Appianus his verbis: ἔθος τοὺς κατασκόπους κτείνειν: *Speculatores occidere fas & mos est.* Illud enim præter morem castrensem, tum majoris apud hostem admirationis, tum hujus finis

Xenoph. lib. 3. pæd.

15

App. lib. de bell. Pun.

16 obtinendi gratiâ, ut remissi ad Hannibalẽ, castrorũ instructissimam supellectilem, & apparatum bellicum, armamentaria, machinasq; conspectas referrent, à Scipione factum est, cùm deprehensos in castris speculatores Pœni ducis dimiserit. Scire enim nonnunquam hostem castrorum & belli nostri formidandum apparatum, ac abundantiam rerum omnium expedit. Speculatores autem hîc eos accipe, qui nullum alium legationis prætextum habent, non eos, qui missi solenniter, dicis gratia, dicenda quædam, & agenda habent, & inter aliud agendum, explorationi rerum omnium, quarum tacitè exquirendarum gratiâ potissimùm emissi, incumbunt. Cujusmodi legationibus etiam Romanos, ad Antiochum misso cum aliis Africano, usos fuisse Appianus testatur, his verbis: οὐ γὰρ ἐπ' ἔργῳ συμβάσεων ἐληλύθεισαν ἀλλ' εἰς ἀπόπειραν, *non tam rei conficiendæ, quàm explorandæ gratiâ venerant.* Et paulò antè idem ibidem de iisdem: Πρέσβεις εἰς τὸν Ἀντίοχον ἔστελλον, οἳ λόγῳ μὲν ἔμελλον συναλλάξειν Πτολεμαῖον Ἀντιόχῳ, ἔργῳ δὲ κατασκέψασθαι τὴν ὁρμὴν Ἀντιόχου, καὶ κωλύσειν ὅσα δύναιντο: *Legatos ad Antiochum Romani miserunt prætextu reconciliandi Ptolomæi cum Antiocho, sed revera eam ob causam, ut Antiochi animum explorarent,*

Veget. de re mil. App. d. l. l. 1. §. excusant. ff. ad SC. Syl. l. 4. ff. commod.

App. de bell. Syr.

rarent, & quantum possent, eum impedirent. Id genus legati, cùm solenniter missi sint, nomenq; & dignitatem justæ legationis 20
habeant, exploratorum, propriè quos ita dicimus, venire nomine nequeunt. Etsi enim aliud in labris, aliud in fibris ferant, ob id tamen legationis nomen & jus non amittunt, cùm rarissimè ad hostes missiones instituantur, quæ non astutam vapido 21
servent sub pectore vulpem, ut cum Satyrico loquar. Quid? *Pers. Sat. 5.*
quòd etiam in Romano illo omnis virtutis theatro L. Martium & Attilium legatos in Græciam missos, nulla de re alia 22
domũ reversos gloriatos legamus, quàm de decepto per inducias & pacis spem rege, eamque rem à maxima senatus parte 23
probatam. Etsi nonnulli ex veteribus novam istam sapientiam *Liv. lib. 42.*
(ita nuncuparunt) improbarint. Vide verò quantoperè sibi Cicero de novæ illius sapientiæ successu ipse gratuletur, ut exul- 24
tet, & quasi pæana sibi canat: *Imposuimus*, inquit, *populo, & oratores visi sumus.* Aliter tamen id genus legati tractandi, & secus cum illis agendum, quàm cum aliis. Romani nobis ejus rei do- 25
cumentum reliquerunt in Antiochi ad se missis oratoribus. Cùm enim senatus non obscurè intellexisset, tentatum po- 26
tiùs, quàm rem propositam expeditum, caduceatores venisse, dato brevissimis verbis responso, eos incertiores, quàm venerant, remiserunt, nulla explicatione causæ adjecta. Non itaque *App. d. lib. de bell. Syr.*
nervus adversum ejusmodi simulatores adhiberi firmior poterit, quàm si easdem, quibus ipsi pugnant, machinas vicissim 27
oppugnes, &, secundum vetus illud, studeas, *ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα*, vulpem contra vulpem, Cretem contra Cretensem agere, paribusq; armis contendere. Ultrà illud durius est quic- 28
quam cum illis agi, quod Catonianum etiam oraculum vetat: *Caduceatori nemo homo nocet*, cùm ipsum etiam nomen legatorum tam venerabile & sanctum esse debeat, Cicerone perhibente, ut non modò inter sociorum jura, sed etiam inter ho- *Cic. Verr. 3.*

Idem de Aruſp. reſponſ. ſtium tela incolume verſetur: idque non tam humano, quàm
divino ſcito ſancitum, imò lege à Deo ipſo promulgata decre-
Egeſ.lib.1. c 32. tum, teſte Egeſippo. Eamque ob cauſam tam firmum & fixum
30 apud omnes gentes non violandi legati jus habetur, ut omni-
gl.in l.conventionum § ff.de pact. & in l. poſtlim.19.ff.de capt. bus etiam bellorum denunciationibus & conventionibus ta-
citè ineſſe intelligatur, etiamſi expreſsè nulla hujus rei mentio
facta fuerit. Quod tamen caviſſe peculiaribus conventionibus
inter ſe Attici & Lacones perhibentur, ut utrinq; legatis, ultrò
31 citroq; ſub belli flagrantia hinc inde miſſitatis, terra mariq; ſe-
curitas præſtaretur. Sed hoc, ſi juris gentium fides inter illos lo-
32 cum tenuiſſet, muniri ſingulari pacto non opus fuiſſet. Etſi
non video, quî cum illis fieri ullo modo firmæ conventiones &
33 fœdera poſſint, qui, quod ſanctiſſimum habetur inter morta-
34 les, jus gentium non advertant, non obſervent. Aut quomodo
ſuis illi pactis ſteterint, qui naturę legibus, & omnium populo-
35 rum moribus contraria perpetrent? Quo nomine Athenien-
ſes potiſſimùm malè audierunt, quòd eo ingenio haberentur,
Plaut. in Aulul. Thucyd.l.1. ut ſecundum iſtud Plautinum, pactum non pactum, non pa-
36 ctum pactum dicerent, cùm illis luberet. Lacones verò ſcie-
Cic.de ſenect. bant, quæ fieri debebant, ſed facere nolebant. Unde factum, ut
ab his civitatibus legationis jus frequentius fuerit invicem
Thucyd.d.l. violatum. Longè verò majorem in legationis ſecuritate cuſto-
37 dienda diligentiam & ſeveritatem poſitam habuere Romani,
qui, adhibita ſumma religione, eam ob cauſam viginti fecia-
lium collegium inſtituerunt, ut ſi cujuſpiam apud ſe legati vio-
39 lati eſſent, illi cognoſcerent, & nullo dignitatis honoriſve ha-
bito intuitu violatores dederent. Quam quidem violatæ lega-
tionis pœnam, utpote æquiſſimam, prudentiſſimus juriſpru-
40 dentiæ vates, Q. Mutius, reſponſo ſuo approbavit, legibuſq;
l ſi quis ult ff. de legat. civilibus inſeruit. Nec verò tanta legis ſeveritas ad terrendum
ſolummodò, quemadmodum illa in decemviralibus tabulis
de

de debitore, qui non solvendo fuerat, inter creditores disse- 41
ctim partiendo, proposita, verùm etiam constitutis summo ri- *Gell.lib.10.c.1.*
gore exemplis exercitata. Dediti namq; omnium voce & suf-
fragio L. Minutius, & L. Manlius, quòd hostium Carthaginen- 42
sium legatos pulsassent: Deditus Hostilius Mancinus Numan- *d.l.ult.ff.de leg.*
tinis, quem tamen illi accipere recusarunt. Nec Q. Fabium, & 43
Cn. Apronium tueri curulis dignitas, munusque ædilitium
potuit, quin ob Apolloniæ civitatis legatos violatos eandem
legis severitatem uterq; subirent. Imò verò imperatorium il-
lud caput, Cajus Julius, periclitari vehementer ob idem ad-
missum cepit, cùm Gallorum caduceatoribus violatis, M. Ca- *Plut.in v.Cæs.*
tonis sententia in senatu damnatus esset, ut more majorum, et- 44
si imperator exercitus esset, hostibus dederetur. Illud enim re- 45
ligiosè etiam à Romanis est creditum, deos ipsos immortales *Suet.in C.Cæs.*
hujus criminis perpetrati acerrimos vindices esse. Nec aliun-
de illi existimarunt sibi Celticam istam calamitatem, quæ ad 46
extremam tegulam, fortunæq; angustiam res Romanas propè
adegerat, evenisse, quàm quòd Romani legati adversus jus *Plut in v.Nu-*
gentium armis captis, Q. Fabium, Gallorum ducem, impunè *ma Pomp. Liv.*
interfecissent. Idcircò C. Cornelium Cossum legimus, cùm à *lib.5.*
Larte Tolumnio, rege Vejentum, cujus jussu Fidenates Roma-
norum oratores interemerant, armis populi Romani sumptis,
violati juris gentium vindictam reposceret, deos precatum es-
se, ut si modò aliquid sanctum inter homines esse vellent, ne 47
scelus admissum impunè abire paterentur, neq; eundem du-
bitasse regi longè robustissimo juris divini humaniq; violatori,
solum & unũ sese objicere, magisq; causæ suæ bonitate, quàm
corporis viribus nixum, haud magno negotio eundem stravis-
se, cervicemq; victo amputasse. Legantur gravissima Cornelii *Cic.Phil.9.*
verba: *Hiccine est*, inquit, *ruptor fœderis humani, violatorq; gen-*
tium juris? Iam ego hanc mactatam victimam, si modo sancti quic-

Liv.lib 4. *quam in terris Dii volunt, legatorum manibus dabo.* Nec verò un-
48 quam alibi tam manifesta Dei ultoris ira illuxit, quàm cùm ob
violatos legatos, urbes & regiones devastatæ, funditusq; ever-
sæ fuerint, secundum illud Juvenalis:

Magnaq; debetur violato pœna caduceo.

Herod.in Poly. Agnovit hoc historiarum parens, qui scribit, Atheniensium so-
49 lum cum urbe eversum esse, quòd Darii, Persarum regis, lega-
tos in puteum dejecissent. Et, Deo vindictam reposcente, Ara-
bes numero & multitudine, viribusque armorum superiores,
sed animis ob conscientiam sceleris, quòd legatos contra fas
50 gentium trucidassent, inferiores, ab Herodis copiolis fusos esse
Egesf.lib.3.c.31. testatur Egesippus. Ejusdem verò cõmissi conscientiâ, tanquã
furiarum flagello, ita contortos Lacedæmonios accepimus, ut
51 ultrò ad Xerxem, cujus legatos interfecerant, hominum suo-
rum piacula & victimas ad expiandam & avertendam à sese
divinæ ultionis pœnam, miserint. Serò illi quidem, quod Phry-
gum, ex proverbio, proprium est, ad saniorem mentem revo-
52 cati: saniores tamen, quàm illa Russorum Megæra, & Erynnis
infernalis, Helena appellata, quæ de cæsis sæpissimè legatis,
quasi re præclarè gestâ (propudium & monstrum mulieris, aut
potiùs bestiæ) etiam triumphavit. At illi æterni fœderis & ami-
citiæ per nuptiarum vincula fortiùs conglutinandę gratiâ mis-
si à Prutenorum duce fuerant. Sed nec illa furia divini supplicii
acerbitatem effugit. Oestro enim furoris percita, se ipsa aqua-
rum voraginibus immersit. Dignum non aliis fluminibus ab-
lui & expiari scelus! Vigilat enim justitiæ oculus sempiternus,
Am.lib.15. ultricesq; legatorum diræ, ut Marcellinus loquitur, violatio-
nem juris gentium persequuntur. Pleni autem barbarorum
populorum ejusmodi in legatos perpetratis facinoribus vete-
res annales & historiæ: Famosi eo nomine Æqui, Antiates,
Ligures, aliiq; complures, quorum instituendo indice superse-
deo.

deo. Sed utinam non nisi inter barbaras immanesq; gentes, in- 53
ter Lestrigonas nefandosq; Cyclopes, inter Heniochos & An-
thropophagos tam dira exempla inveniantur, neq; uspiam ali-
bi nostra ætas audierit horrenda morte affectos legatos, quàm
in extremis Moschiæ tesquis à tyranno Basilide, qui alios
clavo trabali per tempora diffectos sustulit, alios in plurimas 54
partes securi divisos, saleq;, instar halecum conditos, domum *Paul. Oderborn. in v. Basil.*
remisit. Verùm neq; Christianorum (dolendum) viæ satis tu- *Gangv. in eod.*
tæ sunt, imò verò infestiores etiam latrociniis & spoliationi-
bus, quàm Turcarum. Qui tot annos apud Mahometistas in
legatione securus & inviolabilis versatus fuerat, qui Germaniç 55
octennalem pacem & tranquillitatem industria & studio suo
conciliatam reportaverat, in limine patriæ suæ, memoria no-
stra, optimè meritus senex Augerius Busbequius, legatorum *Lips. ii. Epist.*
exemplar, truculenter occiditur. Nolim itaq; legatũ nostrum *cent. 1.*
securitati illi, quam jura gentium, & prisca hominum virtus
commendat, nimium confidere, sed in eo oculatas non solùm, 56
ut in proverbio est, manus, sed etiam pedes habere, ut pervi-
deat, quos adire homines tutò quos minus possit. Præstat in-
terdum illud archiatri imperatorii Galeni dictum imitari, qui
cùm juberetur, imperatorem suum in expeditionem adversus *Mut. lib. 2.*
Germanos comitari, nolle se, inquit, ad ursos ratione præditos 57
ire, unde nullus, nisi tristior daretur, reditus. Cæterùm nulla
belli indicendi causa justior, quàm violatorum legatorum ul-
tio, quod pluribus docet Polybius. Quod etiam nobis divinæ *Polyb. li. 1. & 2.*
literæ in Davide reliquerunt, qui cùm ab Ammonitarum ty- 68
ranno Hannone violatos suos, & injuria affectos comperisset,
classicum illicò cani, copias educi, bellumque inferri violatori 59
jussit. Belli autem eventus bonitatem causæ comprobavit. Ro-
mani certè in ea re majestatis suæ vindicandæ tam studiosi fue-
runt (majestatis enim læsæ crimen in eo etiam vertitur, si pu-
blicam

l.1 ff. ad l. Iul. majest. blicam adversus securitatem legatorum quippiam committa-
tur) ut ne verbo quidem violari suos legatos toleraverint, sed
Cic. in orat. pro leg. Manil. & Corinthum, totius Græciæ lumen, ut Cicero testatur, extin-
60 ctam voluerint, diruendæ urbis mandato L. Mummio pro-
pterea dato, quòd legati populi Rom. superbius essent appel-
lati. Sybaritarum urbem delesse eandem ob causam Crotonia-
Ath. li. 12. c. 16. tas, scribit Athenæus. Mithridatici verò belli incendium, quo
totus Pontus, & florentissimum viginti & pluribus diversarum
61 locutionum nationibus regnum deflagravit, legationis viola-
tæ causa exarsit, cujus belli justissimi inferendi auctor & suasor
est vehementissimus in oratione allegata noster Tullius, cui
tamen in ore & symbolo erat illud: *Cedant arma togæ*. An-
62 tea invicti, & Romanorum auribus solo nomine terribiles Ger-
mani tum demum fugati, & magna clade cæsi sunt, cùm lega-
Cæs. lib. 1. com. tos ad se missos Ariovistus cathenis onerasset. Nec alia causa
63 primùm veteres Saxonas Caroli Magni bellis implicuit, quàm
quòd legatos Francicos ad se missos neci dedissent. Hinc Albis
Æmon. l. 4. c. 86. de gest. Fran. & Visurgis sanguine multoties rubefactus, ferro & igne, quic-
quid inter utrumq;, devastatum & eversum. Sed quid de vio-
latis legatis suscepta prælia profero? cùm etiam ob nuncium
& epistolarum allatorem interceptum, eumq; privatorum
64 quorundam militum insidiis sublatum, Galliæ intulerint arma
Guic. lib. 10. Tigurini. Sed illi fortassè nimis calidi, qui unius tabellarii ne-
cem, privatamq; injuriam, totius reipubl. suæ periculo, popu-
liq; sanguine in aleam Martis posito, vindicandam duxerint:
hi verò, qui publicam majestatis suæ in legatorum violatione
contemeratam, fortiter & animosè ulti sint, divini humaniq;
65 juris custodes meritò appellandi. Crudeles contrà tam in se,
arg. c. non sunt. 11. q. 3. c. nolo 12. q. 1. quàm in suos, qui eos, quibus existimationē & majestatē suam
ad alios deferendā dederint, si violati, si pulsati, si trucidati fue-
66 rint, insuper habeant, & injuriā, oblivione sepeliant, aut, quod
omnium

omnium sceleratissimum est, datis Bellerephontis & Uriæ lite- 67
ris emittant, ut, quos domi nõ facilè possint, foris aliorum ma-
nibus mactent: pejores, fidem hominum testor! pessimo illo
Calligula, qui cùm sub honoris specie quendam ablegasset ad 68
Ptolomæum regem in Mauritaniam, his verbis Epistolæ inser- *Suet. in v. Cal.*
tis quasi relegavit: *Ei, quem isthuc misi, neq; boni quicquam, neque*
mali feceris. Ejusmodi autem missionum ingeniosam archite-
ctam Erynnin Galliæ, Catharinam Mediceam fuisse, superiore
libro, ex Warsevicio, ostendimus. Nec aliis agitatum defatiga-
tumq; novercalium ablegationum laboribus Herculem, vete- 69
ris prudentiæ integumenta innuunt. Cæterùm quæ hactenus *Senec. in Herc.*
de securitate & incolumitate legatorum exposita sunt, tum de-
mum valida, jurisq; sui potentia habentur, si tum mittens, tum
missus officio etiam suo, quod vicissim debent, satisfecerint.
Quid enim? si, qui te nunc mittit, vel illorum, ad quos mittit,
vel per quos mittit, aliquãdo legatos læserit, intercepit, excus-
serit, percusserit, quo ille jure suæ legationi securitatem ab iis- 70
dem postulabit? Naturæ, imò Christi Dei nostri vox est, quam
Alexander Severus à Christianis edoctus, publicis non modò
præconiis, si quem emendaret, proclamari, sed & palatii parie- 71
tibus, publicorumque operum titulis inscribi jussit: *Quod tibi* *Lamprid. in v. Alex. Sev.*
non vis, alteri non feceris. Vis itaque tuum tibi legatum tutum
& securum ire, redire, jurisq; gentium privilegio sanctum ha-
beri, aliorum etiam tibi legati sacri & sancti eodem jure sun-
to. Tyrannorum est in aliis severissimè illa crimina persequi, 72
quibus ipsi potissimùm flagitati. Juris autem non solùm civilis, *Xiph. in v. Ner.*
sed & Canonici sententia est, paria delicta mutua compensa- 73
tione tolli, & dolũ dolo compensari ac elidi. Nec ex eo jure par 74
est te fructum consequi, quod visus es ipse impugnare. Et fru- 75
strà sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem ipse non *c. ex eo, de R. I.*
præstitit. Imò verò, quemadmodũ eleganter Albericus loqui- 76

V tur;

Aiv. d. li. 2. c. 6. tur: *Iura violanti, si jus non præstatur ei, non violari, sed jus reddi cre-*
77 *ditum est.* Memor itaque legatus noster egregiæ ejus concionis
78 sit, quam Xenophon, cùm Cerasuntiorum legati à gregario
Xen. lib. 5. de exped. Cyr. milite in tumultu essent lapidibus obruti, gravissima voce habuit: ubi inter alia, τίς γὰρ ἐθελήσει κήρυξ ἰέναι κήρυκας ἀπεκτονώς. *Quis,*
79 inquit, *illos accedere cum caduceo ausit, quorum caduceatores ipse interfecerit?* Xenophontis judicium ex gentiū more desumptum, non ei sperandam esse ostendit securitatem, suis legationibus apud illos obtinendam, quorum legatos contra fas gentium
80 idem læserit. Jure itaq; Stephanum, Transylvaniæ dynastam, qui postea singularis fortunę gradu in solium Polonorum evectus fuit, detinuit, ad se legati nomine missum, Maximilianus II. Romanorum imperator, quo tamen nemo potentiorum
Warf. in Orat. funeb. Steph. unquam æqui servantior, quòd suos itidem oratores in Polonia periclitari accepisset. Iteravit idem Imperator in ejusdem Stephani jam tum regis facti legatione ad se Ratisbonam mis-
81 sa, detentionem, cùm suos oratores ad civitatem Gandavum missos, in Polonia violatos percepisset. Eadem ratione, Gotho-
82 rum legatos detinuit olim Belisarius, cùm sui imperatoris ora-
83 tores detentos ab iisdem acciperet. Æquissima profectò talio,
Gell. lib. 10. c. 1. cùm par pari refertur, & secundum Hesiodum μέτρῳ ἴσον, cùm eadem cujusq; rei lanx & mensura reponitur. Verùm hîc Romani senatus, & unicū Africani exemplū de Pœnorū legatis op-
84 ponunt. Quodnám illud? Cùm de violatis legatis suis à Carthaginensibus rumorē Romani accepissent, extemplò discedere à Carthaginensibus missos jusserunt: qui postquam tempestatis ludibrio in Scipionis castra essent delati, roganti quid facto
App. de bel. Pun. opus esset, classis præfecto: οὐδὲν, ἔφη, ὅμοιον Καρχηδονίοις, ἀλλ᾽ ἀπέπεμπεν ἀπαθεῖς. *Nihil,* inquit, *tale quale Carthaginenses, sed intactos dimi-*
85 *sit.* Sed hoc non ad commmunem talionis regulam, nec ad stricti juris normam trahendum, sed speciali Scipionis gratia, imò verò prudentia singulari & æquitate æstimandum. Scipio enim

enim suos cognoverat legatos non ab illis læsos, qui legati mittendi potestatem habebant, à patribus videlicet & senatu, sed à promiscuo vulgo, quod furenti belluę simile, inconsulti caloris æstu, facinus esse perpetratum. Ut autem vanæ vulgi voces ex rescripto Dioclet. & Maxim. ita neque temeraria multitudinis facta in publicæ causæ cognitione attendenda, multoque magis stolidæ plebis, quàm senatus erratis condonandum esse docet Annibal. Præter rationem itaque agi, tum à senatu, tum à Scipione visum foret, si stolidum tumultuantis plebeculę furorem ulcisci in publica legatorum persona voluisset. Nec verò poterat Africanus causam plebis & patrum disjungendorum majorē serere, quàm si nobilioribus legatis, quos ob vulgi adversus legatos commissa, lædere ipse poterat, dimissis, nobiliores & prudentiores ad sese admiratione virtutis traheret: plebem autem & senatum, quòd hic vulgi facta improbaret, sententiis & studiis distraheret. Nec illum animi sui falsum fuisse eventus docuit. Nihil ergò Scipionis illud singulare factum adversus superiora exempla diversum producit. Cùm enim diversæ hoc & illa rationis sint, in unam convenire regulam nequeunt, neq; alterum ex altero dijudicari. Verùm si momentis suis Africani illud judiciū ab omnibus perpenderetur, minùs nonnunquam in hac causa laboraretur. Quàm multa enim in hoc genere fiunt, quæ fieri non debebant? Clanculum sæpenumerò privatorum insidiis intercipiuntur, & quod gravius est, interficiuntur in itineribus aliunde missi; suspicionum inde nebulæ illicò adversus loci, in quo facinus patratum, dominos exoriuntur, & ad talionis pœnam legati illorum accersuntur. Ita Francisci I. regis Galliæ legati, cùm in Italia essent intercepti, adversus Carolum Imp. falsa suspicione interceptionis mota, intercepti & Cæsarei legati in Gallia sunt. Luit Carolus in legatis culpam, cujus conscius nunquam fuit. Neque enim

[Margin notes: *Idem App. d. li.* 86 *l. 12. C. de pœn.* 87 *Annib. in orat. ad Scip. apud App. d. loc.* 88 *Idem d. l. n. 28.* 89 90]

Bod. de rep. li. 5. hucusque probare illud potuit, quod Bodinus ausus sine teste
91 proclamare, annuente, aut certè dissimulante Carolo V. Imperatore, cæsos in Italia legatos Francorum regis esse. Verùm ne-
92 que hæc legatorum securitatis violandæ causa justa est, quam Turcarum tyrannus in Cæsareo oratore Friderico de Kreckowitz, superioribus annis non solùm detento, ac ergastulis inclusò, sed & contra jus gentium immaniter squaloribus carceris enecto, arripuit, cùm primum Ungarici belli tela sub imperio invictissimi Rudolphi II. verè secundi & felicissimi, inchoaretur, quando, uti inter finitimos fieri solet, juxta illud: *Inter finitimos lis, atq; æterna simultas*, provocatione utriusq; partis ad
Decret. Imp. An. 1594.
93 arma deventum, cladeq; facta induciæ diremptæ fuerant. Belli autem & legationis jura contraria nō sunt, quemadmodum in Logicorum circulis loquuntur, quæ se mutuò tollant, sed
94 diversa, quorum hæc ratio, ut simul esse & consistere unà possint. Nec legationis administratio à pacis & belli jure dependet, sed per se & ex se jus singulare, juris divini & gentium præsidio munitum, habet, quod utroque tempore reipubl. inviolabile permanet, cùm & pacis & belli unica sequestra sit lega-
95 tio, quemadmodum Clodoveus, Francorum rex, in oratione ad milites suos contra Gothos violatores legationis graviter & eleganter loquitur, quæ inter media hostium arma, expers omnis discriminis versatur. Etsi itaq; fœdera & pacta pacis & induciarum turbentur, quod ipsum per se grave, *cùm nihil tam fidei humanæ conveniat*, ut Ulpianus verè exclamat, *quàm quæ servari placuit, servare.* Etsi enim bellorum injuriæ undiquaque inferantur, agri incursionibus vastentur, regiones & præsidia tua trucidentur, non tamen ex omnibus illis belli injuriis adversus legatos, qui ad te juris gentiū fide missi, injuriosè quippiam designandi justa causa emergit, sed belli tantummodò justi causa nascitur. At inter belli etiam ac armorum fremitus tutò

Æmon. lib. 1. de gest. Franc. c. 26.

l. 1. ff. de pact.

l. ut vim. 3 ff. de just. & jur.

tò versari legati debent. Bella enim non nisi cum hostibus agi-
tanda. Legatione autem qui perfunguntur, hostem exuerunt. *Æm.d.loc.*
Propterea impiè & sceleratè ii agunt, qui pacis & fœderum fra- 97
ctiones, legationis violatione, cõpensandas curant, cùm com- 98
pensatio non nisi inter paria consistere possit. At quâ poterit 99
pacis & legationis violatio pari ratione teneri? cùm omnium *d.suprà ll.&c.*
etiam bellorum cõventionibus, quod jam antè pluribus osten-
sum, legationum missiones tacitè inesse intelligantur, utpotè
quæ tanquam malagmata omnium, quæ ex bello proficiscun- 100
tur, malorum & vulnerum esse possint. Etsi itaq; de Carthagi-
nensibus verum fuerit, quod canit Silius:

————ter Marte sinistro,
Iuratumq; Iovi fœdus conventaq; patrum
Sidonis fregere duces, atq; impius ensis
Ter placidam suasit temerando rumpere pacem.

Eò tamen per ter rupta fœdera adduci Romani nõ potuerunt, 101
ut eam ob causam Carthaginensium legatos contemerarint. *App.d.l.*
Ex fœderis enim & juramenti violatione jus belli justi oritur,
non autem ex jure belli, licentia violandæ legationis nascitur. 102
Mithridatem Ponti tyrannum, datis arcanis ad Asianos literis,
cunctos per Asiam negotiantes & hospitantes Romanos una
die crudelissimè mactandos curasse legimus. Dirum & imma- 103
ne facinus! unde justissima bellicæ vindictæ causa Romanis in
manum data. Iniquè tamen Quirites & contra gentium fas fe-
cissent, si in legationibus Mithridaticis ulcisci cladem illam 104
voluissent. Sed satis de barbarico Turcarum facto, quod divina
Nemesis per quindecim hucusque annos innumeris cladibus
justissimè vindicavit. De missi officio, quod vicissim, securita-
tem sibi præstantibus eandem debet, agamus. Nec enim eam
secum domo legatus opinionem feret, quam ex frenis schola-
sticæ disciplinæ in Academias adolescentes nostros vulgò af-

ferre videmus, qui cum imperialibus immunitatibus & privilegiis Univerſitates, ut vocant, honoratas, & libertate majore præditas eſſe audiant, ſibi quidvis impunè licere ibidem autumant. At quàm ineptè & imprudenter? dum ignorant libertatem, quæ ingenuæ indoli meritò conceditur, à licentia, qua neminem non deteriorem nequioremq; reddi, Comicus rectè perhibet, quàm longiſſimè differre. De qua re memini eruditiſſimum potentiſſimorũ principem, Dn. noſtrum clementiſſ. Haſſiæ Land graviũ, Mauritium, prudenter dicere: *Libertatem Academicæ juventuti permittendam, licentiam verò nullam omninò eſſe indulgendam.* Tantum enim abeſt, ut libertas licentiæ manum porrigere videatur, ut etiam multò majore pœna digni
106 judicentur ii, qui honoribus & privilegiis ac immunitatibus majoribus aucti, iiſdem abutantur, ſeſeque indignos faciant, quemadmodum imperator reſcripſit Theodoſ. Idem legatus noſter advertat, & ad ſeſe pertinere dictum illud cogitet. Le-
107 gationis enim ſecuritatem nemo exiſtimet, tanquam Romuli aliquem lucum & aſylum eſſe, quod, ut Satyricus ſcribit: *Scelus omne tegebat.* Faceſſant hinc omnes improbi, procul omnes criminoſi ac ſceleribus cooperti, & ut ſacerdotali veterũ verbo utar: ἑκὰς, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός. Uxorem requirebat dictator Ro-
108 manus eam, quæ non modò omni probro, ſed etiam probri ſu-
109 ſpicione omni careret. Ad hanc etiam cenſuram legatus noſter iis virtutibus morumq; præſtantia eſto, ut neque ſuſpicio ullius criminis in eum cadere poſſit, quem omnes veluti boni viri exemplar, ac integritatis vivum ſimulacrum intueantur:

Cui non quod liceat, ſed quod feciſſe decebit,
Occurrat, mentemq́, domet reſpectus honeſti.

Juris itaq; præſidium, ſecuritaſq;, ut ita loquar, umbella, contra decus & honorem legationis verſantem non tuetur. Non
110 enim amplius iſtum legatum jus hoc, quo legationis dignitas niti-

l. 8. C. de Epiſc. & Cler.

Callim. in hym. Apoll.

Claud. in conſ. Honor.

nititur, agnoscit, sed rejicit eum & aspernatur, juxta illud, quod à Constantino rescriptum legimus: *Omnem honorem reatus excludit.* l.1.c. ut Senat. Notentq; caduceatores gravissimam illam legis sententiam, quam Julianus ad Agentes in rebus rescripsit: *Horum*, inquit, *condemnationes irritæ futuræ sunt, qui servaverunt honestatem. Erga eos verò qui inhonestè, & contra decus seculi vel honorem militiæ versabuntur, non solùm condemnatio mansura est, verùm etiam gravior pœna statuenda.* 111 Nec enim munus & dignitas succurrere cuiquam illa debet, in qua inhonestè versatur. 112 Imò verò se ipsi honore exuunt, ut inter postremos quosq; habeantur, qui vitæ turpitudine & sceleribus honores polluunt. l.judices.12.C. de dign. Idq; adeò verum, ut etiam, si qui in dignitate illustri indignum sese quippiam commiserint, persona sua privati, legum severitati subjiciantur. 113 *Quantò enim altius quis in sublime evectus, si probè se gerat, tantò rursus gravioribus percellitur pœnis, si quid contra leges deliquerit,* l.quoties ult.C. de dign. quemadmodum his verbis Justinianus gravissimè rescripsit. Quamobrem vox illa, quâ idem Bizantinos legatos affatur, in auribus nostri legati & oculis esto: *Tamdiu*, inquit, *jus nō violandorum legatorū servandum est, quoad ipsi jus legationis honestatemq; servaverint.* 114 Proc. de bell. Vand. Non igitur mirum cuiquam videatur, si extra publicæ securitatis jurisq; gentium septa, rapti quandoq; regum caduceatores esse, affectiq; ultimo supplicio audiantur. Adulterii condemnatum, ductumq; ad extremam capitis pœnam in Lusitania legatum quendam scribit Warsevicius. 115 Warf. d. orat. Et patrum nostrum memoria Francisci I. regis Gallorum legatus homicidii pœnam luit, Mediolani capite plexus. Cæsos in Amyntæ Macedonum principis cœnaculo Darii, Persarum regis oratores, vulgò hîc omnes ex Herodoto allegant, eosq; justissima libidinis & lasciviæ pœna affectos esse vulgò asserunt. 116 117 Herod. lib. 5. Chyt. ad d. li. 5. Herod. Verùm in eo exemplo momenta causæ non exactè, ut liberè contra omnes judicem, ad æquitatis normam perpenduntur.

Juve-

improbam manum, ut Arbiter loquitur, in sinum matronalem *Petron. in Saty-*
injicere, illis tamen moribus & statutis legatus condemnari 125
non potuisset. Quamvis enim capitali pœna in legatum animadverti possit, ob illa, quæ tum divinis, tum naturalibus legibus sanguinis pœnam delicta merentur, ut sunt latrocinia, veneficia, homicidia, adulteria, & similia: attamen in illis, quæ singularibus cujusq; civitatis moribus & statutis vetita, duriorem pœnam & mulctam imponunt, si fortè legatus offenderit, secundum civilis legis rigorem, coërceri ille non debet. Affert enim legatus, & secum adducit juris gentium leges & nor- 126
mas, secundum quas examinari & puniri delicta ejus oportet. Alterius verò civitatis moribus minimè tenetur. Nec illud ad legati legem & disciplinam necessariò convenit, quod in triviis canitur:

Si fueris Romæ, Romano vivito more. 127

Jus autem gentium naturalis rationis ductum viamq; sequitur, ut quod omnes gentes naturali judicio & argumentatione tum intelligunt, tum approbant, aut reprobant, illud ex jure gentium judicetur, recténe, an secus actum. Unde Tullius: *l.1.l.9 ff. de just. & jur. Inst. de jur nat.*
Consensio, inquit, *omnium gentium lex naturæ putanda est*. Sed rem exemplis illustremus: Interdictum in oppidis quibusdam Ita- *Cic. 1. Tusc.*
liæ & alibi est, gravissimæ pœnæ sanctione, ne quis gladium in 128
publico gerat. Legatus, qui ex moribus suis acinacem & telum eò missus gerit, gladii ferendi interdicto conveniri non potest. Ac vide, quid fecerit Ferdinandus Imperator: Severa ille prohibitione, aditum ad sylvulam quandam incæduam, Vie- 129
nensi aulæ proximam, venationis & delectationis ergò instructam, interclusisse narratur, eratq; gravior mulcta constituta in transgressorem Cæsarei edicti. Hærebat id temporis in aula Cæsaris Polonorum legatus, Episcopus Gresnensis, cujus ex familia rhedarii, ut fracto temoni reficiendo cæderent arbo-

rem, cum bipennibus sylvam irruunt, onustumq; ingenti ro-
bore currum reducunt. Conspexerat Imperator, indignanter-
que rem istam ferens, extemplò mittit, qui furtim cæsę arboris
vectores constringerent, quos cùm rhedarios Polonorum le-
gati agnoscerent, legationis tutamini, impunè res illa cessit,
quod aliis fraudi fuisset. Non tamen hæc eo modo accipi ve-
130 lim, quasi omninò prohiberi legatus, ne ingrediatur alterius
lucum & fundum, non possit: potest ille certè ratione etiam
naturali. Verùm illud ex eo intelligatur, legatum sua ob de-
licta, nullis civilis & municipalis statuti sanctionibus, sed tan-
tummodò juris gentium dictamine teneri, & ex eo punien-
131 dum esse. Graviter autem juris gentium violatur sanctimonia,
si adversus legatum animadversiones graviores quàm fas est,
adhibeantur, aut, si in vi repellenda, ut Albericus loquitur, *su-
prà, quàm oporteat, enitamur.* Cæterùm Judęorum regis Herodis,
132 etsi cætera ferè tyranni, in hoc tamen æquitatis jurisq; gentiū
servantioris exemplum, cruentam illam Amyntæ aulam ini-
quitatis & juris gentium violati clarè arguit. Quomodo verò?
133 Arabum regis ad se missum legatum cùm solenni cœna exce-
pisset, Salomenq;, sororem suam, iisdem dapibus adhibuisset,
non minorem hic in Arabe, quàm Macedo ille in Persa, lasci-
viam regio conspectu & mensa indignam, moribusq; Judæo-
rum intolerandā, animadvertit. Sensum enim, ut vulgò ajunt,
objecta movebant, in Salomen Arabs non solùm oculis & nu-
tibus procacibus, sed & petulcis gestibus exardescebat. At qua
pœna Satyrum libidinosum legatum istum rex afficiebat? Nul-
134 la certè alia, quàm, ut re infecta, illicò discedere juberetur. Sed
neq; hæc levis pœna est adversus legatum, quæ insignem in
sese notam habet, multoq; majorem, quàm si aut advocatio-
135 ne, aut foro, aut postulatione apud præsidis tribunal alicui in-
136 terdicatur. Solebat etenim Imperator Hadrianus ea pœna
mul-

l. 3. ff. de acq. rer. dom. l. per agrū. C. de serv. & aq. l. divus. ff. de serv. rust. præd.

Gent. lib. 2 c. 18 de leg.

Ios. lib. 16. c. 7. Ant. Iud.

mulctare eos,qui graviſſimè ipſum offendiſſent,ut in patriam
remitteret,ſibiq; illos nequaquam placere reſcriberet. Quem- *Xiph. in v. Adr.*
admodum enim ſecundum illud Horatianum:

Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt. 137

Ita contrariis rectè reciprocis, non ultimum opprobrium eſt,
non ſolùm principi, ad quem miſſus es, diſplicere,ſed etiam re
infecta,ab eodem inhoneſtè dimitti. Nec alia pœna affecti ora-
tores Pontificii,qui ad Fridericum I. imperatorē Noribergam 138
miſſi erant,cùm majeſtatem imperii contumelioſis verbis pro- *Ott. Friſ. de geſtu Frid. Imp. 3. cap 10.*
ſcinderent, quàm ut è veſtigio diſcedere cogerentur. Sed neq;
in graviore legatorum delicto,graviorem à Romanis pœnam 139
uſurpatam eſſe, illuſtri documento eſt, de ejecti Tarquinii le-
gatis (etſi cum exule & relegato nullũ legationis jus, niſi quòd
hi in cauſa Tarquiniorum ab aliis etiam vicinis regibus inter-
ceſſoribus miſſi fuiſſe videntur) ſenatus Romani ſententia.
Quæ verò illa? Livius: Quanquam,inquit,viſi ſunt commiſiſ-
ſe,ut hoſtium loco eſſent, jus tamen gentium valuit. At quid
commiſerant? Sub ſpecie legationis, de bonis Tarquiniorum
repetendis ſuſceptæ,quod in occultis mandatis habebant, ſe-
dulò perficere laborabant, ut, corruptis nobilioris adoleſcen-
tiæ animis, & conſpiratione contra rempubl. concitata, reges
iterum clanculum in urbem noctu intromitterentur. Conju-
rati juvenes extemplò conjecti in vincula ſunt, ac virgis & ſe- 140
curi cæſi: in legatos verò nihil acerbius conſtitutum, quàm ut
re infecta, imò verò ſententia de bonis regiis reddendis reſciſ-
ſa, fuerint dimiſſi. Atqui hoc Romanæ prudentiæ exemplum
contra fas gentium agere illos docet, qui legatos ob conjura- 141
tiones adverſus imperium & principem deprehenſas, & ob
conſiliorum pravorum molitiones,pœna capitali,ex læſæ ma-
jeſtatis capite, perſequuntur. Quamvis enim legis civilis rigor
tum ad reipubl. tum ad principum, tanquã patriæ parentum,

salutem diligentissimè custodiendam, non solùm rei tam atro-
cis actum & effectum, verùm etiam affectum & consilium ea-
l. quisquis. ff. ad l. Iul. maj. dem severitate jure & meritò persequatur: quemadmodum
Mart. l. post di vi. 8. C. eod. Arcadius & Honorius rescripserunt. Legatus tamen, adversus
Vlp. l. 1. eod. peregrinum principem delinquendo, quem neque dominum,
ulla subjectione aut nexu obligatus agnoscit, majestatem ejus
142 lædere non intelligitur, atque propterea nequaquam illis legi-
143 bus judicari poterit, quæ nō nisi subjectos, quibus scriptæ sunt,
144 tenent. Naturalis autem ratio, jusq; gentium, quo legati causa
judicanda, illud omninò non admittit, ut affectus, suasus &
145 consilium sceleris pro consummato scelere habeantur. Quæ
l. cogitat. 8. ff. de pœn & ibid. commun. Dd. cùm ad hunc modum & gentium & Romanorum juri quàm
maximè consentanea, & eam ob causam firmissima sint, nihil
omninò legatus noster commovebitur, duriore atq; iniquiore
ista sententia, quàm superioribus annis, cùm quinquennio
Argent. edit. antè hic liber prima editione prodiisset, quidam suppressi no-
minis auctor, peculiari de hujus rei quæstione, edito tractatu,
in contrariam, uti videtur, partem asseruit. Quomodo verò?
Quò major legatis delinquendi occasio, liberiorq; nocendi
facultas atque vis sit, eò graviore pœna eundem coërcendum
esse Anonymus iste arbitratur, ita quidem, ut etiam malevola
ejus voluntas habenis injectis extorqueatur. Prudens, quis-
quis est, quòd nomen suum occultaverit, ne cum inventore
Perillo nominari, dignusq; prædicari possit, qui, quas legato
fabricavit fidiculas ac equuleos, ipse princeps imbuat. Impru-
dens autem & planè ignarus ejus juris, quod ad legatum con-
venit. Sed & hoc loco à nobis discessionem facere eruditissi-
mus Philosophus videtur, qui tamen in hac de legationibus
doctrina, non modò reliquas sententias, sed etiam omnia ferè
Curs. Philos. disp. 35. exempla & verba nostra in epitomen revocata, secutus est: *Pro-
babile siquidem est*, inquit, *legati molitiones nullum unquam facultа-
tem*

tem habituras, nisi perfidi alicujus subditi ministerio promoveantur, & ita inter eos par & reatus & pœnarum fiat obligatio, ut quos par facinus coinquinat & æquat, eos par etiam pœna constringat & judicet. Nec obstat, quod de nullitate criminis in læsam majestatem Kirchnerus & alii implicant, quasi crimen majestatis non aliter possit contrahi, nisi à subjectis imperio & ditioni, quod sac verum sit, tamen, ut idem auctor (anonymum intelligit) *egregiè dicit, quod diversitas imperii non patitur, societas sceleris inducit.* Hæc ille, cujus conclusionis ratio, quàm falsis ab argumentis dependeat, quis tam cœcus & scævus animi, ut Gellii verbo utar, qui non perspiciat? parem ille contendit reatum delinquentium legati & subditi esse, parem idcircò etiam debere utriusq; esse pœnam. At illud non ita esse, perspicuè hoc capite ostendimus. Gravius enim quòd peccent, ob id gravior pœna cõstituenda in eos, uti Imperatores rescripserunt, qui nostri juris sunt, & nostra debẽt custodire mandata, &c. Deinde fundamentum juris civilis in dubium vocat, quod certissimum nobis in eo est, quòd læsæ majestatis crimen in legatum, tanquam nullo jure subditum, cadere possit. Quam quidem sententiam communem esse docet Clarus, & Anton. Gomez. docet novissimè Prosper Farinac. Contrariis igitur istis argumentis (neq; enim ad legatum ulla ratione pertinent, quæ de civili dignitate & privilegiis aliorum adducuntur) tanquam nebulis discussis, nostrisq; vicissim rationibus pensiculatè examinatis, ne solùm Romanorum exemplis, quæ, ut anonymus scriptor ait, mirari potiùs, quàm imitari publica suadeat utilitas, cùm rara sint, & perpauca, niti videamur, justissimè actum esse cum legato Hispanico in Anglia superioribus annis testatur Albericus, qui etsi contra reginæ caput, regniq; incolumitatem, detectæ conjurationis consilia cum aliis agitasse convinceretur, attamen nulla alia pœna affectus est, quàm dimissionis, reliquis verò consiliorum sociis, regni ci-

Theodos. & Valent. l. un. C. de conduct.

Clar. in pract. §. læsæ majestatis, vers. quandoq;.

Gom. var. res. tit. de crim. læs. maj.

Far. de ind. & tort. q. 51. n. 80.

Alb. d. lib. &c.

 vibus,

146 vibus, majestatis lege damnatis. Ita evasisse eandem ob causam
flagitiosissimum illum Verrem è Lampsacenorum manibus
Cic. 3. Verr. Cicero scribit, cùm ob vim virgini intentatã, sublatum de me-
dio hominem sceleratum oppidani vellent, cives verò Roma-
147 ni, qui eo loco negociabantur, ne illud fieret legationis & titu-
lo & jure opposito, intercederent, contendentes, legati no-
148 men gravius esse debere, quàm hominis libidinosi injuria sit æ-
stimanda, leviusq; ob id peccatum fore, si homini impuro pe-
percissent, quàm si legato non pepercissent, siquidem ultra co-
natum injuria non pervenisset. Hujus etiam rei in legato intui-
149 tu accuratè habito, cùm Phileas Tarentinorum legatus ope ac
Polyb. in select. consilio suo obsidum fugam adjuvisset, legato intra quinque
Liv. lib. 25. dieculas urbe discedere jusso, graviorem pœnã non imposue-
runt. At in aliis contra majestatẽ perpetrati criminis animad-
150 versio jure facta fuisset. Illud enim majestatis læsæ articulis in-
l. 1. ff. ad l. Iul. majest. ter alia continetur, ut si alicujus consilio obsides elabantur, is
majestatis reus habeatur. Sed illi rigori legati suasus non subja-
cet, ut jam antè probatum, neq; attenditur hîc civilis legis se-
151 veritas, quæ consulentem & delinquentem paribus pœnis af-
ficiendum esse existimat, cùm inter consulentem, & ex alterius
152 consilio delinquentẽ, simplicis naturæ consideratione, diver-
sitas longissima constituatur, quam civilis legis severitas non
153 expendit. Vidit tamen differentiam Saturninus, qui aliorum
d. l. 16. ff. de pœn. malitiam suadendo juvisse, non quidem scelus, sed instar scele-
154 ris esse dicit. At res ipsa & rei instar unum & idem non sunt na-
turâ, neq; simili ratione in naturæ comparatione habentur. Id-
eoq; minimè iniquum est, ut quidem aliis videtur, illud Ro-
manorum judicium, cùm legati consilio elapsos obsides & re-
ductos & virgis objurgatos saxi præcipitio sustulerint, suaso-
rem verò dimiserint. Obsidum fugam jure gentium punire
poterant, quod in obsides erat, ut si clàm elapsi essent, fidemq;
datam

datam fefellissent, tum non amplius obsides; quorum corpora 155
eodem modo, quo legatorum sancta erant, sed ut hostes viola- *Dionys. lib. 6.*
tores fidei ac foederis, in quos vitæ necisq; potestas haberetur. 156
Pignore enim pacis adempto, foedus violatum videtur. Eamq;
ob causam obsidem Cæliam remissam esse Porsennæ Livius 157
testatur. Verùm legati consilium, quo obsides ad arripiendam 158
fugam usi, puniri jure gentium non aliter, quàm dimissione *Alb. lib. 2. de*
poterat. Non igitur ex eo relinquitur, quod tamen Alberico vi- *leg. c. 21.*
detur, ut, si obsides, quòd fugerint, fidemq; datam eluserint, re- 159
tracti ad poenas capitales fuerint, nõ minùs legatus, qui opem
& consilium fugę præbuit, eadem poena afficiatur. Legatorum
enim & obsidum jura diversissima sunt, neq; ulla parte conve-
niunt, nisi quòd juris gentium securitate gaudeant, & inviola- *Dionys. lib. 6.*
biles æquè sint ac legati, quandiu obsides, hoc est, datæ fidei 160
tanquam pignora & arrhæ maneant. Quantum verò ad cæte-
ra, captivorum, & in potestatem hostium delapsorum similio- 161
res, quàm hominum liberorum habentur, cùm neque testari 162
possint, sed fisco bona sua tanquam captivi relinquant. Sed *l. obsides 11. ff. de test.*
quid de legatorum injuriis, quæ ex affectu & consilio ad effe- *l. 31. ff. de jure*
ctum planè perductæ, dicemus? Itidemné eorum dimissione *fisc.*
sola acquiescemus? Diximus jam antea, legatum jure suo da- 163
mnari puniriq; posse, si ea crimina admiserit, quę jure gentium
puniantur. Jus enim legatorum in hoc reciprocũ est, ut, quem- 164
admodum ille, qui legatum pulsavit, jure gentium deditur, ita
vicissim legatus, si injurias intulit iis, ad quos missus est, læsis in
poenam dedatur. Atq; hoc jure Fabium à Gallis postulatum es- 165
se testatur Livius, quem etiam propterea, quòd contra jus gen- *Liv. lib. 5.*
tium adversus Gallos, ad quos legati nomine missus erat, pu-
gnasset, Feciales dedendum esse censuerunt. Quod si itaq; le-
gatus principi, ad quem missus erit, injuriam re ipsa manuque 166
violenta intulerit, ipso facto in potestatem principis delapsus,
secun-

secundum jus gentium poterit plecti, imò verò etiã ob levem
injuriam actualem, ut in JCtorum scholis vulgò loquuntur,
puniri. Nec tamen itidem, si liberius loquendo principem of-
fenderit, verborum illicò easdem pœnas reposci juris est. Etsi
167 enim improbanda eorum licentia, qui sibi sub libertate lega-
168 tionis quidvis, quod ira ac stomachus suggesserit, effutiendum
arbitrantur, dum frenos linguæ suæ nimium laxant: contra
fas tamen gentium agitur, si libertas oris acerbiùs quàm fieri
debet, vindicetur. Neque enim lubricum linguæ placet legi ci-
vili, nedum naturæ & gentium juri ad pœnã facilè trahi. Quod
169 humanissimi Imperatores cùm perpendissent, neq; rationem
170 habendam esse eorum voluerunt, qui maledicta adversus sese
171 temerè jecissent. Prædicanda itaq; summoperè Romanorum
l.1.C.si quis Imp.maled. magnanimitas, qui ut libertrima non solùm voce, sed etiam fa-
cta nonnunquam in legationibus suis utebantur: ita vicissim
172 aliorum liberiores orationes & postulata æquo animo exci-
piebant. Quorsum enim securitas legationum juris gentium
Tacit.An.1. præsidiis munita spectat, nisi eò, ut liberè, quicquid è re fideq;
173 tua sit, proferre possis? Perplacet illud, quod olim auditum est,
in republ. libera, non solùm animos & sententias, sed etiam vo-
174 ces liberas esse debere. Id verò multò magis libertati legatio-
num concedendum. Admirationem moderationis suæ pru-
175 dentiæq; singularis meruerunt apud omnes Veneti, quòd ca-
duceatoris Gallici libertatem, injustitiæ sese accusantis, multa-
que, quæ tanti senatus auribus intoleranda esse videbantur,
injuriosè exprobrantis, æquo animo non solùm tulerint, sed
Guic.lib.7. etiam muneribus honoratum splendidè dimiserint. Apud eos-
176 dem Didacus Mendoza, Hispani orator, quàm liberè atq; adeò
Warsf. de legat. ineptè verba fecerit, ex oratione illius apud Warsevicium in-
telligitur, cui tamen illud fraudi fore Veneti noluerunt. Ho-
rum itaque exemplis judicanda hæc res potiùs erit, quàm illo-
rum

rum barbarorum moribus, qui liberioribus verbis verbera, ac crudelissimas cædes reposuerunt. Centum legatos Tartaro- 177
rum princeps ad Stephanum Walachiæ præfectũ, filii sui, qui bello captus erat reposcendi causâ cùm misisset, liberiore oratione, minas ignis & ferri brevi subsecuturi, ni captus redderetur, terroris injiciendi gratia, fulminãtes, pręter unũ Walachus omnes crudeliter enecavit, quem auribus & naribus mutilatum, cladis ut nuncius esse posset, remisit. Inauditæ tyrannidis & sævitiæ factum, omniumq; gentiũ execratione & odio perpetuo dignum! Nec verò non contra jus & fas gentium age- 178
bat Antonius, cùm Augusti legatum, quòd liberiùs cum Cleo- *Plut.in Ant.*
patra locutus esset, cædi loris denudatũ juberet. Legatus quidem in eo imprudens, quòd non præviderit, quo sibi cum homine res esset, cum eo nimirum, qui jura divina humanaq;, te- 179
ste Cicerone, susq; deq; haberet: Antonii autem ista sævitia di- *Cic.in Philip.*
ris ultricibus legationum excepta. Bodinus in hoc exemplo si- 180
bi ipse contrarius, qui non immeritò illud factum esse affirma- *Bod.lib.5. de rep.n.620.*
re audet. Cui meritò opponimus illam legatorũ Rhodiorum pulcherrimam & verè prudentem orationem, qui his verbis *Liv.45.*
Romanos allocuti: *Superbiam,* inquiunt, *verborum iracundi oderunt, prudentes irrident, utiq; si inferioris adversus superiorem est, capitali pœna nemo unquam dignam judicavit: etiam Deos aliqui verbis ferocibus increpant, nec tamen ob id quenquã fulmine ictum audivimus.* Magno itaq; & excelso animo pręditos eos esse dicimus, qui libertatem dicendi in legatorum orationibus, si vera sunt, quæ afferuntur, non iniquè tolerare, sin falsa, contemnere, & aspernari didicerunt. Contra verò fracti & abjecti, qui veritatem odio & vindicta prosequuntur. Meritò itaque Plutarchus 182
degenerem & minimè regium animũ appellat Antiochi, quòd *Plut.in v. Antiochi.*
Zenocratis Atheniensium diserti legati verè & liberè disserentis orationem tolerare non potuerit. At illi omnium longè sce-

leratissimi, qui Tuccæ Illyriorum reginæ immane facinus imi-
183 tantur, scelusq; sceleri conjungunt. Quod verò illud? Roma-
norum legatis sociorum nomine de injuriis, quas Illyrii terra
mariq; finitimis inferrent, apud ipsam expostulantibus: *Datu-
ram se*, inquit, *operam, ne Romani causam querendi de ullis injuriis
adversus Illyrios justam haberent: cæterùm interdicere suis subditis,
ne, quem possint è mari habere, fructum, venentur* (*Piratica enim ex-
ercendæ suis subditis potestatem fecerat*) *nunquam regiæ consuetudinis
fuisse, neq; se unquam prohibituram*. Ad quæ natu minimus lega-
184 torum: *At nobis*, inquit, *Romanis, alia consuetudo est, quam tuæ op-
ponemus: sociorum injurias privatim illatas publicè ulcisci solemus,
injuriamq; passis succurrere: dabimus itaq; & nos operam, diis juvan-
tibus, ut regiam istam tuam consuetudinem nostra tollamus.* Infre-
muit impotens animi mulier, odioq; in ultionẽ reposito, man-
185 davit suis, ut legatos à se bona gratia dimissos, in itinere agres-
Polyb.lib.2. si, adolescentem jugularent. Liberum erat quidem verbum,
186 sed tamen nullius contumeliæ, neque ejus vocis, quæ per jugu-
Bod lib.5.de rep.c.ult. lum auctoris ire meruisset. At illa fraudulentæ mulieris imma-
187 nitas exitio cùm ipsi, tum universo populo cessit. Et certè non
video, quæ justa causa esse possit, cur liberioris verbi gratia cæ-
188 di legatus jure queat. Verba enim verbis, non verbis verbera
reponenda. Id quod rex Philippus adversus Romanorum le-
gatum observavit. Cùm enim liberiùs & audaciùs, quàm vide-
189 batur convenire, orator regem interrogasset: *Num Abydeni ti-
bi intulerunt arma?* Macedo liberum verbum verbo liberiore
compensans: *Ætas*, inquit, *& forma, & Romanum nomen te fero-
190 ciorem faciunt.* Laudant hanc talionem jura, & celebre de eo
Bart in l. Domitius 27 ff. Bartoli verbum est: *Stultè interroganti, stultè respondendum est.*
qui test fac poss. Contra verò fatui & tyranni, qui crudelitatem fortitudinem
191 esse putant, quique gladio solent ἀντιμιμνήσκειν, ferro veritatem
Cic.Epist.lib.15.ad Cass. libertatemq; dictorum vindicare. Ex illorum numero æterna
apud

apud omnes gentes cœpit infamia flagrare Emanuel, Constantinopolitanus Imperator, qui Venetorum legatum Henricum Dandalum liberioris dicti causa, contra fas gentiũ lumine privavit, novo supplicii genere, ad candentium prunarum, vel *Platin. in v. Alex III.*
æneorum speculorum assiduum intuitum, ut Platina refert, pupillis oculorum retortis. Sed & illi sine causa jus gentium 192
violant, qui ob iniqua, uti ipsis videntur, postulata adversus legatos iniqui. *Fulg. l. 9 c. 6.* Quemadmodum Darii legatis accidit, qui Athenas Spartamq; missi ἐπὶ γῆς αἴτησιν, ut aquam & terrã poscerent, hoc est, ut regi, tanquam monarchæ, summam prædominationem in omnia alia regna vendicarent, in puteum demissi, ac injuriis extremis sunt affecti. *Herod. lib. 7.* Injuriæ atroces, & jure ac merito vindicandæ atrociter! Injusta enim postulatio non habet in se 193
violandi juris gentium justam causam. Etsi non videam, quomodo contra aliorum morẽ Darii postulatio fuerit, cùm & Romani ad monarchicam prædominationem evecti, idem quod Darius, attentarint, asserentes omnium rerum arbitrium sibi à 194
Diis concessum esse, ut darent, & adimerent regiones cui vellent, neque alios judices paterentur. *Tacit. lib. 13. in v. Neron.* Hæc enim imperii monarchici, & prædominantis indoles propria & natura est, ut omnia 195
alia inferiora regna, quæ subjecta nondum habet, poscat: & si nolint, cogat. Ita enim natura constitutum est, ut impotentius 196
subsit potentiori; majus & nobilius dominetur minori, inferius pareat superiori. Nec aliam causam Alexander adversus 197
omnes orbis terrarum reges & principes habuit, quàm, quòd, uti cœlum non binos soles, ita neque summum & universale imperium plures reges posset ferre. Quemadmodum enim *Curt. lib. 4.* omnes fontes, omnia flumina, magno se Oceano debent: Ita profectò naturæ ordine, quæ ad unitatem in omnibus gubernandi rationibus respicit, secundum illud Homericum, εἷς κοίρανος ἔστω, sese omnia alia inferiora regna & principatus summo

& universali imperio. Multò itaq; Schytarum rex duobus illis Græciæ oculis, ut nominatæ binç illæ civitates fuerunt, & prudentior & æquior esse videbatur, qui, cum iisdem mandatis ad se Persarum legatos emissos, perquàm honorificè habuit, eosq; dimisit. Cujus exemplum postea etiam secuti leguntur pleriq;

Herod.d.lib. Græciæ populi ac civitates, qui Xerxi terram & aquam, institu-
198 to avito, per legatos poscenti, utramq; dederunt. Sic & Volsco-
Halicar.lib.8. antiq.Rom. rum legatis, etsi iniqua, quemadmodum ipsis à senatu Romano responsum est, postularent, legationis tamen jus & securitas
199 sarta tectaq; fuit conservata. Quanquam enim justos non nisi
Plau.in Amph. justa rogare & impetrare deceat, ut Plauti comicum dictum est: non tamen illud legatis fraudi & exitio esse debet, quòd eorum, à quibus missi sint, postulata proponant. Licet enim legationis libertate cuique illa petere, quæ sibi petenda esse arbi-
200 tratur, sed & negare licet, eadem libertate, quæ quisque non concedenda putabit: licet idem respondere, quod Platæenses è muro ad legatos Spartanorum clamasse leguntur. At quid illud? ὅτι ἀδύνατα σφίσι ποιεῖν ἐστὶν ἃ Λακεδαιμόνιοι προσκαλοῦνται. *Fieri*, inquit, *omninò non posse, quæ Lacedæmonii postulent.* Huc itaq; pertinent
Procop. lib.1. de bello Goth. illa, quæ hoc sensu rectissimè elocutus est Justinianeus orator,
201 his verbis apud Procopium: *Orator qualiacunq; à principe se ablegante accepit, profert, quæ si minùs proba & justa videntur, ipse propterea non est accusandus, sed qui miserit fortè culpandus.* Quocirca laudandum hoc meritò in Carolo, Burgundiæ Duce, quòd a-
202 speriora Gallici ad se Cancellarii verba, & contumeliosos, ut
Comen.lib.1. hist.Burg. Bod.lib.5. de rep. ipse interpretabatur, sermones, non tam loquenti, quàm regi, cujus nomine alter loquebatur, ascripserit, & adversus regem concitatus, injuriam armis vindicaverit. At longè hoc diver-
203 sum ab illo Francisci regis Francorum facto, qui Imp. Caroli
Bod.d.loc. fæcialium vocem, ne illa, quæ à Quinto ferrent, in medium proferrent, furca ad atrium erecta, comminatione laquei compressit.

presſit. At illud, Francè, ſecundum jura naturæ & gentium erat, ut cùm tu, quæ volueras, antea dixiſſes, quæ nolles, viciſſim ab altero audires. Abſit tamen, ut ſuprà monuimus, à dicendi libertate, omne calumniandi & convitiandi ſtudium. Neque enim illam licentiam ulla libertas, aut ulla jura permittunt. 206 Neq; parrheſia oratoria, docente Sturmio, ullas habenas *Sturm. de Eloc. lib. 2.* liberè dicendi eò laxat, ut, quam ſibi δημηγόρεσι, ac Eccleſiaſtici concionatores vulgò convitiandi licentiam ſumere, eamque velo libertatis rhetoricæ obtegere ſolent, excuſatam facere poſſit. Neque privatus quiſpiam tam ſui negligens, tamq; crudelis in ſeſe invenietur, qui domi ſibi ſuæ injuriam fieri, nedum 207 potentes reges & principes, patiantur. Etſi laudanda illorum *c. non ſunt 11. q. 3. c. quando 2. q. 1.* manſuetudo, qui legationis ſibi nomen auguſtius eſſe & honoratius voluerunt, quàm ut legati contumelioſam maledicentiam gravius punirent. Quem enim paulò ante nominavimus Philippum, Alexandri Magni parentem, ejus hoc loco exemplum laudabile iterum proponemus. Athenienſium ille legatione benignè audita: *Ecquid*, inquit, *noſtis, quod à me in civitatem veſtram vobiſcum proficiſci gratum valeat?* Cui Democha- 208 res, reſpondens unus legatorum, qui ob nimiam linguæ procacitatem Therſites cognominatus: *Nihil*, inquit, *gratius nobis* 209 *feceris, quàm ſi te ſuſpenderis.* Quod cùm tam contumelioſum & atrox reſponſum reliqui legationis collegæ magno fremitu & indignatione exciperent, Philippus: *At vos*, inquit, *civibus ve-* *Plut. in v. Phil.* *ſtris renunciate, multò iniquiores videri, qui propter animi impoten-* 210 *tiam tam injurioſis verbis non abſtineant, quàm qui impunè dici permittant, ac injuriæ inſolentiam facilè cōcoquant.* Egregium dictum, quod imitari malint omnes, quibus tale quid obveniet, quàm barbari Turcarum principis ſævitiam, qui quendam legatum 211 contumelioſi verbi gratia, ultimo ſupplicio affecit. Atqui non 212 alia pœna Timagenem affeciſſe ob contumelias in ſe & fami-

Dion.in Aug. liam jactatas plurimas, Augustus Imperator memoratur,
quàm quòd domo suo maledico interdixerit. Eadem animi
213 moderatione Sigismundus Imperator, & rex Ungariæ usus es-
Warf. d.orat. se prædicatur, adversus Polonorum legatum Cardinalem Zi-
214 bigneum, quem, licet ea regi Budæ exprobrasset, quæ capitis
pœna exsolvenda esse primates judicarent, salvum tamen &
Plut.in Alex. incolumem dimisit, regium esse intelligens: *Benè facientem malè*
215 *audire*. Multò verò minùs veteres inimicitiæ & simultates, pri-
vatæq; offensiones in legatis persequendæ. Contra jus enim &
Alb.lib.2.c.2. de leg. fas gentium barbarè & iniquè, ut rectè judicat de his exemplis
Gentilis, ab Antipatro & Alexandro Phæreo, verè fero, actum,
216 quòd alter Demadem Atheniensium, alter Pelopidam, inimi-
cos uterque suos, legatos ad se missos, obtruncarint. Pivatas
enim injurias in publica legati persona ulcisci injuria est, quæ
in misso mittentem, cujus legatus personam gerit, afficit.
217 Sed neque civiles leges in provinciali legato rationem ejus cri-
l.hoc accusare 11.ff.de accus. minis, quod ante legationem susceptam commiserit, haberi
voluerunt. At omnium iniquissimè & inclementissimè Cle-
Huld. Mutius in Wencesl. mens VII. qui Imperatoris Wenceslai ad se Avinionem lega-
tos missos, etiam ob id, quòd amicitiæ cum æmulo suo Urba-
no, Cæsarem suspectum haberet, vinculis & fidiculis crudelis-
simè torsit. Cæterùm hæc, quæ de legati delictis & contumeliis
disputata sunt, in principem aut remp. ad quam missus, com-
218 missa intelliguntur. Quid si in privatum? Eodémne jure cense-
buntur? Minimè: nec enim par ratio, neq; eadem delicti gravi-
tas, neq; hoc argumento æqualitas evincitur, ut, si privatus of-
219 fendendo legatum, deditionis pœnam incurrat, ita etiam lega-
tus reciproco talionis libramento, lædendo privatum, eadem
deditionis pœna mulctetur. Homo homini quantum inter-
est? vetus comici dictum est: idq; in populari scena magno ap-
plausu exceptum: illa privata, hęc persona publica est, in quam
si quid

si quid committitur, jure gentium, ex quo legati πρόσωπον & au-
ctoritas dependet, commissi atrocitas ingravescit: non autem
eadem ejusdem juris consideratio & respectus in homine pri-
vato. Majus itaque delictum est privati in publicam personam, 220
& potissimùm in legatum, singulari gentium juris relligione
sanctum & inviolabilem, quàm legati commissum in privatam
personam. Nec enim illa Stoicorum in delictis æqualitas, de 221
qua Tullius in paradox. jure gentium, nedum civili lege, lo-
cum invenit. Nec video, quî talionis Rhadamantheæ leges in
legatum justo librili, ut Gellius loquitur, hoc casu exerceri pos- *Gell.lib.20.c.1.*
sint. Ut enim injustissimum est, in civilibus tribunalibus arith- 222
meticam proportionem in mulctis & pœnis, nullo civilium
dignitatum habito discrimine, strictim tenere, quod plenissi- *Bod.lib.6.de*
mè evolvit Bodinus. Ita periniquum in juris gentium judiciis, *rep.c.6.*
eam personam, quæ juris gentium nomen & titulum dignita- 223
temq; præfert, cum privati hominis conditionibus æquali jure
censeri. Non itaque eodem modo, quo privatus, si legatum læ-
dat, etiam ob leviorem injuriam deditur, dedendus illicet lega-
ti persona propter levi aliqua injuria affectum hominem pri- 224
vatum. Atq; hoc est, quod Romani pro Verre dimittendo po- 225
tissimùm allegarunt, legationis nomen sanctius esse, quàm ut 226
propter levem in privatum injuriam, violandum sit. Etsi igitur
tum divini, tum naturalis juris sit, manum pro manu, dentem
pro dente, oculum pro oculo talionis æquilibrio rependi: in 227
legati tamen commisso illud hoc casu attendi non potest. Ta-
lio enim non nisi æqualitatis passu in pari causa procedit. At- 228
qui hîc cùm personā privatam publica offendit, in ipsius facti
æstimatione maxima dissimilitudo & diversitas reperitur. Nec
aliud hac de re judicium philosophiæ omnis magistri est, qui *Arist.Eth.5.*
expressè illud docens: *Sæpè*, inquit, *retaliatio dissidet: Magistratus* *c.5.*
enim feriens, non est vicissim feriendus, contra verè magistratum, qui
percu-

percutit, non solùm est talione verberum, sed etiam capitali pœna mactandus. Verùm hæc non eò spectant, ut impunitatem omnem
in legatorum commissis adversus privatum excusatam ha-
229 beant, nec eò, ut sub prętextu privilegii, flagitiorum crescat au-
ctoritas, sed ut non eadem pœna legatum ob privati hominis
offensionem, qua privatus ob legatum violatum, teneri osten-
dant. Nam quemadmodũ jus tum civile, tum canonicum, etsi
230 reatu amitti dignitatem pronunciet, in pœnis tamen decer-
nendis ad gestæ dignitatis memoriam respicit, neque similiter
liberum & servum, privatum, & publico munere functum ple-
231 ctit. Ita & jus gentium, etsi legatum non amplius, si delinquit,
inviolabilem tueatur, sagminis tamen & verbenæ gestatæ ali-
quam in plectendo eo memoriam reservăt. Sed & prudentissi-
mi Romani, etsi jure gentium adversus legatum stricta aliqua
232 plectendi ratio teneri posset, maluerunt tamen ex æquo & bo-
no, quàm ex rigore juris, in hoc casu judicare. Servatumq; hoc
non solùm in legato, sed etiam in legati comite, de quo Salu-
233 stius: *Fit reus*, inquit, *magis ex æquo bonoq;, quàm ex jure gentium
Bomilcar, comes ejus, qui Romam fide publica venerat.* Juris gentici
enim, ut cum Tacito loquar, publicæq; fidei ac securitatis præ-
sidium etiam comites, Tros Italusvé fuat, ut verbo Maronis
utar, nullo discrimine, complectitur, cumq; legato suo, tan-
quam capite, universim ac singulatim, veluti manus & pedes
ipsius, sancti & inviolabiles habentur. Imò verò tam latè hujus
favoris sinus diffunditur, ut non modò volones, de quibus su-
prà diximus, verùm etiam mercatores peregrinos, quousq; le-
gati iter comitantur, recipiat, iisq; bono Mercurio, mercis
etiam commutandæ potestatem in iis locis, quorum, extra le-
gationis comitatum, foro illis interdictum erat, aperiat, de qua
re legere est singulare Impp. Honorii & Theodosii rescriptum.
Quod equidem miror nō adversum esse ab iis, qui in hac quæ-
stio-

Leo & Zeno Impp. l. 2. C. de privil. schol.

l. 16. §. person. 3. ff. de pœn.

l. 6 ff. ad l. Iul. pecul. ult. ff. de incend. ruin.

Salust. in Iug.

Tac. lib. 6. An.

l. 4. mercatores, C. de comm.

ſtione hæſiſſe videntur. Quid enim Albericus? *Arbitrari ſe*, inquit, *etiam comitibus data legationis jura, quod etiam cum aliis ita agatur.* At qui illi? *Scholarium nuncii ac famuli eodem privilegio, quo domini, utuntur. Comites præſidum, proconſulum, &c. vacationem munerum eandem habent.* Rectè hæc omnia: quid verò ſcrupuli? Gentilis, *Vna me*, inquit, *difficultas tenet in iſto tractatu, an omnibus comitibus hæc ſtent privilegia: aut quos comites appellamus? Num omnes famulos, lixas, ſcoparios, ſtabularios?* Sed quid in ſcirpo nodum quærimus? Nihil obicis in plano video: Quis jura legationis omnibus comitibus æquè patere dubitabit? cùm etiam mercatores non modò ingredi, ſed etiam negotiari ſub hoc publicæ fidei umbraculo liberè poſſe perſpicuè cognoſcamus? Nam & illi imperatorum reſcripto ſuffragantur reliqua prudentium ea de re reſponſa, & in Ulpiani lege expreſsè ac generatim legatis, oratoribus, comites adjunguntur, qui alibi ſub legati nomine, tanquam corporis umbræ, intelliguntur. Nec verò quicquam hujus noſtri legati comites, quò minùs omnes pariter eodem jure fruantur, impedit, ut aliis videtur, ſed potiùs adjuvat Hermogenianus. Quomodo verò? omnes ille reipubl. causâ abeſſe, & ob id privilegiis & immunitatibus legationis gaudere affirmat, qui etiam, de qua ibidem loquitur, provincialem legationem intra ſtatutum, qui præſcriptus erat, numerum comitantur. Quantò magis ergò comitatus noſtræ legationis, cui nullus numerus ab externo præſcribi poteſt, jure gentium, quantus quantus erit, perfruetur? Comites autem omnes hoc nomine & jure veniunt, qui legatum comitantur, cujuſcunq; ſtatus ſint & officii, ſive honeſtioris, ſive vilioris, ſive rhedarii, ſive ſtabularii, nautæ, ſive remiges: minoris enim ſervitii famuli æquè neceſſarii atq; majoris, ſive tantummodò numeri gratiâ unà eant. Nec enim propterea, quòd huic vel illi officio aut ſervitio præſint, ſed quòd in comitatu legati

Auth. habita, C. ne filius pro patr.

d. l. 4. Modeſt. l. 32. ff. de excuſ. Vlp. l. 7. ff. de vi publ. l. ult. ff. de legat.

l. 41. ff de excuſ.

Z ſint,

ſint, legationis jure potiuntur. Qua ratione etiam vernæ & mancipia, ſi Africanum dominum ſuum, ut de eo legitur, comitentur, comitatus jure æquè lætantur: quod tamen non eo modo intelligendum, ac ſi legationis jure ex ſervis liberi fiant, (nihil enim ſecuritatis & publicæ fidei jus, conditionem & ſtatum homini attingit) ſed quid æquè tuti & inviolabiles ſervi ſint in comitatu, ac cæteri homines liberi. Quod verò Bodinus peregrinos ſervos, ſimul ac Galliæ fines attigerint, eodem momento, jure Gallicano liberos fieri, idq; veteri quodam Parriſiorum ſtatuto, adverſus legatum quendam Hiſpanum, qui ſervum in Galliam deduxerat, ita deciſum & decretum fuiſſe ſcribat, iſtud non equidem video, quibus rationibus, aut quo jure ſtabiliri poſſit. Quid enim ſenatuſconſultū Lutetianum, quid mores ac conſuetudines Gallicæ, quid leges civiles regni, ad exterum Hiſpaniæ legatum ejuſq; comites pertinent? Nihil omninò: violatur certè jus gentiū legationisq; ſecuritas, ſi ſecundum alterius regni ſcita & ſtatuta cogatur aliquid facere legatus, quod nolit, quodq; jure gentium agi non poſſit. Nec enim legatus aliorum peregrinorum jure æſtimandus; qui jure commorationis, aut loci, in quo hoſpitantur, vivere ſecundum mores & leges hoſpitii tenentur, quibusq; olim in repub. Rom. idcirco prætor ſingularis erat conſtitutus. Quocirca neque Gallicum illud jus, quod Albinagium vocant, quodq; etiam Italis ac Siculis, imò etiam Aſiaticis & Africanis populis, fide Bodini, commune, quo peregrinis teſtamenti factio, & earum rerum diſpoſitio, quæ extra patriam quæſitæ ſunt, adimitur, ſucceſſioq; fiſco applicatur, legatum noſtrum cum comitibus ſuis vel minima parte attingit. Quod tamen ad comites legati, ut eò redeam, ſi quid deliquerint, attinet, hoc commune quidem cum ipſo legato & capite ſuo habent, ut ob ea delicta, quę, ut ſuprà oſtendimus, in legato puniri pœna capitis nequeant,

Bod. de rep. 1. c. 5.

arg. l. ut vim. ff de juſt. & jur. & ibi Dd.

Bod. de rep. lib. 1. c. 6.

queant, neq; illi plecti possint, si verò ejusmodi commissa sint, quæ graviorem pœnam jure gentium mereantur, ratione geometricæ proportionis, qua servus & inferioris conditionis homo semper gravius quàm dominus, & majore dignitate præditus ob delictum punitur, comites itidem & famuli majore pœna, quàm legatus afficientur. Quem quidem pœnarum gradum etiam immanissimus tyrannorum Turca, cùm contra jus gentium, legationē imperatoriam superioribus annis barbara perfidia violaret, eadem ratione servasse dicitur. Oratorem enim, virum nobilissimum, quem suprà nominavimus, arctiore custodia detinuit, in qua animam exhalavit; comitum verò maximam partem remis servilibus alligavit.

l. qui cad. m. ff. ad l. Cornel. ff. de incend. l. capitalium, §. in servorum, C. de pœn.

Bod. lib. 6. de rep. c. 6.

Recess Ratisb. an. 1594.

CAP. II.

Admissio & exceptio legati.

SUMMARIA.

1 *Maturè venisse quando quis dicatur.*
2 *Cursu publico sine diplomate privatis uti non licuit.*
3 *Quid in l. continuus, ff. de V.O. & apud Plinium diploma, & cum diplomate currere.*
4 *Henrici Stephani notæ ad Plinii locum de diplomate reprehensæ.*
5 *Cursus publicus etiam honoris ergò legati tributus.*
6 *Exceptione honorificæ legatorum omnes gentes usæ testimonio Totilæ.*
7 *Quæstor urbanus ad exceptionis honorificæ munus Romanæ constitutus.*
8 *Romam omnes patriam suam esse crediderunt peregrini, propter beneficentiam Romanorum, teste Athenæo.*
9 *Obviatio publica honoris ergò legatis facta.*
10 *Dextera amicitiæ & hospitii tessera.*

11 *Obviationem publicam proconsuli fieri cur noluerint.*

12 *Obviatio aliis etiam gentibus usitata.*

13 *Pyrrhus Romanorum legatos honorifica obviatione excepit.*

14 *Obviatio hodiernis moribus usurpatur.*

15 *Imperatoris Rodolphi legatio in Muscovia honorifica obviatione excepta.*

16 *Elisabetha, Anglicæ reginæ, legatus honorificâ obviatione à Mauritio, principe Hassiæ, exceptus.*

17 *Apollodori Comici de obviatione hospitali sententia.*

18 *Hospitium honoris ergò legatis præbitum.*

19 *Hospitio privato, legatum excipere non licitum.*

20 *Xenoclides Poëta in exilium actus, quòd suis ædibus legatos privatim excepisset.*

21 *Res & negotia privatorum ædibus publicis non inferenda.*

22 *Publica prætoria & domus à privatis non possunt habitari.*

23 *Ad publicam magnificentiam & splendorem pertinentia à privatis laribus non possunt occupari.*

24 *Imperio magna ab universis & singularia debentur.*

25 *Nasicam ICtum privatim habitare noluerunt Romani.*

26 *Multò minùs legatum.*

27 *Ptolomæum exulem & profugum, regno apud se hospitantem, Romani ex privato hospitio in publici laris splendorem deduxerunt.*

28 *In comitio & Græcostasio legatis hospitio constituta.*

29 *Romani diligentissima observatione legatos cinxerunt.*

30 *Catonis in Atheniensium legatis, quorum ingenia suspecta habebat, observandis diligentia.*

31 *Atheniensium diligentia adversus Xerxis ad se legatos.*

32 *Arctiore custodia, tanquam carcere, concludere legatos barbara servitutis instar.*

33 *Turcæ concludere legatos solent & Moscovitæ.*

34 Tur-

34 *Turcici legati in Germania liberiùs habiti.*

35 *Hostium legati apud Romanos in urbem admissi.*

36 *Hostium legati extra mœnia interdum habiti.*

37 *l. sed etsi 28. §. 3. ff. de jud. explicata.*

38 *Provincialis legatus neq; obviatione, neq; hospitio exceptus.*

39 *Hospitiorum præbitiones hodie usitatæ, sed quomodo?*

40 *Hospitium legatorum & militum differunt.*

41 *Hospitium militare præter habitationem nihil continet.*

42 *Quam ultra hospitii nomine quicquam exigens punitur, imò & sponte offerens.*

43 *Habitatio nomine alimentorum comprehenditur.*

44 *Hospitium legatorum continet omnia illa, quæ amicus amico debet; Ligna Salemq; Horatii.*

45 *Hospitium legatorum non ex militari & civili jure, sed ex more gentium interpretandum.*

46 *Hospitii jura non solùm inter familias, sed etiam inter civitates, regna & populos culta.*

47 *Germani hospitalitatis laude omnibus populis à Tacito prælati.*

48 *Lautea quæ dicantur, ex Plutarcho definitum.*

49 *Hospitium legatorum etiam cibaria & vestimenta comprehendit & munera.*

50 *Tellias Acragantinus quadringentos hospites singulos veste & tunica donavit.*

51 *Glaucus & Diomedes Homerici hospitii jura & munera paterna agnoscunt.*

52 *Munerum dandorum legatis consuetudo, ex hospitii jure defluxit.*

53 *Legationis & hospitii jura sunt diversa.*

54 *Legationis jus totum ad publicam personam refertur.*

55 *Hospitii jus etiam privatam personam considerat.*

56 *Legatus quis potest esse odiosus, & nihilominus hospes favorabilis & acceptus.*

57 Le-

77 *Bonosus Gothos & Germanos vino, ut secreta cognosceret, torsit.*
78 *Germani, Tacito teste, inter vina pectoris secreta aperiunt.*
79 *Horatii de more illo regum veterum versus.*
80 *Convivia Bonosi plus oneris, quàm honoris habent.*
81 *Legato Centaurea convivia evitanda.*
82 *Platonicæ mensæ suavitas, ad cujus exemplum legati mensa instruenda.*
83 *Immodicè sumpta vina sunt venena, secundum Cyrum.*
84 *Honorificæ exceptionis officia neglecta jure gentiũ querelam nullam sortiuntur.*
85 *Ex jure gentium quod legati habent, debitum est, ejusq; omissio culpam & pœnam trahit.*
86 *Minus honorificè tractatus, legationis jura ob id non amittit.*
87 *Vejentum & Volscorum legati, nullis exceptionis honorificæ ceremoniis aut hospitalitatis officiis affecti.*
88 *Hospitii jure carens nihilominus juris gentium securitate fruitur.*
89 *Legationis jura sine ejusdem violatione non possunt tolli, hospitii jura salvo legationis jure prætermitti possunt.*
90 *Hospitalitas Romanorum legationum numero indies crescente cœpit contrahi.*
91 *Saturni ædem legati jussi adire.*
92 *Mecœnatis ad Augustum de sumptibus legationum minuendis oratio.*
93 *Legatus non semper admittitur.*
94 *Persici & Ætholorum legati jussi recedere, & iisdem revenire vetitum.*
95 *M. Coriolanus legatus consulares castris arcuit.*
96 *Pontifex multoties Cæsarum legatos exclusit.*
97 *Pontificis legatos rex Daniæ in regnum non admisit.*
98 *Non quid Romæ fiat, sed quid fieri debeat, spectandum.*
99 *Coriolani rejectio in legatis, & interdictio reprehenditur.*

100 Pa-

100 *Patriæ injuriæ tanquam delirio senis parentis ignoscendum.*
101 *Scipio & Themistocles in patriam ingratam nihil moliti.*
102 *Bodinus sui regis rejectionem in Cæsaris legatis ipse tacitè castigat.*
103 *Hanno Carthaginensis Annibalem ob non admissos legatos accusat.*
104 *Violatio juris gentium ex interdictione legationis oritur.*
105 *Hannonis sententiâ quæ interdictiones arguendæ.*
106 *Hannibalis, quòd legatos rejecerit, excusatio inepta.*
107 *Adrianum anicula libero responso corripuit.*
108 *Ob justam causam rejectæ legationes violationem nullam continent.*
109 *Iure quod fit, omni culpâ caret.*
110 *Iure quæ fraudis & dedecoris periculum alunt, legationes interdicuntur.*
111 *Pyrrhi legatus cur redire prohibitus.*
112 *Legationes in corruptionem intentæ possunt arceri.*
113 *Causa quæ justa dicatur interdictionis.*
114 *Legatus, salva legationis causa potest rejici.*
115 *Æneas Sylvius poeta & orator Pontificum literatissimus, Pius II. dictus.*
116 *Pius II. imperatoris legatum rejecit.*
117 *Ecclesia vacare dicitur, & vidua quæ Episcopum inutilem habet.*
118 *Vidua dicitur quæ virum inutilem habet.*
119 *Legatio non habet legatum, si inutilem habet.*
120 *Mala emptio stultitiam emptori exprobrat.*
121 *Inutilis legati rejectio imprudentiæ notam mittenti reportat.*
122 *Lysimachus Ptolomæi legatum Theodorum impium interdicto reditu abegit.*
123 *Theodori responsum cervicosum.*
124 *Theodorus si contra interdictum revenisset, quid juris?*
125 *Si interdicere & vetare licet, licet etiam punire.*

126 Im-

126 Improbitatem, ut sit causa rejiciendi, oportet esse notoriam.
127 Sine causa legatum rejicere est violare.
128 Causa expressè declaranda.
129 Inter principis placita & judicia, & legatorum rejectionis causas differentia maxima.
130 Constitutorum inquiri rationes non oportet.
131 Sacrilegii instar de judicio principali disputare.
132 Lex sacrilegii, & l. 1. de constitut. princip. adversus legatum non valent.
133 Causa rejectionis expressè declaranda.
134 Violatio legationis adversus violatorem, & dolus adversus facientem præsumitur regulariter.
135 Legati causa favorabilis.
136 Legatus deorum & hominum gratiâ dignus.
137 Legatum lex divina ut & peregrinum tanquam viduos & pupillos complectitur.
138 Ab illo non præsumitur injuriarum occasio, à quo jura nascuntur.
139 Legatus contra jura legationis non præsumitur facilè egisse.
140 Ligures Romanum legatum sine causa expulerunt.
141 Ligures Romanis pœnas violati legati dederunt.

SEcuri & incolumes ad vadum tandem pervenimus, ad eum nimirum locum, ubi exonerare navim nostram, mandatiq; sarcinam deponere possimus. Sed & satis maturè, ut arbitror: cùm maturè venisse dicatur, qui eodem tempore, quo pleriq; ejusdem conditionis homines pervenire soleant, ut Venulejus 1
loquitur. At nos maturius etiam quàm alii, non solùm felici *l. continuus 137. ff. de V.O.*
navigatione, sed etiam cursu publico usi, qui privatis sine diplomate non concessus est. At quid illud? facultas à principe 2
impetrata, literisq; consignata, ut equis publicè dispositis uti 3

Aa liceat,

l. his tantummodo 16. C. de curs. publ. liceat, quæ & evectio, Græcis σύνθημα, tractoria, & conbina
Cujacio, ac posta vulgò appellatur, docente Duareno: Falli-
l. nullis 11. C. eo. tur legis hujus & antiquitatis ignorantia Henr. Stephanus, cu-
4 jus notæ ad allegatum locum Plinii de hujus diplomatis signi-
5 ficatu prorsus alienæ. Diploma autem non solùm festinationi
d. l. his tantummodo. legatorum promovendæ, sed & honorificè eorum exceptio-
ni datum, ut publico, quem fiscalem Spartanus appellat, cursu
6 uterentur. Omnium autem populorum moribus receptum,
atq; adeò barbarorum etiam institutis comprobatum esse, ut
honorificè exterorum legationes exciperentur, Totilas apud
Procop lib. 3. de bell. Goth. Procopium affirmat. Qua quidem re superare omnes alias
Plut. in probl. gentes Romani studuerunt, constituta ad hoc munus peculari
7 urbani Quæstoris, vel ut alii volunt, Prætoris, diligentia, ut,
quàm fieri posset, honorificentissimè missi ab exteris excipe-
8 rentur. Et quid illi legatis nō exhibuissent, cùm tanta erga ho-
spites & peregrinos privata eorum humanitas ac munificen-
tia omnium sermonibus prædicetur fuisse, ut Romam omnes
Ath. lib. 1. c. 1. deipnosoph. suam patriam esse crediderint, teste Athenæo. Nec solummo-
dò hoc, sed & alia majora honorificæ exceptionis symbola
9 erant. Honoris enim causâ obviam legatis ex magistratibus
mittebantur, qui, unde, si ignoti essent, & quid venirent, roga-
10 rent, & qui senatus populiq; nomine dextera data, quæ amici-
Cic. pro dom. s. tiæ & hospitii nota & tessera habebatur, eos introducerent.
Tacit. lib. 17. Ann. Plurimum autem honoris attulisse illum venientibus publi-
11 cum occursum, neq; facilè quibuslibet, vel illis etiam, qui cum
l. observare 3. ff. de off. procons. imperio erant, fuisse tributum, argumento est quod Ulpianus
scripsit, ne proconsuli provinciam ingredienti vel publicè vel
privatim à provincialibus occurreretur, prohibitū esse, quòd
major ille honos haberetur, quàm, ut ad proconsulis auctori-
tatem & potestatem conveniret. Sed & exteri reges honoris
ergò obviationem istam in legatis excipiendis usurparunt.

Quid

Quid enim Epirotarum princeps præpotens ille Pyrrhus? Romanorum oratores captivos redimendi gratiâ missos, obviam 12
misso Lycone Molosso, honorificè excepit, quoq; illud honoratius fieret, ipse advenientibus cum ornatissimo equitatu extra mœnia occurrit. Idem hodiernis moribus etiámnum honorificum, & in exceptionibus splendidarum legationum solenne. Nam & superioribus annis, cùm imperatoria legatio in Moscoviam mitteretur, etiam barbarorum splendidissimo occursu exceptam illam fuisse, ex iis, qui comitatui interfuerant, didicimus. Honorificentissimâ verò instructissimi equitatus pompâ exceptum Elisabethæ, Anglorum reginæ legatum ad illustrissimum principem Mauritium, Landgravium Hassiæ, missum, non multis ab hinc annis vidimus. Idem in optimè & prudentissimè Venetorum republ. usitatum esse scribit Octavius Magius, ut honorificentissimè legati excipiantur. Atq; illud humanitatis ratione & benevolentiæ, qua alter alteri prælucere inter mortales debemus, ad eum modum præclarè & optimè in legatorum commerciis institutum, ut quemadmodum Apollodorus veterum Comicus ait, referente Athenæo: 13 14 15 16

Mag. lib. 2. de leg. *Ath. lib. 1. c. 1. deipnosoph.*

Ædes amici cùm ingressus sit quispiam, 17
Illicò videre liceat subeunti limina,
Ipsasq; fores ineunti, benevolentiam
Quando occurrunt hilari omnes.

Deinde honoris ergò hospitium etiam legatis præbetur. Ideo- 18
que neq; olim Macedonum moribus licitum fuit, publicam
legati personam privatis tectis excipere. Ejectusq; ea re domo 19
suâ in exilium Xenoclides poëta, quòd Athenienisium legatos,
ad Philippum missos, cives & populares suos, privati hospitii
jure suis ædibus excepisset. Nec illud injuriâ. Quemadmodum
enim res & negotia privatorum, publicis palatiis & atriis non 20
inferenda, adeò, ut neque privati imago in basilica publica, ne- 21

Demost. περὶ παραπρεσβείας.

l. basilica 21. C. de oper. publ. dum aliæ nuptiæ privatorum tollerentur, neq; prætoria & domus publicæ ab aliis quàm personis publicis oporteat habitari.
22 Ita vicissim quæ ad magnificentiam & ad publicum splen-
23 dorem pertinent, à privatis occupari & præripi non debent,
24 cùm imperio magna ab universis jura & secreta debeantur, quemadmodum rescripsere Honor. & Theodos. Augusti. *l. quicunq; 17. C. eod.* Magnifici hac itidem in parte urbis illi omnium gentium domina-
25 tricis domini, qui cùm neq; civitatis suæ oraculum, C. Scipionem Nasicam, J Ctorum optimum, ut vocatus est, privatim ha-
26 bitare passi sint, numquid legatum apud se privatis in penatibus passuros fuisse arbitremur. Siquidem neq; exulem & ejectum fratris injuriâ è regno Ægypti Ptolomæum, Romamque
27 clanculum ingressum, in Alexandri Pictoris ædibus, quo diver- *Max. lib. 5. c. 1.* terat, hospitari voluerint, sed ex privatis tenebris ac sordibus evocatum, in publici laris splendorem honorificè deduxerint.
28 Erant autem legatorum hospitiis illustres illustri in loco sedes in comitio & Græcostasio, non procul à curia destinatæ, teste Varrone, ut quasi in luce ac oculis civitatis habitarent, quò etiam diligentius illi observari possent quid agerent, quid molirentur. Eam enim solebant peregrinis suspectisq; legationibus
29 diligentiam adhibere etiam Romani, ut exploratoribus, sub specie comitatus & satellitii, positis, nictus ac nutus, nedum *Alex. ab Alex. Gen. die.* colloquia & ingressus ac egressus legatorum attenderentur. M. Cato Atheniensium legatos, tres illos philosophos, quos su-
30 prà nominavimus, quorum cùm eloquentiam & prudentiam incredibilem exploratam haberet, veritus est, ne illi aculeum exitialem in republ. relinquerent, tanta itaque observatione & corycæorum specula eos sepsit, ut ne commovere quidem sese potuerint, quin ipse omnia resciceret. Nec minorem diligentiam Attici in Persarum legatis observandis adhibuerunt, qui
31 à Xerxe missi, ut muneribus corruptam civitatem confunderent,

rent, & à communi Græciæ fœdere ac societate avellerent. Verùm ut illa observatio prudentiæ & providentiæ laudem meretur: ita contrà nimia diffidentia, & ad carceris imaginem arctior custodia odium & reprehensionem justam incurrit. 32
Barbarum siquidem est, & servitutis speciem habet, quemadmodum Polonorum orator testatur, legatum ita constringere, serisq; & pessulis concludere, ut neq; efferre pedem limine, aut caput fenestris exserere possit. Quod sibi in Turcica legatione 33
obvenisse conqueritur Augerius, morisq; illud esse in Moscovia affirmat Baro. At longè liberaliùs & liberiùs habiti ad Imperatorem missi in Germaniam Turcæ, teste eodem Augerio, qui per mediam Austriam, per Bohemiam, per Noricum & Ba- 34
variam liberis & oculis & pedibus in Mœni emporium, ubi tum temporis electionis solennia designato Maximiliano II. habebantur, deducti, & ad spectaculum celebritatis regiæ admissi. Sic etiam admissos & ignotorum & hostium quandoq; legatos, in mediam urbem, ex quàmplurimis Livii & Halicarnassæi, aliorumq; historicorum locis probari potest. Nam & 35
Tarquiniorum legati, periculosissimis temporibus in urbe licentiosè versati: & Pyrrhi Cyneas in intima penatium deductus, regiamq; tectorum magnificentiã fuit admiratus. Quemadmodum omnium antiquitatum consultissimus Maro, in Æneæ legatis, & Latino rege ignotos excipiente, idem innuens, canit:

——Ille intra tecta vocari
Imperat, &c.

Extra oppidum tamen, & intra mœnia nonnulli habiti, quos 36
admitti in urbis conspectum minùs consultum existimabant, in æde Bellonæ, aut Herculis, aliisve extra urbem basilicis. Sed his, quæ de hospitio publico dicta sunt, Pauli lex contrarium loqui videtur, quæ legatum damni infecti ædium nomine 37

Warf. d. tract. de leg.
Busbeq. d Epist.
Herbest. de reb. Moscov.
Plut. in Pyr.
l. sed etsi 28. §. 2. ff. de jud.

promittere, aut vicinum immittere in possessionem debere
constituit. Nihil hoc ad legatum exterarum gentium in publi-
d.l.16. cis ædibus commorantem: provincialem legatum lex alloqui-
38 tur, cui neque publica obviatio, neq; cursus publicus, neq; ho-
norarium hospitium exhibebatur. Sed neque omnibus etiam
exteris idem honoris eadem lance oblatum: nunc alii magis
decorati, alii minùs, prout majoris & minoris dignitatis & con-
ditionis illi, à quibus missi erant. Hodiernis moribus etiám-
num hospitiorum præbitionem receptam esse, si magnorum
l.5.c.6.d.lib. principum legati appellant, testatur Brunus. Sed plerunq; pro
publicis ædificiis publica nunc habentur in Germania diver-
soria, ex quibus majoris honoris ergò in palatia sua principes
honorifica deductione, equis & rhedis missis, vocare solent,
quos dignari exceptione honoratiore velint. Cæterùm hospi-
tii publici præbitio, quæ honoris ergò legatis instituitur, mu-
Horat.lib.1. serm.Satyr.5. nificentiam copiamq; (unde copiarii dicti, quos Horatius, teste
Porphyrio, parochos appellavit, quod commeatui, quæ etiam
copia à Jurisconsulto dicitur, necessaria legatis præberent)
multò majore sinu suæ gratiæ & favoris comprehendit, quàm
39 illud, quod militibus olim jure civili concessum, quod onero-
l.1.2.C.de Metat. & Epidem. sum & infaustum erat, ut ipse Imperator appellat. Nihil enim
hospitalitas illa militaris ampliùs, quàm solam domum, & quę
40 habitationis causa necessaria erant, continebat, cujus jure ni-
hil ab hospite, quod vel hominum, vel animalium pascuis, aut
41 corpori curando necessarium erat, postulare licebat, adeò, ut
42 cum exigens aliquid amplius, tum etiā sponte offerens pœnis
l.devotū 5.C.de Met.l.6.C ibid. afficerentur, uti Honorius & Arcadius rescripserunt. At hæc,
l.un.C.de sal. quæ legatis præstita, non solùm domum & habitationē, quam
43 aliâs nomine alimentorum legis favor comprehendit, verùm
l.6 ff de alim. leg. etiam omnia illa, quæ amicus amico præstare, & hospes hospi-
ti, ligna salemq;, ut Horatius canit, continent. Itaq; hospitii le-
gatis

gatis præbiti interpretatio, non ex jure militari & civili, ſed ex
more gentium, & ex antiqua illa hoſpitii teſſera, quam Græci 44
προξενίαν vocant, ſumenda, de quo hoſpitio intelligendum illud *Homer. lib. 6. Iliad.*
Vergilii:

Iungimus hoſpitio dextras & tecta ſubimus. *lib 3. Æn.*

Cujus etiam Pomponius mentionem facit, haud obſcurè ſi- 45
gnificans, non ſolùm hoſpitii jura inter privatas familias, ſed *l poſtlim. 5. §. 5.*
etiam inter reſpublicas & gentes ſanctiſſimè culta fuiſſe. Ger- 46
manos hoſpitalitatis benignitate omnibus populis præiſſe, & 47
pro fortuna quemq; ſua apparatis epulis hoſpites excepiſſe, te- *Tac. de morib.*
ſtatur Tacitus. Dabantur itaq; hoſpitii honore ac nomine le- *Germ.*
gatis & cibaria, & veſtimenta, & munera, quæ peculiari voce 48
Lautea, teſte Plutarcho, olim Dautia appellata, qui τὰ λαύτεια,
ſcribit, τὰ ξένια, πεμπόμενα τοῖς πρέσβεσι. eoq; omnia legatis largiora 49
præbebantur, quò legati hoſpites digniores & gratiores erant.
Illud autem hoſpitalitatis jure receptum fuiſſe, ut non ſolùm
victus, ſed etiam amictus præbitus fuerit hoſpitio exceptis, te-
ſtatur abundè Athenæus, cùm Telliam Acragantinum tantâ *Ath. lib. 1. c. 1.*
munificentia & benevolentia erga hoſpites fuiſſe ſcribat, ut
non ſolùm illis ædium ſuarũ valvas aperuerit, liberaliq; menſa 50
eos exceperit, ſed etiã quadringentis equitibus, qui ad ipſum
hybernatum diverterant, ſingulis veſtem & tunicam donarit.
Hoſpitalium verò munerum morem & conſuetudinẽ ex col-
loquio Homerici Glauci & Diomedis agnoſcimus. Quòd verò 51
idẽ erga legatos uſurpatũ ſit, illud non tam ex legationis, quàm
ex hoſpitii jure profectum, ideoq; multi etiam Roma ſine ve- 52
ſtibus, ſine muneribus dimiſſi, quod quidem legationis jure,
ſed hoſpitii jure non eſſent accepti. Sunt enim illa à ſeſe in vi- 53
cem diverſa, ut quamvis legationis jure legatus potiatur, non
tamen illicò etiam hoſpitii jure perfruatur. Legationis enim 54
jus totum in perſona publica conſiſtit, ejusq; dignitas ad mit-
tentis

tentis personam ex missi persona tota reflectitur. Hospitii verò
55 jus etiam privatam erga missi personam amicitiam & necessitudinem affectionemq; complectitur : inde fit, ut nonnunquam, etsi quis odiosus legatus sit, ob odiosa legationis postulata & negotia, nihilominus tamen hospes gratiosus ob vete-
56 rem amicitiam & familiaritatem, aut ob virtutem, aut doctrinam, familiævé dignitatem habeatur, muneribusq; hospitalibus afficiatur. Et contra accidit, ut acceptus ob acceptam lega-
57 tionis causam legatus sit, neq; tamen idem gratus & acceptus hospes, vel ob mores asperos & insuaves, vel ob veterem aliquam & avitam simultatem, vel aliam etiam occultam causam. Exemplum illustre ejus rei habes in Pontificiis legatis, Zacharia Delphino, & Francisco Contareno, eorumq; interprete Casparo de Schoneich, ad principes Germaniæ, anno 1561. in
58 Naumburgensi conventu congregatos, missis, quibus etsi brevia, ut vocant, pontificis, quæ ad singulos principes habebant, in hospitium remissa, neque resignata fuerint, ipsis tamen hospitibus per se gratiosis principũ officia splendidè fuerunt delata, quòd tum genere, tum ingenio præstanti & illustri eruditione haberentur. Didaci Mendozæ superiore capite memini-
59 mus, qui ad Venetos injuriosus legatus, & ob id minimè acceptus, attamen tum ob familiæ conditionem, tum nominis claritatem hospes gratiosus, & muneribus reipubl. fuit honoratus. Inde etiam hoc relinquitur, ut quæ, tanquam in legati pu-
60 blicam personam collata, munera accipere missus nequeat, hospitis tamen nomine & jure hospitalia amplecti possit, de qua quæstione alibi copiosiùs tractabitur. Sed & hoc ex veteris hospitii moribus defluxit, quòd magnificis & solennibus epu-
61 lis, ac adventitia cœna, ut apud Plautum est, legatus ab eo, ad quem missus est, excipi soleat. Id enim in hospitiis antiquis eo modo servatum, ut antequam, qui venissent hospites, roga-
rentur,

Chyt. Chron. Sax. lib. 20.

rentur, lætitiis mensæ & meri invitarentur. Eumq; hospitalita- *Athen.lib.5.*
tis ritum ad legationes esse translatum antiquissimus & opti- *c.1 deipnos.*
mus Græcorum vates expressit, ubi Deorum interpretem ad *Hom.lib.5.O-*
se missum Calypso, cùm antea quidem interrogasset, quid ve- *dyss.*
nisset, non tamen prius postulata ejus audiit, quàm convivio
exceptum plenis ambrosia mensis refecisset. Ad eundem mo- 63
rem Agamemnonis, sui inimici, legatos, Achilles apud eun- *Idem lib.9.deip.*
dem poëtam tractat, jusso Patroclo, ut antequam mandata ex-
ponerent, splendidum epulum missis instrueretur. Sed & aliis
nationibus idem moris fuisse ex memorabili illo Syphacis re-
gis Numidarum convivio liquet, in quo duarum infestissima- 64
rum civitatum principes & legati, Scipio & Asdrubal in eo- *Liv.decad.3.*
dem lecto accubuerunt. Debere autem nostris temporibus re- *lib.8.*
tineri veterem illam honorificæ obviationis & hospitalitatis in
excipiendis legatis consuetudinem, tum communium, tum
rerum aulicarum peritissimus, legationumq; variarum curri-
culis exercitatissimus, Philippus Comminæus graviter monet,
idq; non solùm legatis amicorum, sed & eorum, qui animo à 65
nobis alieno sint, præstandum: *Etsi enim,* inquit, *aliquod in ea re* *Com.li.2.com.*
periculum sit, excipiendi tamen sunt, non incommodè, & tractandi ho- 66
norificè, qui vel publicè, vel privatim ab aliquo ad nos mittuntur, pa-
rum etiam amico principe, homines idoneos adjungendo, obviam eis
aliquos mittendo, hospitia præbendo, quibus cum colloqui & hilari ani-
mo esse, quorumq; officiis perfrui possint. Atq; hoc postremū mori- 67
bus esse etiámnū nostris receptū, Brunus affirmat. Et nos illud *Brun.d.loc.*
eo modo in aulis illustrissimorum Hassiæ principum, Mauritii 68
& Ludovici senioris prudentissimo instituto fieri animadver-
timus. Nec enim illa exceptionis honorificæ pars minima, aut
ultima lautæ tractationis gratia, imò verò Lubentiæ conviva-
lis jucundæq; conversationis anima, si, ut M. Varronis senten- 69
tia est, apud Gellium apti & idonei homines unà conviventur. *Gell.lib.13.c.9.*

70 *Tum demum,* inquit, *omnibus suis numeris convivium absolutum, si ex his quatuor rebus constat: si belli homunculi collecti, si locus lectus, si tempus lectum, apparatus non neglectus.* Delectus autem ille ido-
71 neorum ita instituendus, ne, quemadmodum in Punica mensa factum, Annibali Phormio apponatur, diversæq; sectæ, & studii professionisq;, & diversorum morum homines conjungan-
72 tur, sed, ut secundum Tullium, pares cum paribus, docti cum doctis, milites cum militibus, nobiles cum nobilibus congregentur. Plus enim molestiæ, quàm suavitatis, se ex scholastici illius hominis Phormionis convictu & colloquio percepisse, Pœnus ille, ὄζος ἄρηος, ut Græcorum vates loquitur, testatur. Nec certè insulsior ille coquus, qui, ut apud Plautum est, omnia jura in unam ollam confundit, quam ille ineptior convivii moderator, qui sine discrimine caput & pedes epulo conjungit. Ve-
73 rùm, *ut bonus coquus domini notam debet habere gulam*, quemadmodum Martialis ludit: ita legatorum aucupari, & explorata habere oportet ingenia, studia, moresq;, ut similes similibus
74 adducere possis. Apposité hanc scenam Maximilianus II. Imperator ornare potuisse dicitur, cùm, quos ad se missos vino deditos, bibacesq; animadverteret, potatoribus, quos habere poterat, fortissimis, officii & honoris ergò adjunctis, oblectabat: aleæ verò & fritilli studiosis, lusores & talorum magistros aggregabat: amoribus prurientes, pulcherrimis Veneris & gynæcæi formis objectis titillabat. Atque hæc Cæsaris prudentissimi tentamenta erant, & non ingratæ quasi fidiculæ, quibus abditos legatorum animos & sensus, si quà se proderent, ante-
Warsf. d. orat. quam audiendos admitteret, sollicitare & extorquere solebat.
75 Imitatus ille in hac parte, ex veteribus suis antecessoribus, divum Aurelianum, qui gula & opera cujusdam Hispaniensis, Bonosi nomine, contra morem & disciplinam Hispanorum veterum (qui, teste Phylarcho, etsi opulentissimi essent, aquam

quam tamen bibebant, & soli cœnabant parcissimè, quò sum- 76
ptuosiùs sese amicire possent) bibacissimi, ad hoc officiũ usus, *Ath.lib.1.deip.*
ut si quando barbararum undequaq; gentium legati appulis-
sent, liberaliter propinando eos inebriaret, vinoq́; deponeret,
quæq́; vellet, secreta, per calicem ex illis cognosceret. Hunc ve- *Vopisc. in Bonos.*
rò inprimis adversus Gothos auctor tradit, reliquosq́ue etiam 77
Germanos adhibitum, iisq́ue appositum, imò oppositum esse, *Avent.lib.2. Ann.Boj.*
ut quod in nostra gente ab incunabulis factu proclive fuit, te- *Tac. de morib.*
ste Tacito, pectoris secreta vini clave, secundum proverbium, *Germ.*
aperiret. Sed etiam in aliorum regum cœnaculis tentandi & 78
explorandi eundem morem & modum extitisse, testatur illud
nostri Flacci in arte poët.

Reges dicuntur magnis urgere culullis 79
Et torquere mero, quos perspexisse laborant.

Cæterùm si hoc fine vina propinantur, quemadmodum nunc
aularum plerumque ingenia & mores ferunt, ut tormenta po-
tiùs, quàm delectamenta in epulis & conviviis instituantur,
non quidem tantum honoris, quantum oneris & molestiæ ho- 80
spitalis conversatio habere videbitur. Quocirca expedit ejus-
modi epula Centaurea omnibus, quà possit fieri, effugiis & cur-
riculis potiùs evitare, quàm vitam & existimationem in peri-
culum ebrietatis abducere. In conviviis Platonis ea prædica- 81
tur extitisse gratia, ea suavitas, ut in biduum & triduum sapo- 82
rem visa fuerint suum retinuisse. Atque ad ejus mensæ exem-
plum instituenda potiùs epula, quæ honoris & amoris ergò le-
gatis præbebuntur. A Bonosi verò gurgitibus profecta vina, 83
quid aliud quàm venena, verissimo Cyri Xenophontei judicio. *Xen.lib.1.de pæd.*
Sed de ebrietatis cautione legato dabuntur præcepta & exem-
pla inferiore capite alia. Atque hæc de excipiendo, & excepto
honorificè habendo legato, sufficiant, quæ tamen, si nõ omnia
fuerint omnibus ubique ex amussim præstita, non tam ex ne-

84 glecto jure gentium, quàm ex non observatis ritibus & mori-
bus querelam pariunt: neq; propterea violatæ legationis quis-
quam arguendus, quòd minus splendidè & magnificè hospi-
85 talitatis & humanitatis exercuerit. Illud enim quod ex jure
gentium dependet, debitum est, ac, si contra illud agatur, aut si
omittatur, culpam & pœnam trahit: hoc verò, cùm familiare
magis & privatum sit, in arbitrio excipientis omnem modum
positum habet. Nec verò ob id quispiam legationis jura amit-
tere intelligitur, quòd vel non exceptus honorificè, vel minùs
86 liberaliter, quàm hospitii mores ferant, tractatus. Vejentum &
Liv. & Halic. antiq. lib. 7. Volscorum legatis, ut & aliarum gentium fecialibus, honorifi-
87 ca quidem obviatio, nulla tamen munerum & vestimentorum
88 missitatio facta fuisse legitur. At erant nihilominus legati: & li-
cet hospitii jure carerent, non tamen caruerunt juris gentium
89 securitate. Hæc etenim, in admissis legatis neque tolli, neque
omitti, sine violatione legationis; illa verò præteriri, salvo le-
gationis jure possunt. Quemadmodum postea multitudine
legationum, ex omnibus terrarum partibus in urbe cumulata,
temperandis nimiis impendiis & sumptibus, hospitii liberali-
90 tas cœpit antiquam munificentiæ manum nonnihil contra-
here, viaticis & muneribus propè omnibus abrogatis, consti-
tutumq; est, ut quicunque à regibus & populis oratores mit-
91 terentur, Saturni ædem adirent, nominibusq; præfecto ærarii
Plut. in probl. datis, opperirentur, donec senatui audire eos integrum foret.
92 Atque huc inclinat Mecœnatis oratio, ad Augustum, de prin-
Dion. lib. 52. cipatus forma rectè instituenda habita, suadentis, ut quàm mi-
nimis, quà fieri posset, sumptibus, legationes admitterentur.
Sed quid pluribus, de exceptionis & hospitalitatis officiis, utrū
prętermitti illa possint, necné, disputamus: cùm & legationem
93 non admittere, & interdicto legatum ipsum à nostris finibus,
nedum ab auribus quandoque arcere & amoliri possimus ex-
emplo-

emplorum abundè in veterum monumentis. Quid enim Persei, quid Ætolorum caduceatoribus responsum? hostium jure non legatorum redituros, & securitatem nullam habituros.
Quid Martius decem illis consularibus? Castris è vestigio im- 94
peravit ut excederent, ni fecerint, exploratorum in numero & 95
periculo futuros. Sed quid in priscis hæreo? Pontifex, Impera- *Halyc. lib. 8. antiq.*
torum & regum oratores quoties exclusit, imò verò ipsos Cæ- *Lamb. in vit.*
sares? Gallus minis furcæ & laquei Cæsareos abegit. Nec Pon- *Henr. IV.*
tificios legatos, quos paulò ante nominavimus, rex Daniæ ad 97
se admittere in regnum voluit. Facti, inquis, illa omnia sunt, *Chyt. in Chron. Sax. lib. 20.*
non juris: Sed non attendendum, juxta illud JCti Proculi oraculum, quid Romæ fiat, sed quid fieri debeat, quid oporteat. 98
Negari profectò non potest, multa ejusmodi facto magis, quàm jure niti. Illa enim Coriolani interdictio, quàm iniqua, 99
quàm sæva? cùm senatus Romani missionem fastuoso supercilio rejiceret, nihilq; aliud, nisi privatæ vindictæ contra patriam minas spiraret. Qui, si melioribus rationibus obtemperasset, patriæ injuriam, si quâ fuisset, tanquam delirium senis
parentis, æquo animo tolerasset, Scipionis & Themistoclis vir- 100
tutem imitatus, qui etsi uterque ejusdem calamitatis fatum
subiissent, in patriam tamen hostile nihil injuriæ ulciscendæ 101
gratia fuêre moliti. Galli verò rejectionem & interdictionem
Caroli V. caduceatoribus factam, jam antè examinavimus, *Bod. d. loc.*
quam etiam politicorum magister Andegavensis, haud obscu- 102
rè improbare & reprehendere ipse cogitur. Sed clariore & vo- 103
ce & sensu Hanno Livianus, Annibalem apud cives suos juris gentium sublati eandem ob causam arguens, *legatos à sociis*, inquit, *pro sociis venientes bonus Imperator vester in castra non admisit, jus gentium sustulit.* Viden' itaque violationem juris gentium
etiam interdictione & rejectione legationis contineri. Verùm 104
non omnium legationum amolitiones ex hac Hannonis sen-

tentia dijudicandæ ſunt, ſed illæ duntaxat repudiationes & in-
105 terdictiones hoc verbo cenſendæ, quæ ſine juſta cauſa, ſine probabili ratione in juris gentiũ deſpectum, mittentisq; contumeliam factæ; qualis illa Hannibalis. Audiamus enim egre-
106 gium ejus prætextum: *Non ſe poſſe*, inquit, *in mediis armorum clangoribus, interq; equorum fremitus, belliq; tumultus, legatorum concionibus vacare.* Digna profectò aniculæ illius emendatione
107 excuſatio, quę imperatori Adriano, οὐ σχολάζειν, hoc eſt, *non audien-*
Xiph. in v. Adr. *di ſibi otium eſſe*, reſpondenti, viriliter illud reſpoſuit, καὶ μὴ βασίλευε,
108 *neq; Imperator eſto.* Cæterùm quæ ob cauſam juſtam rejiciuntur & vetantur miſſiones, ad juris gentium violationes trahi rectè
109 nequeunt. Quod enim jure fit, id culpa omni caret. At illud omni jure licitum eſt, ut quod tibi fraudi, detrimento, dedeco-
110 ri, exitio ac periculo fore videas, id omnibus viribus repellas, & tum anticis, tum poſticis foribus excludas. Romani itaque fa-
111 ceſſere à ſe Pyrrhi legatos juſſerunt, quòd juſtam cauſam re-
112 movendorum haberent. Quæ illa? Miſſi illi cum auro erant, ut donis civitatem corrumperent, interdictum itaq; illis in poſterum, non omni quidem legationis cum Romanis commercio, ſed illius duntaxat, quæ auro, in corruptelam reipub. ſecum allato, abuteretur, neque prohibitum, ut *ne redirent*, ſed ut cum
113 *donis ne redirent.* Cauſam autem juſtam eam eſſe hîc judicamus, nõ quam quiſq; lance opinionis ſuę ponderatã, juſtam eſſe autumabit, ſed quæ omnium ſaniorum gentium arbitriis ac ſententiis rectè perpenſa & examinata, æquitatis trutinam, judi-
114 ciiq; recti normam ſuſtinebit. Fit autem interdum, ut quidem legationis & cauſa & jure ſalvo ac integro, non ipſa legatio, ſed legatus tantùm ob juſtã cauſam rejiciatur. Exemplum prębuit
115 omnium ſuorum anteceſſorum & ſucceſſorum literatiſſimus Pontifex, Æneas Sylvius, poëta & orator id ætatis clariſſimus, qui poſtea Pii II. nomen piſcatorio annulo appoſuit. Quid ve-
rò

rò ille? Cæsaris legatum, quòd esset dignitate legationis obscurior, audire recusavit, clariorem sibi remitti postulans. Hîc *Io. Ant. Campan. in ejus vit.*
non ipsa legatio cum repulsæ rubore, sed persona legati tan- 116
quam inutilis, & ipso jure nulla, rejicitur. Ut enim Ecclesia va- 117
care, & sine Episcopo esse dicitur, quæ inutilem & inidoneum
Episcopum habet: & virum nullum habere intelligitur, quæ 118
inutilem habet: Ita neque legatio justè censenda, & solenniter
instituta, quæ non ex dignitate legatum habet, qui, cùm rejici- 119
tur, jure rejicitur, ejusq; rejectio propriè legationis, ut ita di-
cam, cuticulam non attingit. Sed tamen, quemadmodum ma- 120
la emptio alicujus agri semper ingrata est, eoq; magis, teste Plinio, quòd exprobrare stultitiam domino videatur: ita etiam *Plin. Epist. ad Beb. Hisp.*
illa indigni legati rejectio & remissio, etsi juris gentium viola-
tionem nullam constituat, reprehensionem tamen tacitam, & 121
aliquam imprudentiæ notam domino, qui misit, domum reportat, quòd eum miserit, qui mitti neque poterit, neque debeat. Sic & Lysimachus severo interdicto à sese expulisse Pto-
lomæi legatum, hominem nequissimum & prorsus impium, 122
nomine planè à moribus disconveniente, Theodorum, eiq; in perpetuum, ne sese conveniret, interdixisse. Justam causam in- *Laert. in vit. Aristip.*
terdicti fuisse, meo etiam judicio, & omnium bonorum, rectis- 123
simè censet eruditissimus Gentilis. At ille (cervicosam agnosce cum nequitia conjunctam pertinaciam.) *Non revertar*, inquit, *nisi me iterum Ptolomæus mittat.* Quid verò, si remissus revenisset? injuriæ certè magis & contumeliæ, quàm legationis ergò venisse videretur, & justam ob causam excludi & abigi ac pu- *Alb. lib. 2 c. 5. de legat.*
niri potuisset, securitate legationis destitutus, neq; in eo lega- 124
tionis violata jura dicerentur. Si enim licet interdicere, ut licet, 125
legato ne veniat: licet etiam contra interdictum redeuntem mulctare, viq; irruentem vi repellere. Impietatem autem notoriam, ut in foro loquuntur, esse debere arbitror, quæ rejec- *l. legis virtus 7. ff. de ll.*
toriam, ut in foro loquuntur, esse debere arbitror, quæ rejec- 126
ctioni

ctioni & interdictioni justam ansam præbeat. Sine causa autem legatum rejicere, non minùs est jus gentium tollere, quàm
128 legationem sine causa prohibere. Sed & causam tum legationis, tum legati rejecti expressè declarandam esse puto, neque
Xiph. in v. Adr. sufficere τὸ οὐκ ἀρέσκουσιν, non placent. Quod Adrianū de illis, quos dimissos & rejectos in patriam remittebat, rescribere solitum
129 fuisse diximus. Est autem longè diversa ratio inter principis, quod de subditis ille suis profert judicium ac placitum, & inter
l. 2. ff. de leg. hanc de legati rejectione sententiam. Rationes enim eorū, quę
130 constituta sunt, inquiri exactè non oportere, docet Neratius. Itaque neq; principis placita causæ ullius exactioni subjiciun-
l. 1. de const. pr. tur, cùm legis vim ac vigorem habeant: Imò verò sacrilegii in-
131 star est de principali judicio disputare & dubitare, utrum dignus ille sit, quē elegerit, an indignus, quem rejecerit. At in le-
132 gationis negotio, cùm nulla ejus, ad quem legatio missa, adversus missum potestas sit, prædicta lex de placito & judicio Principis auctoritatem nullam obtinet. Nisi itaque expressè decla-
133 rata & ostensa causa rejectionis sit, ea pro nulla causa est habenda, semperque violatio juris gentium adversus violatorem, &
134 regulariter dolus adversum auctorē præsumitur. Legato enim sua sponte adstant juris gentium favor, & privilegiorum satel-
135 litium, unde in dubio semper legati causa præsumitur melior: qui non secus ac quivis alius peregrinus, secundum Platonem
136 majorem, & apud Deos & homines gratiam & misericordiam
137 meretur: quemque non minore caritate lex divina, quàm vi-
Bod. lib. 1. de rep. n. 60. duos & pupillos complectitur: Contrà, quàm doctissimus Al-
Gent. d. loc. bericus Gentilis existimavit. Nec enim præsumitur ab illo in-
138 juriarum occasio nasci, à quo jura nascuntur, ut Gratianus, Valentin. & Theodos. rescripserunt. Nec legatus contra jus illud
139 quicquam facilè designasse judicabitur, in quo anchoram &
c. cum eo. de R. I. præsidium omne repositum habet. Ligurum itaq; exemplum,

quî

qui defendi possit non video, cùm nullâ causâ addita legatum Romanorum à se recedere jusserint, jussui verò resistentem 140 ferro abegerint, servisq; ejus occisis vix fuga ereptum sau- *Polyb. in Select.* ciarint. Meritò itaque isto facinore læsi juris gentium pœnam, 141 capta, & in servitutem redacta eorum civitate, dedisse videntur.

CAP. III.

De domestica legati conversatione.

SUMMARIA.

1 Suppellectilis nomen & origo, auctore Labeone.
2 Cælii Rhodig. in l. 7. ff. de suppell. leg. ab Alberico Gentili rectè reprehensa.
3 Suppellectilem legato locatam ex formula facialis probatur.
4 Vasa quid denotent.
5 Consules & magistratus in provincias ituri instrumento militari instructi.
6 Locandi verbum pro conducendi.
7 Veteres non facile provinciales onerarunt.
8 Legatis suppellex cur locata.
9 Locandæ legatis suppellectilis mos desitus.
10 Prisca suppellex aureum aut argenteum tenuit.
11 Aurum & argentum etiam rarum in consulum domo.
12 Philippus Macedo unam auream phyalam habuit, quam dormiens sub pulvillo custodiit.
13 Alexander Homeri carmina capiti supposuit.
14 Auri usus olim rarissimus.
15 Pythea Arcadii monumentum & elogium.
16 Posterior ætas aurum & argentum in suppellectilem recepit.
17 Hodierna legatorum instrumenta viatoria.

18 Moscovitarum legati pomposi.
19 In augusta domo, angustia culinæ reprehensa.
20 Angustia culinæ augustiorem domum efficit.
21 Culina in domo legati qualis esse debeat.
22 Antonii triumviri profusa culina.
23 Muleassis luxus & profusio.
24 Splendore & magnificentia multitudo capitur.
25 Præsidi provinciæ mandatum, ne se contemni patiatur.
26 Legato summo studio contemptus evitandus.
27 Vices conviviorum reddendæ.
28 Legatus aliorum conviviis intersit, & ipse aliis exhibeat.
29 Convivali conversatione multa arcana deteguntur.
30 Germani amicitias & affinitates inter convivia copulant, teste Tacito.
31 In Germania legatum oportet esse in conviviis exhibendis splendidum.
32 Themistocles habitus indoctior lyra recusata.
33 Cyrus junior jactabat se plus vini & bibere & ferre posse.
34 Ad quorundam aulas consultius potatorem bonum, quàm oratorem mittere.
35 Bohemi à teneris pueros vino Malvatico bibendo assuefecerunt, Ænea Sylvio teste.
36 Callisthenes noluit in salutem Alexandri bibere, & ob id in odium regis incidit.
37 Temporibus oportet omnes sese accommodare.
38 Summum gratificandi genus, & benevolentiam, ac gratiam nonnulli populi in scyphis positam habent.
39 Cleomenes Scytharum consuetudine ad intemperantiam delapsus.
40 Scythæ per Sacas suos ebrietatem in Germaniam invexere.
41 Etiam abstemii in legationibus apud bibaces principes vinosi redditi.

42 Ger-

42 *Germanis ebrietate interdicere, & Hispanos coercere, ne furentur, æquè difficile, dictum Caroli V. Imp.*
43 *Carolus V. Imp. constitutiones de ebrietate tulit Pittaci antiquæ ll.*
44 *Comitia Germaniæ non tam commentandi, quàm commessandi gratia videntur instituta.*
46 *Bubastica sacra quæ olim Ægyptiorum.*
47 *Plato modicam compotationem non improbat, & ejus ibidem fructus.*
48 *Legatus vino ferendo assuefiat.*
49 *Vini insolentes inter vina mirè ineptiunt.*
50 *Lubentiæ convivales, & de ea re Platonis sententia.*
51 *Clisthenis convivium.*
52 *Hippoclidis vinosæ ineptiæ.*
53 *Legati cujusdam Iurisconsulti apud Polonos irrisio.*
54 *Hippoclides desaltavit nuptias.*
55 *Continens non dicendus abstemius.*
56 *Socratis in vino ferendo firmitudo.*
57 *Socrates ex convivio manè ad scholam digressus.*
58 *Alexander & Mithridates ipsi potatores, & potatorum amici.*
59 *Rudolphi II. Imp. temperantia.*
60 *Mauritii, Landgr. Hassiæ, sobrietas.*
61 *Ebrietatis Germanicæ remedium.*
62 *Principis exemplo totus componitur orbis.*
63 *Legati cubiculum sine illicitis amoribus.*
64 *Sine uxore legatum proficisci melius.*
65 *Illex lectus alieni ne sit cupidinis.*
66 *Libidinis ergò legati multoties cæsi.*
67 *Reges ob libidinem ejecti, nedum legati.*
68 *Iustinianei legati ob adulterii accusationem periculum.*
69 *Grachi continentiæ laudatissima prædicatio.*
70 *Familia legati qualis esse debeat.*

ATq; ita in hospitii sedem legatum nostrum pro dignitate exceptum deduximus, in quo, antequam ad palatium exponendi mandati causâ conscendamus, visenda nobis, quæ ad domesticam legati conversationem, quæ ad penum, familiæq; 1 disciplinam pertinebunt. Occurrit autem in ingressu omnium primùm suppellex, cujus inde nomen & originem fuisse scripsit Labeo, *quòd olim his, qui in legationem proficiscerentur, locari solerent, quæ sub pellibus usui forent*, referente Celso. Quo loco rectè (L.7 ff. de suppell. leg.) 2 refellit Cælium Albericus, quòd textu legis mutato, non his, qui *in legationem*, sed qui *in legionem* proficiscerentur, legendum (Alb. lib. 1. c. 14. de leg.) existimarit. Idq; non ita pridem, cùm hæc tertiùm reviderentur, confirmavit Elbertus Leoninus. Suppellectilem enim le- (Elbert. Leon. lib. 6. Em. c. 8.) 3 gatis fuisse ex ipsa solenni legati constituendi formula liquidò constat, quæ apud Livium extat, quando fæcialis ictum fœdera egressurus, regem ita rogabat: *Rex, facísne me tu regium nuncium populi Romani Quiritium vasa comitesq; meos?* Ubi per vasa, (Liv. lib. 1.) 4 verbum militare, omnia ea intelliguntur, quæ sub pellibus, hoc est, tentoriis tum militum, tum legatorũ, tum etiam consulum, & magistratuum in provincias euntium erant. De militibus historicorum mentio admodum frequens, *collegisse vasa*, 5 & verbum, *convasandi*, etiam ex Comicis notum. Præterea consules & reliquos magistratus omni instrumento militari instru-

instructos fuisse, cùm in provincias proficiscerentur, Livius confirmat, addita ejus rei causa, ne quid tale imperarent sociis. Eadem ratio in legatorum vasis & supellectile locanda fuisse videtur. Locabantur autem profecturis in legationem omnia, quæ sub pellibus necessaria erant, hoc est, constituebantur legatis omnia loco suo, ut in promptu ad usum haberentur. Illud enim propriè locare Varroni est. Et locabantur quidem, hoc est, conducebantur publica mercede. Locandi autem & conducendi nomine promiscuè veteres, & pro eodem usos jam antè à multis annotatum, tum ex legum libris, tum ex historicis. Locabantur ab aliis, puta, à quæstoribus, ut ea legati secum ducerent. Atqui Conducere, secum ducere propriè significat, interprete JCto Donello. Sed & locari in d. l. 7. pro commodari positū esse, censet Albericus, quem Elbertus Leoninus idcirco reprehendit, asserens verbum Locari, in sensu genuino esse accipiendum. Ideò autem locata, conducta, ex publico persolvebantur, tum, ne legati damni aliquid propter officium sustinerent, tum, ne socios, per quos iter habendum, aut provinciales onerarent. Id enim cavisse summa diligentia veteres, ne ex provincialium visceribus, ut Honor. & Theod. loquuntur, quippiam eruerent, aut per hospitium graviori essent oneri, aut subditos vexarent, ex Imper. constitutionibus manifestissimum est. Aut si per hostium agros ad gentes alias missi tenderent, ne necessariis commeatui instrumentis destituerentur, ubi nulla hospitiorum jura & amicitiarum invenirent. Id quod tum maximè opus fuit, cùm rebus nondum latè propagatis, urbis novitas circumquaque finitimorum odiis & bellis vexaretur. Atque hoc est quod Labeo dicat, olim locari esse solita, innuens postea illum morem desitum, cùm finibus imperii latissimè extentis, paucissimi fuerint populi, qui non aut amici, aut socii, aut confœderati, per quos tanquā per suos

Liv. lib. 30. & 42.

Var. lib. 4. de ling. Lat.

Tol. li. 27. synt. jur. c. 1.

Gent. de leg. 1. c. 14.

Don. de jur. civ. lib. 13. c. 6.

d. l. annona 15. C. de erog. mil.

l. 2. l. 5. l. 6. C. de Met & Epid.

8

Caj. l. 2. ff de orig jur. ibi bella acriora à finitimis inferrentur. Liv. 1. 2. 3. Halycarn.

9

l. 5. § 1. de capt. & postl.

proficiſcebantur. Sed quid de ea re dubitamus amplius? quin ipſam ſuppellectilem attrectemus. Quæ materies? Cùm non niſi olim locata fuerit, nihil argenti nedũ auri continebit. Pri-
10 ſci enim ſeculi ſeveritas argentea vaſa in ſuppellectilem non
11 admiſit, teſtante Paulo. Et quid in veterum legatorum ſuppel-
Tull. in parad. lectili locata argentum quærimus, cùm vix olim in conſultum
12 & Imperatorum domibus ipſum viſum? Nec Romani ſolùm Fabricii Curiiq; tot gentium victores aurum & argentum in
13 ſuppellectilem non habuerunt, ſed & Magni illius, & Bucephali, & rerum omnium ad Indiam uſque domitoris parens, unam ſaltem eamq; exiguam phyalam tenuiſſe, tantaq; diligentia aſ-
14 ſervaſſe legitur, ut quemadmodum poſtea ipſius filius Homeri
Duris apud Ath. lib. 6 deip. carmina, ita ille pulvinari lectuli ſui eandem ſuppoſuerit. Ra-
Idem ibid. riſſimus autem erat priſcis ſeculis auri uſus, adeò, ut tanquam
15 memorabile & admirabile ævo Pytheas Arcadius monumento ſuo hoc elogium inſcribi juſſerit: *Pythiæ monumentum hoc eſt, boni prudentiſq; hominis, cui poculorum magna vis fuit aureorum &*
16 *argenteorum, &c.* Cæterùm poſterior ætas aurũ, ebur & argen-
Papin. l. 9. §. 1. ff. de ſuppell. leg. tum in ſuppellectilem recepit, ut tum menſæ, tum lecti argen-
Celſ. d. l. 7. § 1. tea haberentur. Sed & hodie legati magnorum regum & prin-
17 cipum quandoque non tam uſus quotidiani, quàm pompæ &
l. 1. de tapetis ſ. d. tit. oſtentandi ſplendoris ergò, inter alia aurea & argentea viatoria inſtrumenta precioſa tapeta ſecum ferunt, de quibus etiam
Heid. de bell. Moſcov. olim dubitatum, an in ſuppellectile eſſent. Idq; Moſcoviticis
18 legationibus ſolenne eſſe ſcribit Heidenſteinius. Noſtrum verò etſi barbaræ oſtentationis molem circumferre nolimus, ne tamen de eo contemptim exclamari poſſit, quod Tullius de L. Piſonis proconſulis domo poſteritatis irriſui reliquit, omni ſtu-
Cic. orat. in L. Piſ. dio providendum. At quid illud? *Nihil apud hunc,* inquit, *lautum, nihil elegans, nihil exquiſitum, &c.* Sed nos in legati domo progrediemur, ipſiuſq; culinam inſpiciemus. Reprehenſum in cujuſdam

dam Galliæ primatis amplissima domo, scribit Guazus, quòd 19
angustior culina fuerit, quàm cætera laxitas & convenientia *Guaz. de convers. civil.*
ædificii videretur flagitare. Cui reprehensioni dominus per-
quàm scitè occurrens: at hæc, inquit, culinæ angustia tam au-
gustas mihi illas ædes fecit. Quid verbum hoc voluerit, lega- 20
tum velim nostrum ultrò intelligere. Amplam nimis culinam
profusam & prodigam legatus non habeat, neq; ex culina po-
pinam faciat, cùm illius domus tanquam specula virtutis & 21
continentiæ inter exteros *fulgere debeat.* Absit Antonii trium- *Wars. d. orat.*
viri prodigalitas, qui etsi solus cœnaret, se cum Antonio cœ-
nare dictitans, octo sibi apros ex culina singulis mensis inferri 22
volebat. Nec Muleassis exulis culinam legatus noster imitetur, *Plut in Ant.*
qui hoc ad magnificentiam spectare arbitrabatur, cùm in co- 23
mitiis Caroli V. Imp. Augustę Vindelicorum in unius pavonis, *Ex Iev. Bod. de rep. 4. n. 375.*
quo vescebatur, condimenta, plures quàm centum aureos im-
penderet. At noster optimè novisse debet, quantum inter lu-
xum ac splendorem, quantum inter profusionem & magnifi-
centiam intersit. Splendoris enim in omnibus rebus memor
legatus esto. Nulla enim re magis quàm splendore & magnifi- 24
centia capitur multitudo, neque ulla re faciliùs contemptus
provocatur, quàm sordibus, atque infra dignitatis intuitum
parsimonia. At quod olim præsidi provinciæ in mandatis an- 25
nexum fuit, ne contemni se patiatur: Illud eò magis nostro le- *Callisth. l. observandum 19. ff. de off. præs.*
gato omnibus studiis commendandum, quò majorem ille per-
sonam apud exteros, qui ad irridendum proclives, gerat. Sint
itaq; mensæ in domo legati magnificæ, sint pro legationis di- 26
gnitate splendidæ, caveatq; prudens, contemptionisq; fugiens,
ne illud, quod apud Satyricum est, de se audire possit:

——— ——— Alienaq; pocula siccas 27
Nemo tua, aut redde vices, aut desine velle vocari.

Non solùm igitur epulis aliorum procerũ & magnatum haud
gra-

28 gravatè interſit, ſed etiam tempeſtiva convivia ipſe viciſſim exhibeat. Quantum enim illud tum ad multarum arcanarum rerum, animorumq; explorationem, tum ad benevolentiæ & a-
29 micitiæ conjunctionem faciat, Tullius paſſim in epiſtolis ſuis teſtatur, qui ſe hoc fine ad Cæſarem & alios cœnatum iſſe con-
Tac. lib. de mor. fitetur. Nec verò inter Germanos tum veteres, ut Tacitus teſtatum reliquit, tum hodiernos, plures & majores amicitiæ,
30 quàm per vina naſcuntur, ut niſi convivalem magnificentiam legationis ſplendori oſtendendo adhibeas, neq; legati quidem
31 nomine dignus videare, aut ſi communem menſarum in bibendo morem defugias, non aliter irridearis, & ineptus, vitæq; communis ignarus habeare, quàm olim Themiſtocles, cùm
32 lyram recuſaſſet, adeò, ut ſi pro oratore, potatorē mittas, conſultius feciſſe videaris, præſertim ſi eam præ aliis dotem animi
33 obtineat, quam Cyrus minor in ſeſe ſummoperè efferebat, quòd plus vini, quàm frater, & bibere & ferre poſſet, ideoq; regno dignior meritò, ſi Diis placet, eſſet habendus. Imò verò
34 conſultius eſſet illum veterum Bohemorum morem in educando à teneris legato, qui ad ejuſmodi aulas accommodus
35 eſſet revocare, de quo Æneas Sylvius teſtatū reliquit, fuiſſe ex proceribus, qui ſuos liberos ab infantia, atque ipſis incunabulis generoſiſſimi vini Malvatici hauſtibus, uſu creberrimo aſſuefecerint, ut adulti gurgitem calicum aulicorum majoribus viribus animi tolerare poſſent. Egregium profectò firmamen-
Sylv in tr. de educat. liber ad Ladislaum reg. c. 6. & in com. ad dict. & fact. Alph.
36 tum! quo ſi à teneris informatus Calliſthenes fuiſſet, facilè illud exitiale regis odium, quod cùm in Alexandri ſalutem, ne
Plut. de coh. ira. ipſe Æſculapio indigeret, ſotericum, ut vocabant, poculum ebibere recuſaret, ſibi conflavit, facilè evitaſſet. Etſi itaque hîc ſapientia verba, ut Comicus ait, fundere, legatumq; noſtrum quàmplurimis præceptis & exemplis inſtruere vellem, ut, qua fieri poſſit diligentia, ebrietatem fugeret, vereor tamen ne vel

vel Ariſtippus ex Siculo, Dionyſii regis convivio, vel Æſchines aliunde mihi reclamet: *Temporibus accommodare ſe publicè & privatim omnes oportet.* Ut maximè enim apud Italos, Gallos 37
& Hiſpanos ſobrietatem tueri poſſis: apud Germanos, Danos, Suecos, Moſcovitas, reliquosq; Septentrionales vix quidem poteris, qui ſummum gratificationis genus, atque hoſpitialem 38
omnem gratiam in philotheſiis & ſoteriis cyathis repoſitum habent, quiq;, ut Sylvius de quadam Germaniæ natione ſcripſit, loco ſuperiore collocare ſolent eos, qui aliis potandi gloria antecellant. *Sylv. d. loc. com. lib. 1.* Quanquam enim naturâ ſiccus & abſtinens fueris, vereor tamen, ne quod Cleomeni accidit Lacedæmonio, 39
teſte Herodoto, obvenire tibi idem poſſit. Ille enim, cùm ad *Herod. lib. 6.* Scythas, qui per Sacas ſuas ſchytiſmon, hoc eſt, bibacitatem in Germaniam primi invexiſſe videntur, miſſus eſſet, Scytha- 40
rum converſatione ex temperantia ſumma in ἀκρατοποσίαν, maximamq; intemperantiam incidiſſe fertur. Nec noſtræ memoriæ ſimilia quorundam legatorum exempla deſunt, qui propè 41
abſtemii egreſſi, Bonoſo vinoſiores redierint. Optandum autem eſſet huic pravæ conſuetudini imponi fibulam, nimiæque ingurgitationi remedium dari poſſe, de quo tamen Carolus V. Imperator, quoad Germaniam, deſperavit. Cùm enim ab Hi- 42
ſpanis eam ob cauſam ſollicitaretur, ut ſeveriſſima pœna Germanorum ebrietates caſtigaret: *id tam facilè*, inquit, *obtinuero, ac ſi vobis Hiſpanis manus conſtringere velim, ne furentur.* *Chyt. in orat. funeb. Caroli V.* Et certè ita fore videtur. Etſi enim conſtitutiones politicæ, de ebrietate 43
fugienda, à Carolo latæ ſint, & à Rudolpho II. Imp. Auguſto renovatæ, quod tamen non primùm Germanorum moribus 44
accidit, ſed & Pitaci olim leges ſeveriſſimæ adverſus eandem peſtem ſancitæ, vivitur nihilominus perpetuò iiſdem moribus. Idq; potiſſimùm in publicis imperii conventibus videre 45
eſt, in quibus tanta temperantia & ſobrietas, ut non tam com-

mentandi, quàm commessandi gratia instituti esse existimari
46 possint, nec tam comitia consiliorũ, quàm Bubastica vinorum
Herod.lib.2. sacra videri, de quibus Herodotus scribit, paucorum dierum spaciis, quibus publica illa Ægyptiorum solennitas agitabatur, tantum vini consumptum haustumq; fuisse, quantum toto reliquo anni tempore in omnibus regni provinciis. At illis comitialibus moribus (morbos dicere possis) sanctissima constitutio Aureæ Bullæ, quæ in perpetuum servanda, gravissimè refragatur, prohibitis non modò omnibus immodicis, verùm etiam intempestivis, & crebrioribus conviviis, ne tractatus, uti legis verba sunt, communis salutis & pacis per tractum ac moram solatii, seu excessivam frequentiam convivii retardetur.

Hoig.p.1.q.4. n.11. Aur. Bull.c.12. de cong.prin. Elect.

47 Modicam autem, & paulò jucundiorẽ vini invitationem neq; Plato quidem improbavit, refici enim integrariq; animos ad instauranda sobrietatis officia existimavit, reddique eos paulò
Gell.lib.15.c.2. lætiores, atque ad intentiones rursum capiendas fieri habiliores. Quod quidem beneficium, si per vini vires legatus noster consequi posset, cohortandus magis ad crebriora convivia, quàm ab iis revocãdus esset: Imò verò, ut ævi & aulæ plerumq;
48 disciplina est, frequentiore jamdudum antè compotationum usu, tanquam militem & athletam aliquem ad aciem præparatum & exercitatum ad scyphos aulicorum excipiendos, legatum esse expediet. Quod etiam divinus Philosophus illi, qui in communi vita versaturus sit, summoperè & seriò suadet.
49 Cui enim Lubentiæ Gratiæq; omnes conviviorum incognitæ
50 sunt, quiq; illarum omninò expers est, si eum fortè ad participandas ejusmodi voluptates, voluntas tulerit, aut casus induxerit, aut necessitas compulerit, diliniri plerumq;, & capi, neq; mentem animumq; ejus consistere, sed vi quadam ictum laba-
Gell.d.loc. scere, testatur Gellius. Nominare ipse quosdam possem ex illis, quos noverim, qui, etsi cætera legationis munia egregiè ad admira-

mirationem omnium administrabant, in eo tamen sese omni-
bus irridendos propinabant, quòd cùm vina hilariter & mo- 51
destè ferre non didicissent, ineptiores, quàm ille in Herodis e-
pulo ebrius Arabs, de quo suprà locuti, aut ille in Clisthenis *Herod. lib. 6.*
convivio apud Herodotum, Hippoclides, qui capite in men- 52
sam constituto, pedibus, non secus ac manibus, gesticulabatur.
Memini autem, cùm in Megalopolitanorum Academia præ-
ceptoris mei, æterna observantia & memoria recolendi, Davi-
dis Chytræi, historicis auditionibus vacarem, idem ferè claris- 53
simo cuidam Jurisconsulto evenisse, cùm legatione ad Polo-
nos fungeretur, qui ut orator erat, οὐχ ὡς εἷς ἐκ τῶν πολλῶν, ut Xi- *Xiphil. in Adr.*
phil. loquitur, haud quidem unus è multis, habitæ gravissimæ
orationis laudem, beneq; administrati officii gloriam, vi vini
superatus, saltationis gesticulatione, modoq; inepto deforma-
verat: de quo idem postea cum risu prolatum, quod Clisthenes
de Hippoclide. Quid illud? Cùm Clisthenis filiam in matrimo- 54
nium sibi collocandam Hippoclides peteret, spem nuptiarum
saltationis ineptiis perdidit: responso hoc accepto: ἀπωρχήσαο γε-
μὲν τὸν γάμον: Desaltasti, Budeo interprete, matrimonium: ita il-
le legationem desaltasse dictus, contrà, atque electoralis Saxo-
niæ legatus Andreas Paulus fecisse prædicatur, qui saltando
missionis suæ finem ingeniosè venatus erat. Quomodo verò?
Cùm ad quendam illustrissimæ familiæ principem, trium Epi-
scopatuum Administratorem missus esset, ut dum dicis gratiâ
alia quædam negotia expediret, inprimis aliud agendo cogno-
sceret ac exploraret, numquid ea, quæ in amoribus & delitiis
principis esse ferebatur, concubinæ, aut, quemadmodum ru-
mor erat, veræ conjugis loco haberetur. Quid fit? Orbis cùm
aulico more saltatorius institueretur, legato honoris gratiâ,
dubii complexus fœmina solenniter in choream offertur. Ho-
norem legatus excipit, sed non ea, qua principis conjugem

oportebat submissione, ac ceremonia, de industria veneratur,
capiteq; operto choreæ sociam versat. Quod cùm in contem-
ptum sui princeps verteret, non sese continere potuit, quin le-
gatum, quid rei illud esset, interrogaret. Cui ille, ignosce, in-
quit, reverendissime princeps, nesciebam Electoralis orator
eam tuam legitimam conjugem esse, neque dignitatis, sed tan-
tummodò voluptatis causa haberi. Atque eo modo, quod vo-
lebat perquàm scitè ac callidè exploratum ille curavit. Eo qui-
dem ingenio ac arte nostrum etiam saltare non abnuemus. A-
theniensium verò more nolumus. Illi enim, ut apud Athe-
næum, irridentur, quàmprimum vini saltem odorem perce-
pissent, saltare ceperunt. Nec, licet ab Imperatore Sigismundo
missus sis, qui nudis pedibus cum Argentinensibus fœminis
per civitatis compita choreis habitis hilariter exultasse scribi-
Hertzog. in Chron. Alsat. lib. 2. c. 96. tur, mittentis personam tibi referendam esse eodem decoro &
choro existimabis. Sed ut ex saltu redeam, ille tum mihi verè
dicendus est continens & temperans, non qui nullis unquam
conviviorū æstibus jactatus est, qui nullis liberalioribus com-
55 potationibus interfuit, sed cujus vita victusque, ut Gellius lo-
Gell. d. loc. quitur, inter ipsa poculorum certamina, & in mediis convivio-
56 rum illecebris explorata est. Videat itaque noster legatus, ut
Socratis firmitudinem in conviviis imitari & retinere possit.
Homer. Iliad. 2. Illum enim memoriæ proditum est, παννύχιον, ut Homerus lo-
quitur, per totam noctem ad matutinam usq; stellam, ut apud
Plautum est, ex argenteo puteo, hoc est, ex ingentibus (quæ
Cic. Phil. 2. Tullius immania vocat) poculis perpotasse, & sopitis vino aliis,
Gell. lib. 2. c. 29. quàm primum diluculasset, ut verbum Gellii, ex convivio in
Athen. lib. 5. deip. Lyceum rectà itasse, lineasq; Geometricas, manu nihil omni-
nò vacillante, auditoribus demonstrasse. Prædicant annales
Marchici, patrum nostrorum memoria floruisse ea naturæ fir-
mitudine Hieronymum Schultetum, oratorem & legatum
Bran-

Brandeburgicum, ut, etsi totum diem noctemq; perpotasset, *Angel. in Chro.*
tanta tamen & memoriæ & eloquentiæ felicitate fuerit, ut de *Brand.*
gravissimis causis per trium horarum spacia summa cum ad-
miratione perorare potuerit. Id genus legati prævalere non
rarò in multorum aulis solent, neque minores in precio atque 57
honore haberi, quàm olim illi Athenis, quos populus propter-
ea quòd plausibilem ac gratiosam causam attulissent, palma-
rum foliis & fructibus, nec non nucibus atq; aliis bellariis sum-
ma cum lætitia spargebat. Memini equidem quendam ex ex- *Suid. in act.*
tero quodam regno, non solùm insigne monile, sed etiam an- *κατὰ ὀχήματ.*
nuas pensiones compotationis victoria partas domum retu- *& ex eo Steph.*
lisse. Sed nō sunt omnes eo ingenio, & omnes esse summoperè *Forc. in Fel.* *Pol. in princ.*
dolendum foret, ut cum Alexandro Macedone, & cum Ponti-
co illo Mithrydate potationibus delectentur, earumq; studio- 58
sissimis præmia constituant. Quis enim veterum illorum Ro- 59
manorū, qui tantoperè prædicantur, hodierno Imperii Roma-
ni capite, vini victusq; temperantior? Et quod præclariùs, atq;
ad posteritatis memoriā commendabilius sobrietatis & tem-
perantiæ exemplum, quàm quod nunc in illustrissimo Hassiæ 60
Principe Mauritio, domino nostro clementissimo, & patrono
verè Augusto, instar solis elucescit, qui cùm totius vitæ curri-
culum in sobrietate collocatum habeat, ab omnibus ebriosis,
crapulæq; deditis ipsâ naturâ abhorret. Qua quidem animi
magnitudine sobrietatisq; gloria si studerent esse omnes Ger-
maniæ Principes, si Comites, si nobiles, haud parvo negotio il-
la Scythicæ ebrietatis consuetudo intra non multos annos do- 61
mi militiæq; abolesceret.

——— Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

62 Sed ſatis menſam legati inſpeximus, progrediamur in concla-
via. Quid ibi? Lectulo inſcriptum velimus illud poëtę ob amo-
63 res exulis: *Nox & amor vinumq́, nihil moderabile ſuadent*, ne for-
tè illex lectus illiciti cupidinis ſit. Sine uxore quidem legatum
profectum eſſe laudamus, idq́; ſuprà diſputatum pluribus. Sed
& alienam foris interea in cubiculo ejus eſſe, à gravitate & con-
64 tinentia legati alienum, imò verò caput cum alienis uxoribus
66 limare, ut Plautus loquitur, in diſcrimine capitali. Quot enim
Herod. lib. diu. 5. Inſt. 2. libidinis cauſa cæſi? Et quomodo legatis non fraudi illud apud
exteros ſit, quod regibus apud ſubditos exitio fuit? Tarquinios
67 Liv. lib. 2. incontinentia & libido, avita ſede & regno expulit. Chilperi-
Æm. de reb. Franc. cum Francorum regem peſſum eadem dedit. Juſtinianei verò
Procop. lib. 1. de bell. Goth. legati quanto in periculo apud Procopium, Theodoto adulte-
rii flagitium objiciente, quod etiam, Gothorum legibus, legato
68 capitali pœnæ habitum. Caveat igitur, ne nõ ſolùm in crimen,
ſed ne in ſuſpicionem quidem criminis vocari queat. Digna vi-
69 ri graviſſimi virtute & conſtantia illa Grachi ex Sardinia re-
Gell. lib. 15. c. 12. verſi ad populum oratio eſt: *Biennium*, inquit, *fui in provincia, ſi
ulla meretrix domum meam introiit, aut cujuſquam ſervulus propter
me ſollicitatus eſt, omnium nationum poſtremiſſimum nequiſſimumq́,
exiſtimatote.* Idem noſter domum reverſus, ut verè de ſeſe præ-
dicare poſſit, ſummo ſtudio & diligentia providebit; Nec ſe-
Sylv. Epiſt. 5. quetur hîc libidinoſum Sylvium, qui ſibi voluptati ingenti eſſe
ſcribit ad patrem, quòd ex illegitimis amoribus natus ſibi par-
vulus Æneas in avita domo luderet. Ille enim, ut ipſe fatetur,
cùm apud Argentinenſes oratoris munere fungeretur, pluri-
busq́; diebus otioſus eſſet, quò facilius poſtea commendatio-
nem virilis virtutis ad conſequendas maximas Romanæ Ec-
cleſiæ dignitates haberet, virum ſeſe egregium Britannæ cui-
dam mulierculæ, non ſecus ac olim Antonius Ægyptiæ Cleo-
patræ probavit. Quod quidem facinus tantoperè homini arri-
det,

det, ut sibi ipse mirificè de eo gratuletur, applaudat, & ferè triumphum agat, cum illo Romano triumviro, Venereum. At nostro maxima etiam de familia cura sit, ut nihil protervè, nihil libidinosè, nihil lascivè in ea fiat, lenones, parasiti, gnathones, pueri meritorii ne ferantur, ne ad mensam & sermonem admittantur. Audiatur hîc iterum imitandus Grachus: *nulla apud* 71
me, inquit, *popina fuit, neq; pueri eximia facie stabant, sed in convivio* *Gell. d. loco.*
liberi vestri modestius erant, quàm apud principem. Virum ostendit 72
magistratus, quemadmodum vetus dictum est: Ita & familia dominum, qui iisdem moribus & studiis esse arguitur, quorum in comitatu & familia sua tolerans esse perspicitur. Etsi tamen fieri quandoque possit, ut etiam in bonorum virorum prædiis 73
lupanaria exerceantur, &, ut maximè domus disciplina vigilet, 74
non tamen boni viri domus melior sit, quàm arca Nohæ, ubi 75
inter octo unus reprobus inventus. Ideò tamen majori diligentia comitum & familiarum mores sibi coërcendos esse legatus meminerit, quòd illorum non modò facta, sed etiam dicta omnia legato sint præstanda, confirmante nō solùm Tullio, sed etiam legibus. Si quos itaque rixosos, tumultuosos, petulantes & injuriosos libidinososq; animadverterit, faciat idem, quod Abrahamus à Deo facere fuit jussus, cui dictum: *Ejice ancillam*, ne tota domus, ut fieri solet, in hominum odium & levitatis notam etiã ob unius noxiam deveniat. Sed ne longiùs, quàm oporteat, lustratione domus occupemur, regrediamur, relicta in parietibus hac legato semper tenenda sententia: *amicos omnes, familiarem nimis tibi neminem facias.*

August. quantumlibet, dist. 47. 76 77 *Cic. ad Quint. fratrem. l. observandũ. ff. de off. procon. l. 1. C. de execut. & exact. l. 5. C. de jure fisc. & ibi Bart.* 48 *Warf. d. orat.*

CAP. IV.

Honorifica accersitio.

SUMMARIA.

1 *Industrii legati celeritatem conficiendæ legationis omnibus modis aucupari.*

2 Mo-

2 *Moris regii diutiùs legatos detinere.*
3 *Certum olim apud Romanos tempus audiendis legationibus definitur.*
4 *Mensem Februarium ad provincialium auditionem pertinuisse.*
5 *Exterorum auditio incerti temporis otio æstimata.*
6 *Humanitatis & benevolentiæ signum, non diu detinere legatum.*
7 *Superbiam refert longior detentio.*
8 *Demetrius per biennium legatos ludebat.*
9 *Cogi nolunt, sed rogari principes.*
10 *Atheniensium, ut audirentur, sollicitatio.*
11 *Aloysii Mocenici, Venetorum legati, studium.*
12 *Stratagemate opus ad difficiliores aditus aperiendos.*
13 *Franciscus Marchesius ICtus ad Galeatium missus.*
14 *Ejus stratagema, quo feliciter usus.*
15 *Basilica herba naturam Genuensium ingenia referre.*
16 *Clavis prudentiæ omnes aditus patefacit.*
17 *Venetorum legati stratagema, quo ad Turcarum principis aditum pervenit.*
18 *Detentionis longioris nonnullæ causæ.*
19 *Persæ Romanos cur detinuerint.*
20 *Caroli V. Imp. in legatis vocandis consuetudo.*
22 *Legatus in senatum honorificè ducendus.*
23 *Legati à prætoribus in senatum ducti.*
24 *Turcarum deductio barbarica.*
25 *Vnde originem sumpserit.*
26 *Locus splendidus legationi audiendæ legendus.*
27 *Senatus Rom. in templis augustis.*
28 *In loco splendido audiri, legationi honorificum.*
29 *Inhonestum ad locum vocantem non oportet sequi.*
30 *Arbitro ad inhonestum locum vocanti litigatores parere non tenentur.*

31 Po-

31 *Popina & lupanar, inhonesta.*
32 *Matthæus Episcopus Cracoviensis ad latrinam legatos regis deduxit.*
33 *Idem in latrina affirmabat se suos thesauros & opes reconditas habere.*
34 *In castris audiri, honorificum.*
35 *Alexandri regia in castris fuit.*
36 *In Bellonæ & Apollinis fano qui auditi?*
37 *Publ. Villii legati Rom. secessus.*
38 *Alieno tempore non desidendum in oculis exterorum.*
39 *Lyncei oculi legato necessarii.*
40 *Nepæ in pariete.*
41 *Ludovici Galliæ regis astus, in legatis aliorum auscultationi exponendis.*
42 *Petri Medicis fraudulentæ auditiones.*
43 *Principem ipsum audire oportet legationem.*
44 *Galliæ reges ipsi audiunt.*
45 *Tolosani ea de re contraria sententia explicata.*
46 *Ad alienas aures legationem admitti, indignitati legationis tribuitur.*
47 *Matthæus Langius ad Cardinales ire noluit.*
48 *Ammirati judicium ea de re castigatum.*
49 *Infra dignitatem legationis eam ab aliis audire.*
50 *Ad majestatis splendorem pertinet, ab ipso principe legatos audire.*
51 *Mecœnatis ea de re consilium.*
52 *Aliena videtur potestate teneri, qui per alios legatum audit.*
53 *Veteris Franciæ reges hac ratione in contemptum venerunt.*

SEd quando tandem in concilium? Eò enim industrii fidelisq; legati est omnem operam & diligentiam convertere, ut quàm ocyssimè, petito concilio atque legationi exponendæ 1

Vay. de leg. c. 9. occasione quæsita, finem, propter quem venerit, consequatur. At nos ultra mensem in hospitio hæremus? quid istud moræ? si non aut senos, aut bis senos menses, annos etiam aliquot de-
2 tinearis. Id enim nunc moris regii esse existimatur, diutiùs legationis audiendæ tempus trahere, & præstolatione longiori oratorem suspensum tenere: nisi fortè causa admodum acceptabilis sit, aureosq; Arabum montes afferat. Idq; aulicarum
3 rerum non ignarus, Petrus Monavius, etiam hodie minimè
Pet. Mon. ep. ad Laur. Scholt. usitatum esse scribit, ut citò expediantur legati, & ad suos tempestivè remittantur. Itáne verò etiam veteres? Illud honoris gratia receptum moribus Vandalorum antiquorum ac Dano-
Crant. lib. 6. Dan. c. 7. rum fuisse perhibet Crantzius, ut invicem legatos tam diu ad se missos detinuerint, donec placido responso reddito dimitterentur, ne potiùs speculatores, quàm pacis arbitri accessisse viderentur. Sed quid Romani? certum definitumq; tem-
Alex. ab Alex. & ex eo Warf. pus, mensem nimirum Februarium constituisse audiendis le-
4 gationibus leguntur. Quod tamen de provincialibus malim, quàm de exteris intelligi. Illis enim præscribi certum audiendi tempus poterat, his, puto, quamlibet anni partem fuisse libe-
Gent. lib. 1. c. 15. ram, eamq; sententiam tenuisse etiam doctissimum Gentilem video. Missos quidem tùm hyeme, tùm æstate, & auditos domiq; forisq; legatos legimus: imò verò legationum obortis frequentamentis numerosioribus, tempus audiendi non cer-
Plut. in probl. to mense, sed incerto otio, si quando per negotia graviora li-
5 ceret, æstimatum. Detentionibus tamen longioribus illis præ-
Vay d. loc. termissis, dimissos esse quàm potuit fieri citissimè, legimus.
6 Commendationẽ autem facilior admissio humanitatis & benevolentiæ maximam meretur: superbiam autem & insolen-
7 tiam potiùs quàm gravitatem & magnificentiam arguit legatorum diuturnior suspensio. Quamobrem omnium adversus se gentium odia & contemptum sui exuscitasse ferunt Demetrium,

trium, quòd difficilis & morosus admodum in audiendis lega-
tis haberetur, ita quidē, ut Atheniensiū legatos biennali mora 8
elusos, inauditos tandē, tædioq; temporis tractos, dimiserit. At *Plut. in Dem.*
quid adversus istam morā consilii, quid remedii? cogi nolunt, 9
sed rogari potentiores. Imitandi itaq; quos jam nominavi, A- *Warsf. d. orat.*
thenienses, qui hinc inde vestigia Demetrii sequendo, & pur- 10
puratos sollicitando, nihil reliqui sibi unquam fecerunt. Illud
ex animi sententia successisse Aloysio Mocenico, Venetorum 11
oratori prædicat Magius, quòd cùm Caroli V. Imp. comitatui *Mag. d. lib.*
assiduus, tanquam umbra corporis, adhæresceret, exspectatio-
ne citiùs negotium suum expedierit. Sed & prudentibus non- 12
nunquam & callidis stratagematis opus est, ut si ex composito
& industria occludi tibi fores animadverteris, vel invidia eo-
rum, qui à consilio & latere ejus, ad quem fueris missus, vel ne-
gligentia aut ignavia eorum, qui referre principi talia debeant,
ineas similes facilioris consequendi accessus rationes, quibus
usum Franciscum Marchesium JCtum accepimus. Quæ verò
illæ? Ad Galeatium Mediolanensem Vicecomitem, à republ. 13
Genuensi orator missus, cùm difficilem aditū haberet, id con-
silii cepit. Festo, quod D. Baptistæ sacrum est, vasculum plenum
basilicæ herbæ, tanquam munus solenne Galeatio misit. Vice- 14
comes, herbis acceptis, cùm, quid hoc rei esset, suspicari non
satis posset, legatum ad se accersiri jussit: admissus ille hac ra-
tione, & auditus, cùm interrogaretur, quid in herbis verbi &
sententiæ? *Basilica*, inquit, ***herbæ naturam ingenia Genuensium re-*** 15
ferunt, quæ leviter quidem tacta suavem odorem emittunt: contrita
verò scorpiones gignunt. Idcircò clavem, ut ita loquar, prudentiæ
difficilioribus admissionibus adhibendam esse noveris, quæ
pro tempore varia, nullisq; præceptis & regulis facilè inclu- 16
denda, consilia rerumq; compendia suppeditet, locoq; ac-
commodet. Sic Venetorum legatus, cùm aliter ad Turcarum 17

tyrannum aperire sibi viam non posset, sua posita, vestem Turcicam indutus, in palatium hoc stratagemate intromissus, &
Vay.d.loc. auditus, legationem ex animi sententia confecit. Sunt autem
18 gravissimæ nonnunquam longioris detentionis causæ, quas
Cic.Phil.8. propter hostium etiam legati (quod tamen Cicero inconsultissimum esse arbitratur, & reipubl. periculosum) diuturniore mora suspensi teneantur, ut rebus exterorum interea, dum absunt domo caduceatores, exspectationis in alea positis, & consilia & molimina præparare firmiora adversus ipsorum postulata possimus. Id spectarunt olim Persæ in detinendo Romanorum legato, de pace ineunda misso, quem tantisper sermo-
19 nibus suis demulxêre, donec præsidiis belli instructis, cōditio-
Procop.lib.2.de bell.Pers. nibus pacis rejectis, infecta re dimitterent. At hoc etiam velim maturè nostrum odorari, &, si qua ejusmodi adversus se machinas paratas videat, prudentiæ suæ tela opponere. Sed ecce, tempore, quo minimè hoc omnium speraveras, adsunt, qui ho-
20 norifica nostrum oratorē deductione ad concilium accersant,
Warf.d.orat. illud autem ita fieri solere testatur Warsevicius, huncque morem fuisse Carolo V. Imperatori, ut si quos longiore mora de-
21 tentos comperisset, maximè omnium securos, eo potissimùm tempore ad audientiam vocarit, quo imparatissimos se inventurum eos esse existimaret. Vigilandum itaq; legato, ne, si quibus articulis, cùm minimè velit, aut speret, accersatur, ludibrio magis & impedimento, quàm emolumento suis negotiis sit
22 futurus. Deduci autem honoris gratiâ legati in senatum moribus etiam priscæ urbis solebant, idq; prætoris ad officium per-
23 tinuisse, ex multis Livii locis perspicuum est. Ita deductos Massinissæ legatos à prætore C. Lælio: à Scribinio prętore Asiæ regum oratores legimus. Honorifica deductio, etiámnum moribus nostris recepta, & in Polonia Marescallus regni, teste Cro-
Crom.lib.2. Pol. mero, deducendi oratoris in palatium officio fungitur. In Gallia

lia verò ad Cancellarii partes deductio pertinet. Sed illa, quæ
apud Turcas hodie est, non tam honorem, quàm barbarum li- 24
ctoriæ prehensionis morem & similitudinem ligationis, nō le-
gationis referre videtur. Ab utroque enim latere sunt, qui de-
ductum ad principis aurem legatum apprehensis lacertis te-
neant, & manibus, quasi manicis injectis, constringant, ne libe-
rè commovere sese, aut uti pugnis queat. Quem morem insti-
tutum scribunt ex eo, quod quondam Georgii Serviæ Despo- 25
tæ Atriensis, sub specie colloquii ingressus, mucrone exerto, *Busbeq. in Ep.*
tyrannum, ultus necem herilem, occiderit. Sed quid hoc ad le-
gatos, adversus quos diffidentia ejusmodi non esse debet? At
quò deducimur? In locum splendidum, & legationis splendo- 26
re dignum.

Tectum augustum ingens centum sublime columnis.

Ut Maro noster canit, moris vetusti, & decori observantissi- 27
mus. Ita enim Romani in senatum, qui in augusto templo ha- *Liv. & Halyc. lib. 6.*
bebatur, legatos deductos audiebant. Nam & hoc ad legato- 28
rum honorem spectat, ut in loco honesto & splendido audian- *Cic. Phil. 8.*
tur. Ad inhonestum itaque locum sequi non debent, quando- 29
quidem neq; litigatores arbitro ad inhonesta loca vocanti pa- 30
rere teneantur. In lupanaria ergò si te Heliogabalus, in popi- *l. quid tamen*
nam si Vitellius deductum velit, eò ne mandata tua expositum *21. § 1. ff. de recept. arb.*
eas. Quocirca turpissimus meritò audit Cracoviensiū Episco- 31
pus Matthæus, qui à Boeslao Crispo, Poloniæ rege, subsidii mi-
litaris postulandi ergò missos, ad turpissimum latrinæ locum
deduxit, ibi inquiens, suas opes & facultates esse reconditas. *Crom lib. 6.*
Factum quidem guloso Episcopo dignum: at locus indignus, *Richard. Dinothus in Chron.*
quò noster deducatur. Quid verò foris? sub pellibus ac tento-
riis audiri nō abnues. In castris etenim & honoris illud & mo- *Dyon lib. 7.*
ris etiam prisci. Ibi enim plerique, qui ad Alexandrum mitte- *App. de bell. Pun.*
bantur, tum excepti, tum auditi, cui non alia regia, non augu- *Curt. in Alex.*

Plut. in Alex. ſtior arx viſa quàm caſtra. Quo ſenſu videntur etiam Germani-
ci Imperatores fuiſſe, qui urbe Servo ſervorum relictâ, in cam-
pis Roncaliis maluerunt non modò omnium gentium lega-
Vrſp. Gunth. lib. 2. tiones, ſub linteis tectis audire, ſed etiam ſummam majeſtatis
ſuæ pompam conventibus ac comitiis ſub dio habitis explica-
36 re. Sed & hoſtium ſuſpectis legatis extra urbem hoſpitari juſſis,
non minùs honorificus locus aperiebatur, ut vel in Bellonæ,
Liv. lib. 4. vel Apollinis fano, audirentur: nonnunquam etiam ſequi ca-
ſtra juberentur; Ita enim Carthaginenſes Tunetem uſque Sci-
Liv. li. 7. & 10. pionem, Ætoli Hiſpacum uſq; conſulem comitabantur. Se-
quatur eundem ad modum noſter, ſive foris, ſive domi hone-
ſtus locus oſtendatur, niſi fortè inter eundum ea interveniant,
quæ magis ſeceſſum, quàm acceſſum ei ſuadere videantur.
37 Quid enim, ſi quod Publ. Villio, Romanorum legato obveniſ-
ſe legitur, cùm ad Antiochum miſſus eſſet, idem noſtro acci-
dat? Quid verò illud? Cùm ad regem ille perveniſſet, jamque
Liv. lib. 35. eundem publico nomine in Apamea allocutus eſſet, interea
temporis evenit, ut regis filius vitam cum morte commutaret,
38 eaq; re univerſa aula, indicto juſtitio, in luctum & mœrorem
ſeſe converteret. Quocirca Romanorum orator, *ne*, quemad-
modum hiſtoricus loquitur, *alieno tempore incommodus obſerva-*
Stip. Amm. diſſ. polit. lib. 15. c. 4. *retur, Pergamum ſeceſſit. Quæ res,* uti Ammiratus exclamat, *legato*
animadvertenda eſt, quia ubi non ſis, qui eſſe debes, non eſt, cur velis eſ-
ſe. Relinquitur itaque illud oratoris judicio atque prudentiæ,
ut, ſi quid in rebus ejuſmodi facto opus ſit, diligenter perſpi-
39 ciat. Maximè verò optandum eſt Lynceos oculos dari legato
poſſe, ut aulici atrii, in quod deducatur, viſu penetrare parie-
tes, aulæorumq; & velorum latebras, foriumq; occultationes
pervidere poſſit. Solent enim nonnunquã, tanquam in ſcenis,
40 latitare, uti Plautus loquitur, intra parietes nepæ, ſolent emiſ-
ſititii oculi & aures auſcultandis legatorum orationibus clan-
culum

culum & insidiosè adhiberi. Cujus quidem doli suspectum, reddidit palatium suum Ludovicus XI. rex Galliæ, quòd cùm auditurus esset nuncios Conestablii, Contæum, Caroli Burgundiæ Ducis consiliarium intra cubiculi fores collocarit, ut omnia, quæ illi contra Carolum intonarent, perciperet. Iisdem fraudibus, uti Ammiratus ea de re scripsit, usum Petrum Mediceę legimus, cùm domi suæ regis Galliæ legatum absconditum intra vela haberet, ut, quo animo & voluntate Ludovicus Sfortia erga regem esset, ex illius oratione audire ipse posset. Quem quidem astum summo dolo constare auctor Italus, de Itali principis facto prædicavit. Sed & illud ad legationis dignitatem pertinet, Principem ipsum, ad quem missa est, legationem audire. Quod quidem veteres diligentissimè fecisse, Cæsarum & regum exemplis confirmare nõ est opus. Est enim illud maximum ipsorum principum negotium, quod neq; unquam Galliæ posteriores reges defugisse Cominæus testatur. Etsi Tolosanus scripserit, per Cancellarium regni solere regem Franciæ legationes audire, & iisdem respondere, quod de minorum gentium legatis, minorisq; momenti negotiis intelligendum. Nam & hoc legationis indignitati tribui solet, si non ad ipsas aures principis fuerit admissa. Quapropter Matthæũ Langium, Episcopum Gürcensem, & Maximiliani I. oratorem, Guicciardinus scripsit, cùm ad Pontificem Romanum, Julium II. missus esset, noluisse ad tres illos Cardinales, quos Papa, ut cum illis rem ageret, destinaverat, descendere. Quid verò fit? Cùm illi ministros suos tractandi negotii causa ad legatum misissent, ipse similiter tres ex suis ad eos remisit. Quod quidem exemplum non rectè Ammiratus perpendere videtur, dum in eo barbaricã quandam legati arrogantiam, ut ejus verba sunt, apparuisse disputat, cùm contrà potiùs tum Pontificis, tum Cardinalium elatio atque fastus fuerit reprehendendus, quòd Cæsa-

Commin. lib. 6. comm. 41 42 *Amm. d. loc.* 43 44 45 *Tolos. synt. jur. lib. 47. c. 29. n. 16.* 46 47 48

Cæsareum oratorem non ea, qua æquum erat, dignitate audie-
rint. Ac sæpè solet mandato legationis adjici, ne aliis, quàm ipsi
49 regi ac principi audiendam eam legati præbeant, cùm etsi in-
teriora principis membra fidelissimi consiliarii & Cancellarii
audiant, tamen, ut relationis alienæ suspicio omittatur, infrà
dignitatē splendidioris legationis esse videtur, cum alio, quàm
cum rege, ad quam missa sit, legationem verba & sensus socia-
re. De qua re vehementer conquestos esse legatos ex Africa ad *Tranq. in vit. Tib.*
Tiberiū missos, testatur Suetonius, cùm se à Cæsare, ad quem
50 missi essent, trahi ad alios viderent. Adde quod ad jura maje-
statis, ejusq; splendorem declarandum maximè pertineat, ex-
terorum legationibus audiendis principem ipsum occupari.
Quod ideò cùm nondum satis potestas Augusti olim confir-
mata esset, hac ratione prudenter & callidè monebat Mecœ-
51 nas in primordiis imperii instituendum esse, ut primùm exte-
rorum legati in senatum introducerentur, ut, quod è dignitate *Dion. lib. 52. hist. Rom.*
reipubl. esset, omnia viderentur in senatus potestate esse. Alie-
52 na igitur potestate teneri videbitur, qui per alios audiendæ le-
53 gationis iura exercebit. Quod antiquissimos Franciæ reges fe-
cisse legimus, cùm ipsi domi suæ desides nemini ferè subdito-
rum, nedum exterorum sese conspiciendos, veteri Assyriorum
ritu, exhiberent. At illi ex eo in contemptum, & tandem in ja-
cturam dignitatis regiæ inciderunt. Cautior autem auctorita-
tis etiam in his rebus retinendæ Augustus. Etsi enim ille consi-
lio Mecœnatis tribus consularibus viris permitteret, ut lega-
tos regum populorumq;, qui ad ipsum venirent, ipsi sin- *Dion. lib. 55.*
guli separatim audirent, graviora tamen rerum
momenta suo & senatus decreto
reservabat.

Cap.

CAP. V.

Ad exponendum mandatum ingreßio.

SUMMARIA.

1 *Ligano regi quid Lacedæmoniorum legati responderint.*
2 *Quo Virgiliano versu legatus animandus.*
3 *Fortitudine & constantia legato opus.*
4 *Eleorum tyrannus adversus legatos sævissimus.*
5 *Basilide Moscorum nihil crudelius sol aspexit.*
6 *Demosthenes* ῥιψάσπις *appellatus.*
7 *Demosthenis timiditas non solum in legionis, sed etiam in legationis accessu.*
8 *Legationem deserere gravius delictum, quàm stationem militiæ relinquere.*
9 *Prudentis est ante susceptum negotium de negotii magnitudine cogitare.*
10 *Ex non prævisis telis major animi turbatio.*
11 *Audacia & temeritas legato fugienda.*
12 *Tiresiæ baculus.*
13 *Aditus ad aulas & palatia regum qualis.*
14 *Marii vultus terribilis.*
15 *Marius obtutu fugare accedentem carnificem potuit.*
16 *Salutatio inter* φιλανθρωπίας *species prima.*
17 *Legatus etiam hostium salutationem debet.*
18 *Salutatio humanitatis prima nota & tessera.*
19 *Venetorum legatus ob salutationis ceremonias omissas coram Mosco reprehenditur.*
20 *Salutationis & civilis honoris exhibitio legationis naturâ flagitatur.*
21 *Iura gentium salutationis ceremonias postulant.*

22 *Salutationis reverentia nihil legationis juri & dignitati adimit.*

23 *Honor honorantis magis quàm honorati.*

24 *Isocrates Demonico salutationem cur tantoperè commendarit.*

25 *Salutationis gestus & ceremonia vernacula adhibenda, non peregrina assumenda.*

26 *Peregrina salutatio ad subjectam humilitatem inclinat.*

27 *Demagoras ab Atheniensibus, quòd regem Persiæ Persico more salutasset, punitus.*

28 *Persarum reges adorari ab accedentibus voluerunt.*

29 *Adoratio Persarum servilis & abjecta nimis existimata.*

30 *Basilides Moscorum princeps indignissimè tulit, quòd legatus suus pedem P.P. fuisset exosculatus.*

31 *Demades decem talentis mulctatus, quòd Alexandrum in legatione humilius coluisset.*

32 *Externi ritus in legationum salutationibus non rejiciendi.*

33 *Tulipandum Persa & Turca honoris ergò non detrahit.*

34 *Tartari supplice genu procumbentes legationis salutationem peragunt.*

35 *Humiliores gestus externæ salutationis & ceremoniæ legationis dignitatem non imminuunt.*

36 *Persæ non rectè exterorum mores ad suos exigebant.*

37 *Calliditas legati Atheniensis in Persica salutatione.*

38 *Resalutatio non prætermittenda.*

39 *Obviatio honorifica in salutatione quibus fieri extra palatium soleat.*

40 *Ludovicus Madrutius, Pontificis legatus, à Cæsare Rudolpho salutatus.*

41 *Assurrectionis honos.*

42 *Assurgere suis consiliariis Cæsares olim soliti.*

43 *Sylla soli Pompejo nudati capitis reverentiam exhibuit.*

44 *Principibus solis licet apud Cæsarem & regem caput operire.*

45 Co-

45 *Comes Egmondanus judicatus principis dignitatem à Philippo Hisp. rege accepisse, quòd juberetur coram ipso caput tegere.*

46 *Princeps intelligitur nihil frustrà fecisse.*

47 *Permisso uno, permissum etiam intelligitur alterum quod est connexum.*

48 *Manum cuivis porrigere Pythagoras prohibuit.*

49 *Manus honorificæ salutationis ergò legatis dari sueta.*

50 *Antonius Imperator manum cuivis accedenti sese porrexit.*

51 *Aulica in manibus copulandis facilitas in proverbium abiit.*

52 *Sedere honorificum legato.*

53 *Comicorum dictum: Si non locus est ubi stes aut sedeas, est ubi ambules.*

54 *Sedere legati magnorum regum debent.*

55 *Sedens magis honoratur, quàm astans.*

56 *Sedendi debitum jus denegare, injuriosum.*

57 *Clarissimis viris sedendi jus in judiciis datur, etsi accusati causam suam dicant.*

58 *Pontifex videtur justam habuisse de injuria adversus Moscum conquerendi causam.*

59 *Pontificis legato ex sella dicere volenti Moscus sedem jussit subtrahi.*

60 *Moscovitarum Ecclesia Pontificem Romanum non agnoscunt.*

61 *Sedendi jus, nisi consuetudine partum fuerit, legato non conceditur.*

62 *Imperatoris Rom. legatus apud Turcam sedendo perorat.*

63 *Venetorum legatus jure sedendi, in consilio Turcarum, uti prohibitus.*

64 *Caroli V. Imper. legato jus sedendi callidè adimere Turcæ voluerunt.*

65 *Pallium pro sella adhibitum.*

66 *Pallium legatus, quo sedebat, digrediens relinquit.*

67 *Vrbanum & salsum legati ea de re dicterium.*

68 *In minimis etiam rebus legationis dignitas asserenda.*
69 *Ius προεδρίας apud Græcos quid.*
70 *Præmii loco olim Athenis datum.*
71 *Romanis itidem usurpatum.*
72 *Frisiorum legati ad Neronem missi.*
73 *Legatis gentium, quæ virtute & amicitia Romana præcellebant, honestior locus in theatris datus.*
74 *Ambitiosiùs honorem loci peti, & contentiosiùs vindicari noxium.*
76 *Rudolphus, Herbipolitanus Episcopus, & Comites Bambergenses aliiq. atrocia bella de prioritate sessionis gesserunt.*
77 *Comitia Germaniæ sessionum certaminibus plena.*
78 *Ioannes Zamoscius magnus Cancellarius Poloniæ.*
79 *Ejus de Comitialium sessionum in Germania certaminibus dicterium.*
80 *Gallorum in regno consessus sessionum dimicationibus turbulenti.*
81 *Ludovici Andegavensis, & Philippi Burgundi de sessione contentio.*
82 *Carolus IV. rex Francicas sessionum lites diremit.*
83 *Electorales sessiones à Carolo IV. ordinatæ.*
84 *Poloni legatos tempore priores habent & audiunt priores.*
85 *Imperatoris tanquam regis Vngariæ, & regis Franciæ oratorum in Turcia de sedis prioritate contentio.*
86 *Acinaces præ valvis templi suspensus.*
87 *Prudentis legati attendere, quid sibi in loci & sessionis controversia faciendum.*
88 *Ambitiosa quæsitio honorum contemptum & risum parit.*
89 *Multi infecta legatione redire malunt, quàm non digno loco stare.*
90 *Ex comitiis quidam sine suffragio regressi, quòd per sessionis controversiam sedere nollent.*

91 Ve-

91 *Veterum in legationis prioritate mos.*
92 *Romanorum legationes omnibus aliis prælatæ.*
93 *Alexandri Magni prudentia in audiendis legationibus.*

ATq; in arenam tandem, dicendiq; campum atq; ipsam in aciem, quod dicitur, devenimus: non quidem athletarum & myrmillonũ more (quemadmodum Lacedæmoniorum legati, Ligano regi, cum valetudine dilationem longiorem, & rejectionem legationis excusaret, responderunt) colluctatum, 1
sed arma prudentiæ & eloquentiæ expeditum. Hîc autem operæ precium erit, illius apud Virgilium vatis excusationem ad Æneam institutam, legati nostri auribus ingeminare, *nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.* Nec magis bono militi, quàm 2
bono legato fortitudine & constantia opus, quemadmodum 3
de ea re monuit his verbis Plutarchus: πρεσβεῖαι πρὸς αὐτοκράτορα Plut. in Polit.
ἀνδρὸς διαπύρου καὶ θάρσος ἅμα καὶ νοῦν ἔχοντος δέονται: *Legationes*, inquit, *ad* præc.
Imperatorem, virum acrem, atq; fortitudine & audacia simul & consilio instructum desiderant, ut intrepidè & viriliter mandatũ perficiat, exuto omni metu ac formidine illorum discriminum, quæ nonnunquam apud juris divini humaniq; contemptores occurrere possunt. Quapropter etiamsi, *nec visu facilis, nec dictu affabilis illi*, quemadmodum de Cyclope canit Maro, tyrannus 4
aliquis vel Eleorum, quem sævissimum in legatos ex Heraclide Her. lib. de poli.
cognoscimus, vel Moscorum Basilides, quo crudeliorem neq; 5
sol occidens, neq; oriens aspexit, fuerit adeundus, Sulpitii, sæ- Paul. Oderbor. in v Basil.
piùs nominati, virtutem legatus imitetur, qui licet, Cicerone Cic. Phil 9.
teste, mortis positum ante oculos videret periculum, maluit tamen reipubl. saluti suam ipsius postponere. Ῥίψασπις militari 6
scommate appellatus fuit Demosthenes, quòd in prælio apud Cheronæam in aciem faciemq; hostium cùm pervenisset, parmula abjecta, tergum dederit, abusus illo Platonico: ὥστε ἀνὴρ

 ὁ φεύ-

7 ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται: *fugientem denuò pugnare posse.* At ne majus quidem eidem animi robur ad hanc togatam aciem, cùm audacter susceptam ad Philippum Macedonem legationem in medio cursu deseruerit. Quòd certè majoris delicti, quàm si stationis suæ munus miles relinquat. Etsi autem hîc non quidem

l. desertion. 3. §. 1.2.3 §. ff. de re mil. l. 2. C. de leg.

8 fortiter, sapienter tamen fecisse videri posset, quòd inimi-
9 co sese non crediderit, hoc tamen imprudentiam hominis arguit, quòd non prius, quàm postquam legationem suscepisset, de periculi magnitudine cogitarit. Longè enim antè cogitare quid obvenire ex quocunque negotio posset, prudentis esse existimatur. Quod inprimis legato nostro faciendum, ne in
10 non antea prævisa tela, animoq; prius agitata discrimina, unde plurimum turbationis in consiliis oriri solet, præter omnem exspectationem incidat. Absit autem temeritas, & inconsulti
11 caloris audacia, quæ multoties creare legatis exitium solet, cùm quò & ad quos missi sint, quidvé aut quibus loquantur, pensi nihil habeant, qui dum fortes videri volunt, temerariis suis ausis se & sibi & reipubl. perditum eunt. Nisi itaq; fortitudinem prudentia suo tanquam clavo gubernet, & veluti Tire-
12 siæ aliquo baculo, ut in fabulis est, impetum ejus moderetur, facilè se ipsa suo gladio ferire poterit. Sed quàm fortis animi vel in ipso aditu & vestibulo futurus sis, videamus:

Cerberus hîc ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro.

Verg. Æn. lib. 6. Ut de Plutonis aditu canit Vergilius. Non minùs horrendus
13 ad multorum regum atria ingressus, cùm per cohortes satellitum, per militum manipulos, per tela, per ignes, tanquam per infernales latratus, eundum sit. Hîc nostro semper obversetur illud Virgilianum:

14 ——— *Tu contrà audentior ito,*
Fata viam invenient. ———

Retrò

Retrò ne cedas, etsi Marii adversus te scintillare oculum videas, qui tam truci & terribili obtutu fuisse memoratur, ut solo aspectu missum ad se in Minturuensem carcerē cum gladio 15
Cimbrum speculatorem terruerit, inq; fugam à se verterit. Sed *Plut. in Mari.*
ut fortiter & intrepidè accedere te velim: ita irreverenter, &
sine salutatione nolim. Salutatio enim, cui ex tribus speciebus 16
φιλανθρωπίας, primas tribuit Plato, more gentium in omnibus
hominum congressibus est recepta, quam omittere, qui jure 17
gentium frui potiriq; cupiat, legatus etiam hostium, qui hostem, ut suprà docuimus, per ingressum legationis exuit, omninò non debet. Hoc enim primum humanitatis vinculum est,
hæc tessera & nota, qua alter alterum, ut homines agnoscimus 18
& excipimus, hoc primum benevolentię auspicium, & favoris initium. Meritò igitur ille Venetorum legatus reprehenditur, 19
qui nullo honore, ne quidem verticis pileo nudati reverentia *Vay. d. lib. c. 9.*
Moscovitarum ducem, ad quem missus erat, afficere voluit, *Bod. de rep. li. 5. n. 619.*
neque hoc prudentiæ & fortitudini, sed stultitiæ & pertinaciæ 20
temerariæ asscribendum, quòd tyranni adversus se furore stimulato, jus æterni pilei, clavo trabali tempora transfixus, accepit. Id enim naturæ legationum suapte indole inesse intelligitur, ut, cùm jure apud alios gentium servato, inviolabiles nō *Oderb. in vit. Bas. Gangv. in eod.*
modò nostros, sed etiam honorabiles esse velimus, vicissim eos 21
per nostros honoremus, imò verò causam & initium honoris præbeamus, præstemusq; illis, quod & mores omnium gentium, & jura humanitatis in hospitalibus congressionibus & legationum colloquiis fieri postulant. Nec verò ille, qui in legationum commerciis, per salutationem ejusq; ceremonias ho- 22
nor & reverentia exhibetur, vel mittentis majestatē, aut etiam missi dignitatem imminuit, sed potiùs auget, & amplificat, cùm neq; fidelitatem aliquam, neque subjectionem ullam, neq; herilem observantiam, neque ullum fidei aut religionis nexum,

quo

quo se extero obstringat legatus, contineat; sed ex mero hu-
manitatis urbanitatisq; fonte profluens civilitas quædam sit,
23 honorq;, qui non tam in honoratum, quàm in honorantem,
reflexo radio, redundet; quemadmodum de hac re doctè &
Goel. in proll Eth. eleganter philosophorũ hoc ætatis doctissimus disputat Ru-
dolphus Goclenius, collega & amicus meus. Eamq; ob cau-
sam studiosissimè primariam eam humanitatis partem com-
24 mendatã suo Demonico Isocrates, ut quò erga alios ille urba-
nior, eò honoratior apud alios haberetur. Cæterùm hujus, de
qua loquimur, humanæ salutationis honoris & reverentiæ ci-
vilis ceremonias, quisque ex sua civitate, moribusq; suis affert,
non ex illorum, apud quos peregrinatur, ritibus mutuatur.
25 Quod nisi fiat, non jam amplius ex moribus gentium officiosa
humanitas, sed subjecta humilitas, & abjecta adulatio dicenda.
26 Illicò enim sese & abjicit, & alteri subjicit, qui patriis ritibus
contemptis & rejectis, alterius gentis mores, leges, & gestus in
honorando amplectitur, modumq; non suæ nationis, sed sub-
27 ditorum ejus regni, in quo peregrinus, sequitur. Ea verò de
causa Demagoras imminutæ majestatis damnatus Athenis,
quòd regem Persiæ, non urbis, sed suæ Persicæ gentis more sa-
lutasset, nimiaq; adulatione reipublicæ suæ decus Persicæ do-
28 minatione quodammodò subjecisset. Persarum autem reges
Plut. in Them. sine adoratione supplice adiri sese non patiebantur. Id autem
29 Græcorum moribus servile, & nimis abjectum existimabatur.
Et quid Græcos veteres recenseo, qui auctoritatis suæ apud
alios tuendæ studiosissimi prædicantur, cùm & barbarorum
Ath. lib. 4 deip. postremissimus, ut Grachi verbo utar, Basilides, vehementissi-
30 mè suo legato succensuerit, quod P. P. pedem honorificæ salu-
tationis more, præter suæ nationis morem, esset exosculatus,
seseq; infra Moscorum legationis majestatem abjecisset. Ean-
31 dem ob causam neq; ad Alexandrum Magnum Atticæ reipub.
nomi-

nomine miſſus Demades, effugere mulctam talentorum decem potuit, quòd inter ſalutandum nimio honore regem, numinis inſtar, demiſſiùs coluiſſet, neq; patrios ritus & ceremonias obſervaſſet. Quæ cùm ita ſint, non rejici, neque moleſtè ferri mores & conſuetudines exterorum in ſalutationibus poſ- 32
ſunt, ſi ritibus noſtris minus reſpondeant. Ob capitis irreverentiam infremuit adverſus Italum Moſcovita, atqui ab Orientali homine id genus reverentiæ poſtulare non potuiſſet. Non enim Turca vel Perſa Tulipandum ſuum honoris ergò detrahere ſolet. Ac ineptus uterque, & à decoro legationis a- 33
lienus, ſi ad noſtrum pileum caput ſuum informare vellet. Adorationis in modum genu ſupplice procumbentes, regem ſuum ſalutant Tartari, eadem reverentia, civilitatis ergò, u- 34
tuntur erga exteros eorum legati. Rerum autem communium *Warſ.d.orat.*
inſolens meritò, & ignarus haberetur, qui revocare illos à ſuis moribus, ſcamnumq; accedentibus offerre vellet. Neq; enim illi in eo quicquam dimiſſius & abjectius faciunt, quàm legationis dignitas ferat, ſi moribus & ceremoniis ſuis uſi, moribus 35
noſtris humiliorem ſalutationem afferant. Perſæ itaque hac in parte erga exteros iniqui, qui ſecundum Perſicam ſalutationem legatorum omnium inſtitutos cultus & ceremonias expetebant. At ille tamen non incallidus, neque omninò reprobandus, quòd, cùm aliter quàm incurvatis poplitibus admitti nō poſſit, ex compoſito, neſcio quid rerum manibus in ingreſ- 37
ſu projecit, ut haberet, quamobrem crura flecteret, ne tam ſalutandi regis, quàm rei tollendæ ſuæ gratia demiſiſſe ſeſe videretur. Ut autem ſalutationis decentis modus: ita & reſaluta- 38
tionis honor non prætermittendus. Solet nonnunquam, ſi dignitas legationis poſcat, perorandi causâ accedenti legato honoris gratia extra palatium in occurſum & amplexum ire ille, 39
ad quem miſſus eſt. Vidimus Pontificis legato Cardinali Ludo- 40

vico Madrutio, cum ab invictissimo Cæsare Rudolpho saluta-
tionis honorem exhiberi, cùm Ratisbonæ comitia Imperialia,
41 anno superiori 1 6 9 4. haberentur. Solent etiam honoris ergò
dignioribus principes assurgere: Quod genus honoris Impe-
42 ratores olim non solùm exterorum regum legatis, sed etiam
præfectis prætorio, consiliariisq; suis exhibuisse prædicantur.
43 Solent nonnullis non modò aperti capitis honorem vicissim
reponere, quo unum Pompejum etiam tum juvenem ob divi-
Plut. in v. Syll. nam virtutis indolem honorasse Sylla memoratur, sed etiam
impositum pileum, honoris gratiâ, & caput opertum permit-
44 tere. Quod non nisi principis dignitate ac titulo eminentibus,
Germanorum & Hispanorum moribus coram Imperatore &
Aurp. li. 1. sing. all. c. 27. rege decorum ac licitum esse scripsit Aurpachius, idq; consue-
tudine regum introductum esse, ut, qui capite cooperto, co-
Ant. de Gam. decis. 1. ram rege sedeat, honorabilior cæteris magnatibus habeatur,
tradit Antonius de Gamma. Unde factum, ut cùm Comitem
45 Egmondanum Philippus Hispaniæ rex, sedentem secum de re-
bus gravioribus colloquia, pileo imposito, caput operire jussis-
set, per argumentum illius honoris, Principis dignitatem fue-
Aur. d. loc. rit judicatus, sententia regis, accepisse. Quandoquidem, ut De-
46 us, ita & Princeps nihil frustrà dixisse & fecisse existimetur, re-
47 gulaq; legum firmissima sit, ut permisso uno, permissum etiam
l. si tutor 13. ff. de tut. & rat. distrah. l. si duo 13. §. 3. ff. de jurej. Zas. ib. in fi. alterum intelligatur, quod sit eidem connexum. Atqui hæc,
quæ in externis istis gestibus & ceremoniis consistunt, tanti à
nonnullis fieri solent, ut nisi ex amussim observata fuerint, le-
gationis contemptum in eâ re nō minimè versari arbitrentur.
Quocirca etiam barbari Moschi, cùm ad Stephanū regem Po-
loniæ missi essent, & in palatium ad exponendam causam de-
ducti, negarunt se verbum ullum facturos esse, priusquàm rex
Heid. lib. 1. de bell. Mosc. aperto capite assurgens, de valetudine & statu principis sui per-
cunctatus esset. Quod cùm Stephanus in gratiam barbari ho-
stis

ſtis fieri ſine indignitate rei non poſſe cenſeret, illi inauditi le-
gationem infectam reliquerunt, domum regreſſi. Solet præ-
terea etiam manus honoris ergò dari; quod non temerè opor- 48
tere, & ſine reſpectu, rationeq; fieri Pythagoras etiam antiqui
ævi mortales admonuit; proverbiali dicterio: *Manum cuivis
ne porrigito.* Manum autem honorificæ ſalutationis causâ olim
à regibus legato datam eſſe, teſtimonio eſt illa Virgiliani orato- 49
ris à Diomede redeuntis renunciatio:

Contigimusq; manum, qua concidit Ilia tellus. *Verg. li. 11. Æn.*

Commendatur hac humanitate inprimis Antonius, omnium 50
Imperatorum φιλοσοφώτατος, Juſtiniani teſtimonio, quòd adeun- *Nov. 108. & 22.*
tibus ſeſe dexteram placidè porrexerit. At ille non ea facilita- *Herodia. lib. 1. in princip.*
te, aut iis moribus, quibus nunc vulgò aulicæ manus copulan-
tur, quæ in irriſum & proverbii locum venêre, cùm plurimum 51
in aulis manuum, cordis verò parum obvium eſſe vulgò fe-
rant. Sed cùm ſatis ſalutati & reſalutati ſimus, ubinám loco-
rum dignè ſtabimus, ubi ſedebimus? Nam & hoc ad legationis
dignitatem aſſerendam pertinere arbitramur. Rectè. Neque
enim legatus patietur illud ſibi dici in concilio, quod vulgò 52
audiunt in Comœdiis: *Si non locus eſt ubi ſtes, aut ſedeas, eſt ubi* 53
ambules. Dignioris enim legati, cùm mandata exponit, non ſta- 54
re magis, quàm ſedere eſt. Sedens enim honorari magis, quàm 55
âſtans dicitur. Imò injuria eſt debitum ſedendi jus, ut in jure 56
appellatur, denegare, cùm etiã accuſatis viris clariſſimis, reisq; 57
factis in judicio ſedendi jùs & honor ſit concedendus. Quam- 58
obrem juſtam de injuria conquerendi cauſam videtur habuiſ- 59
ſe Pontifex, quòd Moſcorum tyrannus, anno 1561. Romano
oratori mandata exponere ex ſella volenti, callidè juſſerit ſe- *Lufit. d. lib. Ioh. Wolff. com. memor.*
dem ſubtrahi: niſi fortè Baſilidem excuſare hoc poſſit, quòd
cùm Romanum Pontificem in ſua Eccleſia nunquam agnove- 60
rit, neque unquam legatis ejus ſedendi jus in ſui regni conciliis

concesserit, novo adversus se juri manum injiciendo, & resi-
stendo nihil injustè fecisse existimetur. Nec enim omnibus pro-
61 miscuè legatis sedendi jus permittitur, nisi à majoribus aut pa-
62 ribus missi fuerint, eamq; consuetudinem jam antea apud eos-
dem usurparint. Admodum itaque solerter & festivè Maximi-
lianus Imperator primus fecisse scribitur, quòd cùm fortè re-
Luth. in Coll. gis Daniæ legatus idem sedendi jus sibi in peroratione apud
Cæsarem vindicare conaretur, ipsemet solio assurgens stando
eum audierit. Decori enim & pudoris causa cogebatur regius
orator eodem modo sellam relinquere, & Imperatori stanti
astans mandatum exponere. Imperatorum autem Romano-
rum orator sedendo perorare apud Turcam semper solitus est:
quod etsi Venetorum legati imitari voluerint, interpellati ta-
63 men hanc ob causam & prohibiti à barbaris fuerunt. Sed &
Warsf. d. loc. Cæsareo intervertere jus illud annixi sunt, cùm Caroli V. lega-
64 tus peroraturus, invenire sellam, qua reciperetur sessum, in
palatio nullam omninò posset; at ille, ne sibi jus antiquum pa-
65 teretur eripi, pallio in nodos & scabelli usum collecto, superse-
dit, & ex eo tanquam ex scamno oravit, quod cùm, exposito
66 mandato digrediens humi relinqueret, interrogatus à Maho-
67 meticis, cur pallium non tolleret? Callidè & festivè, *suum*, in-
Warsf. d. orat. quit, *Imperatorem non solere sellas portare.* Ridiculum quidem au-
ditu, nedum visu, dignum tamen memoratu exemplum, quod
68 quovis modo etiam in minimis, legationis dignitatem tuen-
dam esse demonstret. Etsi locorum & sessionum in conventi-
69 bus publicis & conciliis non levis honor ac jus προεδρίας, quem-
admodum Græci appellarunt, in postremis non erit ponen-
70 dum, quod Athenis olim singularis præmii loco conferebatur,
71 & à Romanis non modò in senatu, sed etiam in theatralibus
Lips. in amphit. spectaculorum circis diligenter observabatur, ut honestiores
honoratiore Orchestræ loco collocarentur. Debere autem le-
gatum

gatum obtinendi & tuendi contra alios inferiores dignioris
sui loci mentionem semper esse, veterum nostrorũ Frisiorum 72
ex Germania ad Neronis aulam missorũ exemplum comme-
morabile docet. Cùm enim in consessu caveæ animadvertis-
sent quosdam externo cultu in sedibus senatorum collocatos,
& quínam illi forent percunctati, cognovissent, earum gen-
tium legatis id honoris datum, quæ virtute & amicitia Roma- 73
norum præcellerent; inferiore loco illicet relicto, inter patres
& ipsi consessum abierunt, exclamantes: *nullos mortalium armis*
& fide ante Germanos esse. Collaudatione omnium res illa exce- 74
pta. Quæ quidem res non obscurè videtur omen fuisse trans- *Tacit. Annal. lib. 13.*
ferendi olim imperii ad eam nationem, quæ sibi ipsa supre-
mum Romani theatri locum virtutis debito vindicaret, qua,
ut omnibus mortalibus volebat palmam, ita & prærogativam
loci ac dignitatis præripere. Quam profectò etiámnum in hac
extrema ferri & luti commixtione Germanorum Imperator
præ omnibus aliis regibus justissimè obtinet, ut ambitione ini-
quissima præditi esse videantur, qui cum oratoribus Cæsareis
ea de re contendere conentur, quibus, etsi à nondum corona-
to, sed tantùm legitimè electo missi sint, jus tamen Imperato-
riæ preeminentiæ, & loci superioris dignitas apud omnes alios
reges debetur, cui neque externorum regnorum ulla statuta,
qualia Polonus de legatorũ admissione & prioritate habet, de
quibus infra dicemus, jure ac meritò opponi possunt. Quod
etiam optimo jure tum temporis rectè obtinuerũt Caroli no-
stri Quinti oratores, adversus Galliæ regis Francisci I. legatos
in conventu Caletano, quibus, cùm ob eam causam Carolinis
anteferri loco digniore vellent, quòd ab Imperatore quidem
electo, sed nondum tamen confirmato venissent, rectissimè re-
sponsum fuit, sibi ab legitimè electo missis, non minùs priorem
locum & dignitatẽ deberi, atq; si à coronato Romæ adessent,

cùm ſola Electio plenam ac liberam Imperii poteſtatem, no-
Sixt. de regal. menq; imperatorium electo concedat, nō pontificia ulla con-
lib. 1. c. 4. n. 13. firmatio ac coronatio, quam non neceſſe habeat is, qui nolit,
75 impetrare. Solet autem plerumq; non foris ſolùm, ſed etiam
domi ambitioſiùs, quàm pateſt, jus illud προεδρείας appeti, & con-
tentioſiùs, quàm conducibile eſt, nō ſolùm legationi, ſed etiam
reipub. vindicari. Quis enim pacis bellorumq; intelligens, lau-
76 dabit ſuſcepta ob hanc locorū & ſeſſionum præeminentiam,
vetera illa inter Herbipolitanum Epiſcopum Rudolphum, &
antiquam Comitum Papebergenſium familiam atrociſſima
prælia? Quis iſtam, quam poſteritatis ad horrorem deſcriptam
reliquit patriæ meæ presbyter, qui id ævi orator magna laude
Lamb. in hiſt. floruit, Lambertus à Schafnaburg, vir nobilis, inter Heccelo-
Germ. ſub An. nem, Hildesheimenſem Epiſcopum, ac Weideradum Abba-
1063. tem Fuldenſem cruentiſſimam in feſto Pentecoſtes, inter pre-
ces in æde ſacra veſpertinas, ante ora ac oculos Henrici V. Im-
peratoris factam lanienam nō ſummoperè execratur? Quis il-
la, quæ etiámnum in conventibus Imperialibus inter Ordines
77 & Status de ſubſelliorum jure ultra modum gliſcunt, certami-
na, quibus maxima nonnunquam comitiorum pars, quæ con-
ſultationibus graviſſimis impendi debebat, cōſumitur? Quod
78 vehementer irriſiſſe Johannem Zamoſcium Magnum Polo-
niæ cancellarium, nō ſemel ex fide digniſſimis audivimus, cùm
diceret, Germanos in ſuis comitiis ferè nihil aliud agere, quàm
de ſeſſionibus digladiari. Sed quid de Germaniæ procerum
comitiis, in tanta principum & ſtatuum multitudine atq; con-
79 ventu Ariſtocratico mirum? cùm non minùs hujus rei dimi-
cationibus in regno Gallorum conſeſſus turbulentos fieri co-
80 gnoſcamus? Quanta enim olim inter Ludovicum Andega-
81 venſem, & Philippum, Burgundiæ Ducem, ob eandem cauſam
Boër. de autor. concertatio, quanta æmulatio? Sed optandū eſſet, poſſe prin-
cipum

cipum Germaniæ sessiones, Cæsaris auctoritate eundem in modum componi, quemadmodum à Carolo VI. rege istę con- 82
tentiones Francicæ, & ,ut Electorum sedes à Carolo IV. Impe- 83
ratore dispositæ olim fuerunt. Ejusmodi autem controversiis
inter legatos compescendis Poloni adhibuere prudentis legis 84
remedium, qua statutum, ut priores audirentur, prioremq; locum ubiq; locorum tenerent, qui tempore priores in regnum appulissent. Quod videtur eadem ratione juris niti, qua antiquiores junioribus regulariter præferuntur, & tempore promotionis priores, pręrogativā habēt in subscribendo, sedendo, incedendo, loquendo. Verùm temporis illa prærogativa tum tandem locū invenire suū poterit, cùm inter eos, qui ejusdem ordinis ac dignitatis habentur, parisq; conditionis sunt, docente Ulpiano, idq; rectè explicante Antonio de Gam. Ex quo nobis hoc, quod suprà innuimus, ratione optima relinquitur, ut, etsi inter regum legatos, Polonicum statutum, veluti inter pares dignitate commodè valère possit, Majestatis tamen Imperatoriæ, quæ omni regum purpura sublimior, oratoribus præscribere & præjudicare in hac re nihil omninò possit, nihil debeat. Idq; eodem modo & jure in regni Lusitani sessionibus, & ,ut auctor loquitur, in præcedentiis attendi, moribusq; receptum servari perhibet modò dictus Gamma. At quàm his omnibus contrarium, imò quàm sęvum, & violationi juri gentium proximum est illud, quod ex Turcia de re eadem nobis à quodam viro clarissimo, qui legationis comitatui interfuerat, in comitiis Ratisbonensibus relatum fuit? Nam cùm inter imperatoris & Franciæ regis oratores, orta superioribus decenniis de loci superioris præeminentia lis esset, quòd alter
contenderet se, cùm regis Christianissimi personam in legatione 85
repræsentaret, jure anteferri legato Austriaco, qui non Imperatoris, sed Ungariæ regis nomine advenisset, eamq; ob cau-

sam

Mag. consil. nu. 107.

Wars. d. loco.

l. 2. C. de præf. præt. l. 1. C. de prapos. sac. scrin. c. statuimus 6. dist. & ibi glossa expresse. Tiraq. de jur. primog. præf. n. 115.

l. 1. ff. de alb. inscrib.

d. loc. n. 14.

d. c. n. 15.

ſam ſuperiorem in templo, quod Turca utriq; ad divinum cul-
86 tum aperuerat, occupare locum vellet: Tyrannus, contentio-
ne intellecta, ſuſpendi nudum acinacem ante fani valvas juſ-
ſit, additis per præconem minis, capitis pœnam luiturum, qui
vel unum verbum proferre de illa controverſia impoſterum
fuerit auſus. Eſt itaq; ſingulari prudentię ac judicio legati com-
mittendum, ut videat, quid in hac parte juris ac dignitatis ergò
87 faciendum, quid omittendum, ne potiùs riſum & cachinnum
ex quæſito ambitioſè loco, quàm gloriam & laudem reportet.
Etſi non ſim ignarus tanti à plurimis ſeſſionis honorem fieri, ut
maluerint, infecta & inaudita legatione rediiſſe, quàm inferio-
89 re loco ſtetiſſe, aut ante ſe aliis ſedem conceſſiſſe. Vidi ipſe in
Comitiis deputatos quoſdam ordinum, congregatione publi-
90 ca eam ob cauſam abſtinere, domumq; ſine ſuffragio & voto
remeare. Quod parum abfuit, quin Catholici regis legatus in
Concilio Tridentino feciſſet, cum Chriſtianiſſimi regis oratori
poſtpoſitum ſeſe videret, & ſine dubio abiiſſet, niſi mentem
ſuam concilium decreto publico aperuiſſet, declaraſſetq; loci
ſui deſignationem nemini debere ullum præjudicium juris ac
Gam. decis. 1. n. 3. dignitatis afferre: de qua re contra Hiſpanum Gallicanus lega-
tus ibidem etiam publica voce fuit ſingulariter proteſtatus.
Sylv. in Com. Nec olim, teſte Sylvio, in Concilio Baſilienſi ulla alterius rei
major cura, nulla diligentia acrior, nulla diſputatio contentio-
ſior, quàm de ſellis & ſedibus legatorum fuit. Ita non modò re-
gum ac magnatũ atria, ſed etiam Pontificum & Epiſcoporum
cathedræ nullibi non hujus contentionis fumum habent, ac
nullibi non Pompeji & Cæſaris ſpiritus, qui Romam priſcam
Luc. 1. Pharſ. hoc flatu accendit, quòd neque ſe alter ſuperiorem, alter ſibi
neque parem ferre poſſet, in conventu hodierno, tanquam in
91 theatro, ſpectatur. Cæterùm veteri etiam gentium more hoc
erat conſtitutum, ut ſecundum naturæ ordinem, teſte Philoſo-
pho,

pho, qui potentia & auctoritate digniores essent, priore quoq; loco in legationibus haberentur, & audirentur. Quocirca Romanas legationes omnium aliorum populorum missionibus 92 prælatas esse, testatur Livius. De industria autem atq; adeò callidè in Ætolorum concilio posteriores audiri Romani voluerunt. Sed & Alexandri Magni singularis quædam animadvertitur in hujus rei dispositione prudentia, qui cùm omnium ex toto terrarum orbe gentium & nationum legationes uno fermè tempore missas admitteret, secundum causarũ, quas quæque ferebant, gravitatem prius, ac posterius, unamquamque audivit, præpositis illis turbæ reliquæ, qui rerum sacrarũ causa venerant: subsequentibus, qui munera attulerant: postea admissis, qui de obsidibus negotia habebant: deinde quibus causæ privatæ erant conficiendæ. Sapienter profectò hoc ita institutum, ne populus populo, urbs urbi, regnũ regno videretur antelatum, quod & invidiam, & æmulationem, simultatesque creberrimas excitare solet.

Liv. lib. 1. de bell. Maced.

93

Diod. de gest. Alex. lib. 12.

CAP. VI.

Exponendi mandati fides.

SUMMARIA.

1 *Aliud stans, aliud sedens loquitur: In Ciceronem convitium Salustii.*
2 *Fides omnium actionum humanarum fundamentum.*
3 *Legatus qua fide mandatum exponat.*
4 *Fidelis legatus reip. salus.*
5 *Fides & diligentia legati major, quàm depositarii esse debet.*
6 *Publicarum rerum major cura, quàm privatarum.*
7 *Privata consilia contra publica mandata non danda.*
8 *Metrodori Mithridatici oratoris perfidia.*

9 *Mandata quæ quis improbat, non suscipiat.*
10 *Consilia nuda obligant.*
11 *Perfidia cum prævaricatione conjuncta in Metrodori consilio.*
12 *Mordisius, Saxoniæ Electoris Cancellarius, cur in custodiam missus.*
13 *Improba mandata non suscipienda.*
14 *Bifariam delinquit, qui improba mandata suscepta fallit.*
15 *Boni legati est, malle Papinianeam securim, quàm mandata scelerata excipere.*
16 *In liberis mandatis liberè agit mandatarius.*
17 *In mandatis præscriptis secundum præscripti normam agendum.*
18 *Mandati privati fines custodiendi.*
19 *Mandata excedens aliud quid facere videtur.*
20 *Mandatorum forma stricti juris: licet actio sit bonæ fidei.*
21 *Legationum mandata strictissimè intelligenda.*
22 *Mandata militaria cum legationum mandatis ejusdem severitudinis.*
23 *Militaris disciplina antiquior Romanis, quàm caritas liberorum.*
24 *Manlia & Posthumia severitas.*
25 *Tarentini Romanorum legati iisdem verbis mandata, quibus acceperant, exposuere.*
26 *Homerus legationum mandata iisdem verbis, quibus accepta, exponi facit.*
27 *Cautissimi veteres, qui neq; à verbis & syllabis discedere in mandatis exponendis voluerunt.*
28 *Fori veteris præscripta verborum formula, & aucupatio syllabarum non attendenda legato.*
29 *Mens & sensus mandati, non verba retinenda.*
30 *Clausula: Cætera prudentiæ, fidei & judicio tuó committimus, quid permittat.*
31 *Non est liberi mandati potestas.*

32 Ap-

32 Appendix & clausula restringit sese ad antecedens mandatum.
33 Andreæ Gailii opinio rejecta.
34 Procurator rei privatæ non potest mutare ea, quæ speciatim erant mandata.
35 L. 30. si hominem, ff. mandat. non illud, quod Dd. vulgò volunt, infert.
36 L. d. vetus sensus.
37 Andr. Gail. fundamentum ex d. l. nullum.
38 Neglectores mandatorum non sequendi.
39 Principes eo plerumq; ingenio, ut mutata mandata indignè ferant.
40 Georgius Dux Saxoniæ transgressionem mandati ferre non potuit.
41 Breidenbachius I. Doctor & Consiliarius mandatum Georgii Ducis mutavit.
42 Ducis ad Breidenbachium responsum.
43 Wilhelmus Sapiens, Princeps Hassiæ, mandata sua strictè observari voluit.
44 Mutandi mandati quæ via tutissima.
45 Nihil agere præstat, quàm aliter quid agere.
46 Ætholorum legati cùm libera missi, maluerunt domum reverti, quàm liberius agere.
47 Sua cuiq; committere justum.
48 Arbiter & moderator alienæ voluntatis esse legatus non potest.
49 Veneto in senatu, quòd nonnulli ob aliter disposita negotia, quàm mandatum erat, laudati, facti est, non juris.
50 Facta ab eventu notari solent.
51 Plus loquens aut faciens mandati fines egreditur.
52 Heldius mandatum Caroli V. uno verbo egressus.
53 Carolus V. Heldii excessum in loquendo quomodo corripuerit.
54 Causa nulla alia, quàm quæ mandata, agenda.
55 Privatus negotia legatus agere non potuit.
56 Duabus rebus necessariis unum sufficere non credendum.

57 *Zygostates neq; fallere, neq; falli debet.*
58 *Fidelis legati in Salomonis proverb. commendatio.*

Sed ut illis, quæ πάρεργα magis, quàm ἔργα legationis sunt, su-
persedeamus, non tam amplius attendemus, stansné vel se-
dens, priore aut posteriore loco, noster loquatur, quàm, ne,
1 quemadmodum Salustius ait, Ciceroniq; hoc exprobravit,
aliud stans, aliud sedens loquatur. Fundamentū enim omnium
2 actionum humanarum, mandatorumq; est fides, hoc est, di-
Cic.lib.1.off. ctorum conventorumq; constantia & veritas, quæ in legato,
tanquam anima in animante, & calor in vita requiritur. Nihil
3 itaq; legato nostro prius, nihil potiùs sit, quàm ut summa cum
fide mandatum exponat, & fidelissimè legationis provinciam
obeat, non secus ac si mittens ipse præsens agat, ipse ex ejus ore
loquatur, ipse ex ejus animo deliberet, consultet, & cogitet. Fi-
4 delis enim legatus, ut Sapiens Paræmiodes canit, est sanitas, ut
Prov.25. vetus versio habet, hoc est, ipsa salus reipubl. Ac ex eo potissi-
mùm fides legati perspicitur, si lingua ejus cum mente, mensq;
cum oratione perpetuò consentiat, sique, non aliter ac fidelis,
l.1.C.de decret. ord. probus & peritus archiater, qui omnem curam & diligentiam
ægroto adhibet, legationis concreditæ negotiis, omni, quàm
maximè fieri potest, studio, vigilantia, industria, & labore in-
cumbat. Non solùm enim in legato eam fidem & diligentiam
5 requirimus, quæ à depositario flagitatur, ut scilicet ad eum
l.quod Nerva 32.ff.deposit. modum, quem natura hominum & propriarum rerum cari-
tas & cura desiderat, diligens & fidus sit. Sed quò & majore re-
6 ligione mittenti obstrictus est, & quò major causa publica,
quàm privata habetur; eò & majorem legatus fidem præstare
in legationis negotio debet. Caveat itaq; noster, ne quicquam
7 contra mentē mittentis in legatione proferat, caveat, ne con-
tra legationis suæ postulata vel publicè vel privatim sentiat, ne
ipse

ipse diversa contra se consilia & verba effutiat. Perfidia enim illa est, quæ multis fraudi capitali fuit. Metrodorus Mithridati- 8
cus orator ad regem Tigranem missus erat, ut eundem persuasionibus, quibus maximè posset, ad arma socia Romanis inferenda abduceret. At quid ille? Cùm à Tigrane rogaretur: verène & ex animo societatem istam suaderet; se, inquit, ut legatum, quidem causam expositam suadere, at, ut consiliarium, dissuadere. Improbè & perfidè. Nec enim, ut Tigranis consilia- 9
rius, sed ut legatus esset, missus erat; at neq; debuerat causam eam agendã suscepisse, quam ipse suis consiliis improbabat. Etsi autem cæteroquin nuda consilia non obligent auctorem, ta- *l.47. ff. de R.I.*
men hoc cum perfidiâ conjunctum, turpissimæ prævaricatio- 10
nis genus est, longeq; acerbissimis suppliciis meritò persequendum. Idcirco justissimas pœnas ille suo Pontico regi receptus *Plut in Lucul.*
dedit, secundum illud Hesiodi: ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Su- 11
perioris ætatis memoria ob eandem causam Electoris Augusti 12
Ducis Saxoniç consiliarius & Cancellarius, Ulricus Mordisius, vir cætera clarissimus, dignitate & officio dejectus, mortem in carcere oppetiit, cùm eam, quam ad aulam Cæsaris postulatum, missus esset, ipse suo consilio privatim emisso, causam dissuasisset. Cum Danicis enim Friderici II. Regis legatis unà ad *Chytr. in Chron. Sax. lib. 21.*
Maximilianum Cæsarem II. nomine Augusti Electoris Saxoniæ missus, ut armorum, commeatus, atque mercium Germanicarũ, ne in Sueciam exportarentur, evectiones Imperatorio mandato prohiberentur, mandati promulgationem ipse per amicos suos in aula Cæsaris quos habebat, repressit. Disputabat enim cum Cæsarianis privatim, bellum non esse necessarium, quo Danus Sueciæ regem vexaret, neq; præterea è re ac dignitate imperii esse exterorum regum gratiâ, quos inter armorum contentiones versarentur, negotiationes atque commercia suspendi. Quod cùm Elector per Georgiũ Cracovium,

qui eodem de negotio postea missus erat, resciviſſet, alteri res ea extremæ indignationi atque exitio, alteri gratiæ, & ad subli-miorem dignitatis ac potentiæ gradum, qui tamē postea cum antecessore itidem hominem in Tarpejum saxum deduxit,
Chyt.d.l. promotioni extitit. Quid si ergò adversus pietatem, adversus justitiam, inquis, postulata legationis fuerint, an illis peragen-
13 dis fidem accommodavero? Libro priore monui, suscipi ejus-
a.non est, in 6. modi mandata neq; posse, neq; debere, neq; minùs delinquere suscipientem improba mandata, quàm dantem. Quid verò si
14 suscipiam, neque tamen peragam? Bifariam scelestus & perfidus: In Deum, quòd contra conscientiæ jussum, jussa nefaria in te receperis; in principem & dominum, quòd mandati suscepti fidem fefelleris: utrinq; reus: utrinq; supplicium meritus. Boni enim, qui Deum & virtutem colit, viri est, cum Papi-
15 niano malle securim pati, quàm impiis & injustis mandatis factisq; animum adjicere, aut operam iis condicere, nedum navare, à quibus dehortari, & omnibus viribus submovere mandantem principem fidelis consiliarius debebat. Sed quid si in honestis limitibus versemur, licebítne, si è re mittentis esse videatur, meta posthabita, fidem legationis utilitati ac fructui magis, quàm jussui & voluntati mandantis accommodare? In
16 absolutis & planè liberis mandatis, hoc verbo acceptis, ut, quicquid è re mittentis esse videatur, illud legatus agat, nihil
17 est, quòd ambigamus. In aliis, etsi diversi diversa sentiant, neq; posse neque debere legatum præscriptos mandati fines transgredi, certè statuendum est, quandoquidem hæc natura mandatorum omnium sit, quæ etiam inter privatos frequentan-
L.ff.mand. tur, ut eorum fines, quemadmodum Paulus loquitur, diligen-
19 ter custodiantur. Nam qui excessit, aliud quid facere videtur. Unde etsi bonæ fidei mandati actio sit, ut expresse leges do-
20 cent, idq; ratione prætoriæ formulæ: ipsa tamen mandatorum

forma

forma juris stricti esse ex eo apparet, quòd præcisè fines eorum
sint servandi. Quantò verò magis legationum mandata ex stri- 21
cti juris observantia pendere dicemus? cùm non minoris, imò 22
majoris servitudinis, quàm militaria mandata habeantur, quo- *Modest. l. desertorum 3 §. in bello 15. de re mil.*
rum ea ratio, ut si nō præcisè, & ad amussim servata sint, etiam-
si res benè cesserit, nihilominus transgressionis pœnam tra-
hant. Illeq; militaris disciplinę rigor antiquior Romanis, quàm 23
caritas liberorū fuit, teste Paulo, idq; tùm Manlia, tum Posthu- 24
mia severitas, in spectatissimæ indolis filiis ostendit. Laudati *Liv. lib. 48.*
itaque publicè legati Romanorum fuere, quòd Tarentū missi, 25
non modò feliciter provinciam legationis obiissent, sed etiam, *Liv. lib. 11.*
quòd, quibus verbis acceperant mandatum, iisdem exposuis- *Val. lib. 2. c. 2.*
sent. Atq; hoc ita debere fieri, vel Græcorum ille cœcus, cujus 26
animi acies nihil non perlustravit, clarissimè vidit, cùm hinc in-
de in fabulosis suis legationibus, iisdem verbis, quibus data
mandata erant, reddita & exposita faciat. Viden', quàm cauti
veteres; ut ne quidem à verborū formula, syllabarumq; con- 27
textu discedendum sibi fuisse existimarint? Quod quidem tam
scrupulosè observandum esse oratori nō statuimus (quorsum
enim eloquentiæ usus, si nulla ex propriæ disertitudinis penu
elegantia, & ubertas legato permittatur?) ut tanquam veteris
fori actor necessariò ex præscripta verborum formula, syllaba- 28
rumq; aucupatione dependeat, sed, ut ne verbi quidem ullius
inclinatione à mente & sensu mandati deflectat. Nihil itaq; ex 29
sese posse, neque debere in mandatis præscriptis vel corrigere
legatum, etiam si occasio & res aliud suadeat, liquidò constat:
neque tum quidem, quando hæc appendix instructioni adjun- 30
cta: *Cætera prudentiæ, fidei & judicio tuo committimus.* Nec enim
illud verbum, ut multis prima fronte videtur, liberi alicujus 31
mandati generalem potestatem in se continet, ut eo ad sum-
mam rei mandatæ, secundum arbitrium & placitum, vel mu-
tandam

tandā vel tollendā mandatarius abuti poſſit, ſed hoc tantummodò permittit, ut cùm omnes modi & articuli rei agendę tam exactè præſcribi non poſſint, aut ſi etiam meliores, quàm præſcripti ſint, in manum fortè ultrò veniant, poſſit legatus occaſionibus viisq; prudenter amplexis, eò omnibus viribus in-
32 cumbere, quò mandati præſcripti metam aſſequatur. Reſtringit enim ſeſe appendix perpetuò ad antecedens præceptum, & ad illud reſpicit, cui eſt annexa. Specialis itaque eſt, ſi ſpeciali mandato eſt appoſita, non, quemadmodum Gaillius opinatur,
33 generalis, ut generalem negotii pro arbitrio tractandi, mutandiq; generatim ea, quæ ſpeciatim erant mandata, vim & pote-
34 ſtatem permittat. Quod neque procurator rei privatæ facere poteſt. Contra quam ſentit Franciſcus Cremonenſis, & Ant. Corſetus, aliiq; à Gaillio ibidem allegati, non rectè intellecta illa Juliani lege, quam ſingulariter hoc docere vulgò ajunt, quòd juſta ex cauſa, quæ dominum fugiebat, fines mandati excedere, & mutare ea, quæ ſpeciatim mandata erant, procura-
35 tor poſſit. Legis enim caſus non hoc innuit. Nec enim procu-
36 rator prohibendo juſta ex cauſa manumiſſionem ſervi, quam alteri dominus mandarat, mandati ſui fines egreditur, ſed potiùs illud, quod ex generali procurationis mandato facere tenebatur, fideliter exequitur, ut nimirum, ſi animadverterit manumiſſionem juſta ex cauſa, quam dominus ignorabat, vel jure fieri non poſſe, vel propter incommodum domini, fieri non debere, impediat. Nequit itaq; illius caſus deciſio hanc regulam
37 exſtruere, quæ, ut Gaillius ibidem ait, legatis, oratoribus, & commiſſariis principum ſit obſervanda, ut ex nova cauſa, quæ
38 committentem fugiebat, quandoq; ex tempore, pro re nata limites mandati pro utilitate, & in rem domini excedere poſſint. Neque velim noſtrum imitari illos, quos vidiſſe ſe ibidem aſſeverat, in graviſſimis negotiis idipſum eſſe ſecutos. Etſi enim for-

c. in Eccleſ. 1. ut lis pend. l. quod debit. ff de mor. cauſ. d. a at.

d l 5. ff mandat. Fr. Crem. ſing. 152. l. ſi hominem 30. ff. mandat.

fortassis unius atq; alterius principis natura & ingenium hoc ita tulerit, ut mandati sui & voluntatis neglectum & transgressionem utilitate evidente compensatam, æquiore animo tolerarit: ita tamen pleriq; omnes potentiores instituti, ita affecti sunt, ut maximum sui contemptum in contempto & mutato suo mandato positum esse arbitrentur, sentiantq; idem, 39
quod Georgium Saxoniæ Ducem & sensisse & dixisse ferunt. 40
Quid verò illud? Celebris ille nominis legatum, juris Docto- 41
rem Breidenbachium, cujusdam ardui negotii gratia ad alium quendam principem miserat, qui cùm obortis melioribus rerum agendarum occasionibus, à mandati finibus præscriptisq; modis discessisset, pro arbitrio & captu suo feliciter & commodè negotium confecisset, domumq; benè expedita legatione rediisset, remq; omnem, ut acta erat, retulisset, Princeps mandati sui fines non esse exactè custoditos intelligens, seq; silen-
tio parumper premens: Tandem benè sit, inquit, bone legate, 42
quòd alea nostri negotii meliùs ceciderit: accipio exacti negotii felicitatem, at tu caveas in posterum, ne hoc iterum committas, ut à præscripto mandati mei discedas. Eodem ingenio erat laudatissimæ memoriæ Princeps Guilhelmus, Landgravius Hassiæ, quem sapientem jure omnes etiam exteri cogno-
minarunt, illustrissimi, & omnium, qui unquam fuerunt prin- 43
cipum literatissimi principis Mauritii felicissimè regnantis parens, ut observari sui mandati fines diligentissimè vellet, neque suo injussu vel minimum in illis emendari aut mutari pateretur. Illud autem remedium in hac re tutissimum, teste ipso
Gaillio, ut si evidens vel utilitas, vel melior ratio mutandi man- *d. lib. & c.n.31.*
dati causam suaserit, consilium prius mittentis, si interea loci 44
fieri possit, exploretur, quàm missus quicquam aliud suo arbitrio agat. Præstat enim nihil omninò agere, & re infecta domũ reverti, quàm aliud agere, quàm præscripti ratio ferat. Quod

quidem Ætholorum legatos olim fecisse, etiamsi cum liberio-
Liv.lib.8. de bell Macedon. ribus agendi habenis missi essent, Livius testatur. Nam cùm
47 sua cuiq; committere justum sit, certè moderator & arbiter a-
48 lienæ voluntatis legatus esse non debet, sed potiùs diligenter
Plin.lib.25.c.2. attendere illud, quod omnium bonarum artium, ut à Plinio
Cat.de re rust. appellatur, magister Cato, Romanorum principum pruden-
tissimus, præscripsisse villicis legitur, his verbis: *Villicus*, inquit,
ne se plus sapere, quàm dominum suum censeat. Idem sibi dictum at-
49 que consultum esse legatus certò sibi persuadeat. Quòd autem
nonnulli cum laude, magis utilitatis ductum, quàm mandati
Gail.d.loc. nutum sequuti fuerint, quodq; industria & prudentia quorun-
50 dam à senatu Veneto probata, & ob eam causam prædicata, te-
Mag.lib.1.de leg. stante Magio, fuerit, id in speciali hominum facto, non in jure
cõsistit, & calidè potiùs ac audacter, quàm callidè & prudenter
factum esse existimandum: cùm, si quà, ut eventus rerum an-
ceps est; adversi quippiam ex mutato mandato acciderit, fa-
ctum ab eventu vulgò judicari soleat. Cæterùm non solùm
mandati fines excedit, qui minùs, sed & qui plus quàm manda-
51 ti orbita tenetur, loquitur aut facit. Ita meritò correptus à Ca-
rolo V. Imp. procancellarius Heldius, cùm in conventu quodã
52 ad Augustanæ confessionis principes, *Cæsarem malle*, diceret,
universa potiùs Germaniæ flammam, & interitum, quàm Catholicæ religionis abolitionem videre: quod cùm audiret Carolus: *Non*
53 *hoc*, inquit, *jussu meo loqueris: Germania nostra patria est nobis caris-*
Dresf.in 6 mill. Chyt.in or.fun Car. *sima, à qua summi imperii decus & ornamentum habemus*. Sed neq;
de re alia agere legatum oportet, quàm de sola & unica, quæ
54 mandato tenetur. Nam & cõtra fidem legationis agit, qui cùm
ob negotia publica missus sit, privata alia negotia intermiscet,
55 quod etiam provincialibus legationibus interdictum. Multò
l.absenti.§.1.l si quis.ff.de leg. minùs verò in hoc nostro erit ferendum, ut privatarum rerum
56 studiis publicæ rei cura impediatur, cùm etiam duabus rebus
necess-

necessariis unum sufficere non sit credendum. Sed ne dictu- 57
rientem longiùs remoremus, optandum est, legatum nostrum *l.14.§.1.C.de assess.*
eadem fide, industria, & dexteritate esse, qua Zygostatem Julia-
nus Imperator per singulas civitates constitutum esse voluit,
qui neq; fallat, neq; fallatur, cuiq; illud Sapientis accini hono- *Prov.13.& 15.*
ris gratiâ possit: *Ut ros & pruina æstuoso messis tempore, ita legatus fidus mittentibus animam & salutem dominorum suorum restituit.*

CAP. VII.

Oratio Legati.

SUMMARIA.

1 *Optimum & pessimum quid in legato.*
2 *Linguæ thesaurus in homine optimus.*
3 *Lingua hominis pestis.*
4 *Periclis in ore Suada.*
5 *Periclis laudabilis in perorando consuetudo.*
6 *Verba non solent iure postliminii reverti.*
7 *Thersitis inepta oratio.*
8 *Legatus non loquentiam, sed eloquentiam afferat.*
9 *Samiorum legati à Cleomene irrisi.*
10 *Brevitas orationis gratiosa.*
11 *Catonis succinctam brevitatem admirati Græci.*
12 *Rhetorum scholasticorum declamationes in legationis campum non revocandæ.*
13 *Ciceronis Asiatica luxuria legato non convenit.*
14 *Oratio legati cum casta matrona comparata.*
15 *Mulier optime olet, quæ nihi olet.*
16 *Claudia Vestalis ob nimiam vestitus curam propudii suspecta.*
17 *Veritas expers cultus & lenocinii.*
18 *Pessinuntiæ deæ feriæ.*

19 *Hyppoliti à Collibus legati ad Polonum oratio commendata.*

20 *Toto sacco non ferendum, praceptum Columella.*

21 *Octaviani instructio rejicitur.*

22 *Ex quibus exemplis oratio legati petenda.*

23 *Alphonsus rex Arragonia quàm attentè Venetorum legatum audierit.*

24 *Musca in naso Alphonsi.*

25 *Atheniensium legati à Sylla cur irrisi.*

26 *Quo idiomate perorandum.*

27 *Peregrino sermone uti servile, & contra majestatem legationis.*

28 *Majestatis argumentum subditis posse linguam imponere.*

29 *Romani quò imperii fines, eodem & lingua sua pomaria voluerunt extendi.*

30 *Linguâ Romana omnes sententia & decreta Romanorum scripta & promulgata.*

31 *Provincia Romanorum extera ad Romanam linguam in judiciis coacta.*

32 *Rudolphus I. Latina tractationis usum in Germania quoad seculares principes, sustulit.*

33 *Majestatis decus, non solùm nomen & virtutem dominantium, sed etiam linguam florere.*

34 *Franciscus I. vel, ut alii volunt, Ludovicus XII. Latinam linguam à judiciis Gallicis submovit.*

35 *Germanica lingua in legationibus Germanorum ad exteros cur retinenda.*

36 *Romani etsi Graca lingua gnari, cum Gracis tamen non nisi Latinè locuti.*

37 *Pallium toga subjici Romani noluerunt.*

38 *Germania in veteris Romani imperii dignitatem successit.*

39 *Germanica lingua nulli exterarum amplitudine & flore copia postponenda.*

40 La-

40 *Latina lingua à Latinæ dignitatis successoribus Germanis retinenda.*

41 *Germani veteris urbis cives.*

42 *Latina & Germanica linguæ Germanis legatis ut propriæ adhibendæ.*

43 *Romano-Germanico imperio quæ lingua barbara.*

44 *Ægyptii quos Barbaros appellarint.*

45 *Sclavonica lingua an cum Latina per Aur. Bull. in imperium suscepta.*

46 *Albinus historicus, Græcè quòd res Romanas scripserit, à Catone objurgatus.*

47 *Constantinopolis juris Italici, & urbis Romanæ prærogativis donata.*

48 *Græcorum lingua, translata imperii sede, in imperium assumpta.*

49 *Legatus barbaro sermone non utatur.*

50 *Memoria legato opus.*

51 *Demosthenis & Isocratis repentinum silentium in legatione ad Philippum regem.*

52 *Cardinales & oratores celebres subitò obmutuerunt.*

53 *Cyneæ memoria legato optanda.*

54 *Senecæ de Cyneæ memoria comparanda judicium.*

55 *Simonidis artes memoriæ adjutrices.*

56 *Cicero Simonidi gratias agit pro illarum inventione.*

57 *Naturalis memoria firmior.*

58 *Themistocles Simonidis inventum rejecit.*

59 *Memoria non tam verborũ contextu, quàm serie rerum alliganda.*

60 *Rem intellectam & prævisam verba sequuntur.*

61 *De industria terrere & turbare dicentem, barbarum.*

62 *Valentiani Imper. adversus legatos excandescentia.*

63 *Citharis & tibiis olim legati usi, ad animos eorum, ad quos mitterentur, demulcendos.*

64 Regis Latini apud Virgilium comitas & affabilitas.
65 Maximiliani II. erga legatos humanitas.
66 Eumenes rex silentio obtutus, dimissus, & paulò post revocatus.
67 Demetrii juvenis obmutescentia Romæ sublevata.

1 QUod optimum, & quod pessimum in legato est, Pittaci judicio videamus. Nam ut Hesiodus eleganter canit:

Plut. in probl. *Hesiod. lib. 2. ἔργ. καὶ ἡμερ.*

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
Φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.

2 *Optimus est hominis thesaurus, parcior oris*
Usus, & haud nimium laxati gratia verbi.

Et, ut contrà Euripides:

Eurip. in Orest. vers. 10.

Ἀκόλαστον ἔχειν γλῶσσαν αἰσχίστη νόσος.

3 *Lingua modo frenoq; carens deterrima pestis.*

4 Quod itaq; Pericles, in cujus lingua Suadam sessitasse ferunt, laudabili modo facere solitus fuit, cùm in orationis suæ ingressu, deos precando obtestaretur, ne qua ipsi inter perorandum
5 vel syllaba, nedum vocula elaberetur, quæ pernitiosa videri aut fieri reipubl. posset: idem nostrum & à Deo precari, atque omni studio & diligentia velimus anniti eò, ut ne quid incautè vel dicat, vel quid improvidè agat, cujus pœnitere ipsum postea possit. Nam uti meus ea de re proverbialis versiculus est:

Verba velut volucres, semel oris missa capistro,
Non postliminii lege redire solent.

6 Demosthenem autem optimum optimè dicendi magistrum proponat sibi legatus, ne ἔπεα ἀκοσμά τε πολλά τε, cum Thersite illo Homerico, verba inepta, quæ neq; caput, neq; calcem habere dicuntur, sed diu multumq; meditata proferat. Quid enim il-
7 le? Non solùm sese scriptam, & pensiculatè deliberatam afferre orationem profitebatur, sed optare etiam ajebat, ut sculptam, & si fieri posset, marmori impressam, hoc est, summo studio

Hom. lib. 2 Ilia.

dio

dio elaboratam, diuq; coctam & recoctam, habere de rebus
omnibus maximis posset. Nolim itaque nostrum instructum
non tam eloquentia, quàm loquentia, fretumq; extemporali 8
verborum volubilitate in medium prosilire, & immeditata lo- *Sallust. Gell. lib. 1. c. 15.*
qui: neque esse λαλεῖν ἄριστον, sed λέγειν, non blatterandi, sed dicen- *Gell. ex Eurip. d. loco.*
di magistrum optimum, ne idem fortè audire cogatur, quod
de Samiorum legatis Cleomenes Lacedæmonicus dictum re- 9
liquit, cùm nimis garrula & ineptè prolixa oratione uteren-
tur, quòd, quæ primo loco dixissent, non ampliùs recordare-
tur, media verò non intelligeret, oblitus extrema probare non
posset. Brevitas autem sermonis non solùm principibus ac au- 10
licis hominibus, sed omnibus prudentibus grata. Quam adeò
admiratos esse Græcos in Catone jam antè scripsimus, ut Ro-
manorum sermones dixerint in pectore, aliorum in ore nasci.
Quam quidem orationis laudem ex superioris ævi legatis Mat-
thæus Langius meruisse prædicatur, de quo Bartholinus his *Barthol. in Hodep. Lang. Car.*
verbis scriptum reliquit: *Proponit breviter ac dilucidè, ornatè di-
vidit, disputat subtiliter, & resumptionem rerum in fine felicissimè
prosequitur.* Brevitas autem hîc ea intelligenda, quæ nervosè & 11
succinctè ea omnia contineat, quæ necessariò dicenda fuerint.
Rhetorum scholasticorum declamationes in legationis cam- 12
pum non deducendæ: neque Asiatica illa Ciceronis luxuria & 13
ubertas, nec illi longiores orationum anfractus nostri oratoris
spaciis conveniunt: neq; ille nimius comptus, & pigmentorũ
cinnorumq; lascivia gravitatẽ nostri decent. Aliud enim est fo-
rensem oratorẽ in tribunalibus & pro Rostris: aliud legatum
in senatu loqui, cujus oratio, tanquam castissima apud veteres 14
Romanos matrona, nihil temeti, nihil redolere fuci, nihil leno-
cinii præ se ferre debet. Ut enim, quemadmodum apud Comi-
cum est, optimè olere mulier dicitur, quæ nihil olet: ita & le- 15
gati oratio omnium ornatissima, quæ quàm minimum orna-
tus

16 tus ostentat. Quemadmodum enim Vestalis virgo Claudia, ob nimiam vestitus & cultus sui curam, venustatisq; fovendæ studium, suspecta facta est incestus & propudii, ut ea de re versus est Ovidii:

Claudia virgo fuit, sed non est credita virgo.

17 Ita & oratio legati, si affectati ornatus, & nimium exultantis viriditatis erit, doli & fraudis suspicionem effugere non potest: veritas enim χρώμα ἀσαφὴς, ut Lucianus loquitur, expers cultus & habitus est. At illud non intelligere videntur, qui non jam antè multùm in communis vitæ curriculis detriti, subitò ex scholastico suggesto in hunc legationis campum deducuntur, qui omnem rhetoricæ eloquentiæ, & declamatorii studii suppellectilem, omnes reconditas opes, & totā Tullii penum,

18 tanquā in Pessinuntiæ deæ feriis, depromendam & jactandam

Herodian. lib. 1.

sibi esse opinantur. Superioribus annis perillustres ad Polonorum regem appulêre, tum ex Germania quorundam principum, tum ex Dania, tum ex Hispania legationes: illustres habitæ ibidem orationes: omnium tamen approbatione, gravissima ac prudentissima illa judicata, quam ex Germanorum le-

19 gatis habuit Hyppolitus de Collibus, serenissimi Electoris Palatini consiliarius, & judicii Electoralis Præses, longeq; prælata legati Borealis orationi, quæ quidem tersa & elegans, sed nimis

20 ad scholasticæ declamationis ritū erat deflexa. Eodem autē errore captus esse videtur Octavianus, qui toto, quod ajunt, sac-

Columel. de re rust.

co & utraq; manu serit, omniaq; rhetorum penetralia, omnia

21 scrinia, & arculas legato aperit, ad Platonis, ad Aristotelis, ad Ciceronis & Hermogenis fontes deducto. Quæ nos nosse quidem legatum itidem optamus, sed sine delectu promiscuè adhibere ineptum esse ducimus. Malim igitur ex illis, quæ apud Thucydidem, Livium, Tacitum, Salustiumq; extant, tum legatorum, tum consulum & senatorum orationibus filum & exemplum

emplum sumi. Sed hoc non tam præceptis, quàm prudentiæ 22
oratoris committendum, ut ipse facilè perspiciat, quas, quibus
auribus afferre chordas ac cantus debeat; quando breviore,
quando longiore, quando floridiore, quando graviore sermo-
ne utendum. Neque enim audiendi voluptate ea omnes præ- 23
diti sumus, qua Alphonsum regem Arragoniæ, regum litera-
tissimum accepimus, de quo Jovianus scribit, quòd Veneto-
rum quendam legatum tanta attentione & alacritate dicen-
tem audierit, ut immoto tum animi, tum corporis sensu, totus 24
in orantis actionem defixus, muscam, quæ ab initio orationis
usque ad finem in regis naso (ut impudentissimum hoc infe-
ctum, teste Homero, est) sessitaverat, non senserit. Hoc tamen
omnibus legatorum orationibus præceptum præscribi potest, 25
ut ne Atheniensium legatos ad Syllam missos imitentur, qui
ab eodem irrisi, quòd cùm longam orationem habuissent, ne
quidem verbum ea de re fecissent, de qua agendum erat: de
quibus illud usurpandum Virgilii: *Dant sine mente sonos.* Sed
quid agimus? modum & rationem linguę dedimus, cùm non-
dum de sermone, quínam adhibendus sit, certi simus, utrum 26
nostro an idiomate peregrino in exponendis mandatis uta-
mur. Quid verò dubitamus? An non & vestem, & ceremonias,
& gestus salutationis externos rejecimus? quî verò linguam
externam assumemus? majus siquidem ex linguæ alterius u-
surpatione subjectionis indiciū, quàm ex illis oriatur. Imò ve- *Var. d. loc.*
rò certissimum majestatis argumentum est, posse subditos co- 27
gere, ut imperantis lingua ac sermone utantur. Eò enim incu- 28
buisse singularem Romanorum diligentiam videmus, ut quò
usq; fines sui imperii, eodem & linguæ Romanæ pomæria ex- 29
tenderēt, dato præsidibus & judicibus mandato, ne alio quàm
rerum omnium victoris populi sermone, decreta & sententiæ *l. decreta 48. ff.*
promulgarentur. Unde factum, ut in cunctis fermè provinciis *de re jud.*

Kk omnes

omnes contractus, omnia pacta, omnia decreta & sententiæ
31 nullo alio quàm Latino charactere fuerint & scripta & proposita, omnes itidem eadem lingua auditæ legationes. Quod Ru-
32 dolphus I. in Germania primùm sustulit, quòd, cùm ipse ignarus literarum ac Latinæ linguæ esset, neque intelligeret, quid adversus se legatus Bohemicus, Episcopus Seccoviensis, detonaret, stansq; in lapide, ut Comicus loquitur, vendi sese non animadverteret, mādavit, ne in posterū ad se aut ad alios seculares imperii principes Latinè nescientes, Latinè, sed Germa-
Huld. Mut in vit. Rudolf. nicè nuncii perorarent. Prudenter, & ad imperii, quod ad Germanos translatum erat, majestatem, ut non solùm animus &
33 virtus Germanorum dominaretur, sed etiam lingua eorum
34 floreret. In Gallia verò ad Gallicum sermonem tribunalia ju-
Bod d loc. dicia, & majoris curiæ decreta à Latina lingua revocavit Fran-
Vay. d. loc. ciscus Major, vel potiùs Ludovicus XII. quòd servile esse animadverterent, non suo, sed alieno sermone in illis rebus, quæ majestatis propriæ sint, uti. Quod si itaque asserere legationis
35 dignitatem majestatemq; velimus, ut certè velle debemus, nostra potiùs & vernacula, quàm peregrina ejus, ad quem missi sumus, lingua, in exponendis nostris mandatis utamur, ut maximè peregrinā calleamus (scire enim ejus, ad quem missus es, linguā, valdè expedit) ne nos alterius potiùs videamur linguam effari, quàm per se, aut per interpretem alter nostram intelligere, cogi. Romanos hoc fecisse constanter undiquaq; in-
36 tellectu proclive est, qui tantum abest, ut cum Græcis Græcè in
Gent. lib. 3 c. 7. legationibus, quod sentire videtur Albericus, locuti sint, ut vel
37 ipsos Græcos non solùm in urbe, sed etiam in Græcia & Asia
Max. lib. 2. c. 2 per interpretem secum loqui coëgerint, non quòd illis studia
Val. d. loc. doctrinę deessent, sed quòd nulla non in re Pallium Togæ sub-
38 jici debere arbitrarentur. Utinam idem nostræ Germaniæ, quę in veteris urbis locum & dignitatem imperii successit, erga

suam

ſuam linguam animus & cultus eſſet, ut non tam alieni ſermo-
nis, quàm noſtri apud omnes uſurpandi & propagandi ſtudioſi
eſſemus, cùm ea nunc & amplitudo, & flos, & copia ejus ſit, at- 39
que gravitas, ut omnibus externis jure præferri poſſit. Quod
tamen nolim eo te modo accipere, ut excluſam civitate habeas
linguam Latinam, eamq́; neq; Germanico Imperatori, ejusq́;
principibus atq; legatis colendam ac callendam eſſe exiſtimes.
Quemadmodum barbaro hoc ſenſu præditi olim Teutonici
ordinis Equites fuiſſe narrantur, quibus, quòd equites Teuto-
nici nominarentur, alias linguas atq; literas diſcere religio erat,
teſte Sylvio. Quod idē autor, cùm poſteà ad Pontificis Romani *Æn. Sylvius*
ſedem eveheretur, inſidioſè perſuadere Electoribus Germa- *Eur. c. 27.*
niæ voluit, ut illiteratum principem imperii gubernationi præ-
ficerent, Rudolphiq́; I. ſimiles ſemper haberent. Quod me-
morabili tum voce, tum exemplo refutavit id ætatis authori-
tate ſua principum princeps Ludovicus, cognomento mitis *Chyt. Sax. lib. 3.*
& pacificus, Haſſiæ Landgravius, qui tam neceſſariam Impera-
tori literarum cognitionem exiſtimabat, ut communi Electo-
rum conſenſu oblatum imperium propterea utraq; manu re-
cuſaverit, quòd ſibi ad rem Chriſtianam regendam Latinæ lin-
guæ, & literarum ignorantiam impedimento fore judicaret.
Etſi ille ea ingenii naturalis acie, ſenſuq́; communi, quod eſſe
præcipuum in principe, omnemq́; aliam cognitionem ante-
cellere, ſcripſit Gallicorum ſcriptorum prudentiſſimus Comi- *Com. lib. 3. com.*
næus, pollebat, ut cum audiendis controverſiis, quas vernacu-
lo ſermone exponi ſibi jubebat, ipſe præſideret, nullā unquam
cauſam ſecus, quàm jus ac æquitas poſtularet, judicaſſe ſit ani-
madverſus. Latinæ autem vocis honos etiam ob veterem ma- *Sylv. d. loc.*
tris Romæ, imperiiq́; Romani ad Germanos tranſlati memo-
riam, non immeritò videtur à Latinæ dignitatis ſucceſſoribus,
ſtudioſè recoli ſimul & uſq; ſervari debere. Neq; enim illa lin- 40

gua, ut peregrina, æstimanda Germaniæ est, quæ in locum vicemque omnium gentium domicilii, in quo Latina lingua imperitavit toti orbi, successit, neq; minùs nos Romani cives sumus, quàm olim Latini fuerunt. Unde ad exteros Germani e-

l. Roma. ff ad municip.

missi, æquè Latina ac Germanica lingua utimur, utraq; quasi

42 propria, hac ex nationis & patriæ jure, illa ex Imperialis successionis, & veteris urbis jure, quod nunc omne in orbē Germani-

43 cum, tanquam in novam urbem collectum. At reliquæ omnes linguæ Romano-Germanico imperio, ejusq; legatis sunt barbaræ, eo jure, quo Ægyptii barbaros appellarunt, τὺς μὴ σφεῖ ὁμογλώσσους, qui non ipsorum lingua loquebātur, quod & Græci & Romani eodem nomine contra alios usurparunt. Sclavonica

Herod. lib. 2.

44 autem lingua posset itidem videri cum Latina in imperium re-

45 cepta, jure Aureæ Bullæ, qua Carolus IV. Electoralibus liberis eandem præcepit discendam. Sed aliud est ad discendum proponere sermonem, aliud in regni majestatem per legùm & judiciorum usum assumere. Discebant Græcam etiam Romani, neque tamen ut non barbaram usurpabant. A barbara autem

Cic. lib. 1. off.

46 lingua Romani adeò abhorruerunt, ut Albinum Cato severè objurgarit, quòd Romanas res Gręcorum literis perscripsisset. Etsi postea Romæ veteris sede translata, urbeq; nova Constan-

47 tinopoli non solùm juris Italici, sed etiam ipsius Romæ prærogativa donata, in imperii societatem dignitatemque legum & judiciorum Græcorum lingua fuerit cooptata, ut tam Græco, quàm Romano idiomate sententiæ judicum etiam in Latino-

l. un. C. de priv. urb. Const. Steph. Forc. in ßb. leg.

48 rum foro potuerint proferri. Sed quod veteres illi ne quidem in historico ferre voluerunt, id nos in legato tolerabimus, ut barbaro potiùs quàm suo sermone mandata exponat? Illud tamen, nescio, utrum hujus rei inscitia an incuria fieri sæpenumerò animadvertimus, ut Principum ac Electorum oratores ad exteros reges missi, externæ trabeæ purpuram suam subji-

l. judices 12. C. de sent. & inter.

ciant,

ciant, quæ cum dignitate ac culmine regio jure ac meritò æquiparatur, quemadmodum rectissimè ea de re judicat politicorum doctorum nobilissimus amicus meus, dum plerunque legationi linguam non Latinam aut vernaculam, sed Gallicam vel Italicam foris commodant. Unde etiam fit, ut qui legationis itineri studia sua hodie accingant, magis de Gallicano sermone, quàm de Latino solliciti sint, non aliter ac si, ut multi perridiculè opinantur, omnis politicæ elegantiæ decor & venustas, imò omnis civilis prudentiæ vis ac facultas in barbaro idiomate sit constituta, cujus quidem opinationis error eò homines nostri ævi abduxisse quàmplurimos videtur, ut cùm expeditè exterorum quorundam linguas effari possint, domi suæ sint in curia & foro propemodum elingues atq; infantes, tamque ignari Latinæ vocis, quæ tamen omnem antiquæ elegantiæ ac eruditionis penum complectitur, ut Latinè compellati vix unam atque alteram voculam respondere sine solœcismo possint. De qua re memini mecum eruditissimum ac nobilissimum quendam virum, in comitio Ratisbonensi, non sine vehemente stomacho differere. Ille enim, cùm Martinus Episcopus Seccoviensis, nomine Carinthiacæ ac Stiriacæ provinciæ, in senatu imperii satis splendidè Latina dictione perorasset: Certò scio, inquit, vix unum è tanto ablegatorum numero inveniri, qui Latinè peroranti, Latinè respondere ex tempore oratione justa possit: cui ego, at illud, inquam, Imperator Sigismundus olim etiam in principibus atq; Electoribus vehementissimè reprehendit, quòd cùm exteris legatis in Latina oratione auditis, nemo omnium fuerit, qui Latinè respondere potuerit, idq; tanto rubori fuisse ajunt Ruperto principi & comiti Palatino, ut domum reversus etiam in summa senectute, magistro adhibito, Latinas literas didicerit, Catonisque exemplũ, de quo suprà locuti, secutus, in ea re laudatissimum

Warem. medit. de fæd. lib. 1. n. 147.

Chit. in præf. r. g. v. ad Frid. Elect. Pal.

 fue-

fuerit. Quod ne hodierni ævi principum conſeſſus fortè audi-
re cogatur, vel unius illuſtriſſimi Cattorum principis Mauritii
eloquentia, quam exercitatiſſimi etiam dicendi magiſtri ſæpiùs
admirati ſunt, omnium ferè tota Europa florentiſſimarum
linguarum expeditiſſimum flumen afferre poſſet. Sed nolim
de lingua linguacior videri, cùm & ſuprà de re eadem quædam
locuti ſimus. At quid linguam expedit habere in promptu, niſi
50 & animus & rerum dicendarum feliciſſima memoria adſit?
Accepimus profectò ipſos etiam dicendi magiſtros, Demo-
51 ſthenem & Iſocratem, in legationibus ſuis, aqua, quod dicitur,
inter medios eloquentiæ ſuæ torrentes, hæſiſſe, ſubitoq; aut
regalis purpuræ, & ſolii ſplendore obſtupefactos, aut magnitu-
dine rerum oppreſſos, aut à memoria deſertos, obmutuiſſe.
52 Idq; maximis & Cardinalibus, & oratoribus accidiſſe, ſeq; il-
Warſ. d. or. lud vidiſſe teſtatur Warſevicius, ut ne verbum quidem ullum,
ac ſi repentè ſtatuæ facti eſſent, proferre potuerint. Quod no-
ſtra memoria etiam cuidam magni nominis JCto & oratori in
53 Polonia accidiſſe, ex eadem nunciatum eſt. Cyneæ itaque me-
moriam legato noſtro optarim, quam intra paucorum dierum
54 ſpacium quemlibet habere poſſe, ſcripſit Seneca. Quomodo
illud, inquis? Quid Seneca velit, non ſatis arripio, niſi admini-
55 cula artis à Simonide inventæ, pro qua etiam Cicero ſe inven-
56 tori ait, gratias agere, intelligat, quæ locis & imaginibus, ad re-
rum, quas meminiſſe volumus, ſimulacra imprimenda utitur.
At ego naturalis memoriæ facultate, ordinisq; beneficio ad-
57 jutæ, aſſiduæq; exercitationis uſu corroboratæ, noſtrum polle-
re malim, quæ longè firmior & fidelior, paratiorque cenſenda,
etſi localis illa altera, ſi ſine impoſturis doceatur, non prorſus,
58 quod Themiſtocles fecit, rejicienda. Sed tamen & hoc contra
ſilentium repentinum remedium eſt, quod etiam Warſevicio
59 placere video, ut non tam contextu verborum, quàm rerum
ſerie

serie & ordine memoriam alligemus. Mediocriter enim eloquentiæ studiis exercitatus, nedum dissertissimus, facili negotio experietur illud, quod Horatius promittit:

Verbaq; prævisam rem non invita sequuntur.

Sed & plurimum interest, qua fronte & vultu auditoris orator 61
erga se utatur, unde ad dicendum vel animosior, vel fractior efficitur. Solent ad terrendos oratores tauricum simulare vultum barbari, dicentemq; asperis verbis interpellare, atq; adeò furere ac insanire. Quemadmodum Valentianus Imperator 62
fecisse legitur, qui cùm vehementius contra Sauromatarum legatos sese commoveret, vena rupta, nimio sanguinis fluxu animam exhalavit. *Marc. lib. 31. Trip. lib. 8. c. 12.* Cum citharis itaq; & tibiis legatum anti- 63
quitùs missum ad hostes legimus, ut eorum & animos & vultus Musica gratia demulceret ac diffunderet. *Ath. li. 14. deip.* Verùm qui humanitatis ac benevolentiæ studiosi haberi volunt, in sese ipsi gratiam illam ultrò ostendunt, benigneq; missos & audiunt, & si quem stuporem timoremq; in iis animadverterint, suavitate 64
oris & vultus leniunt, cujus rei exemplum in rege Latino: *Virg. li. 7. Æn.*

——————patriaq; Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit,
Atq; hæc ingressis placido prior edidit ore:
Dicite Dardanidæ, &c.

Eadem Imperatorem Maximilianum II. accepimus comitate 65
& affabilitate fuisse; ut si quem aliunde ad se missum animo consternato turbatoq; viderit, verbis, quibus potuit, suavissimis, instituto, ad privatæ amicitiæ speciem, de rebus allatis colloquio, paulatim eum recollegerit, & amici sermonis & vultus consuetudine refocillarit. Sed & hoc humanitatis est, territum 66
& stupefactum, silentioq; subito obrutum placidè dimittere, eumq; animo resumpto, revocare. Exemplum ejus rei habes *Liv lib. 7. de bell. Maced.* Romanũ in rege Eumene, Polonicum in legato Turcico, apud War-

Warſ. d. loc.

Warſevicium. Sed & lapſis memoria, neq; rem, ut oporteat declarantibus concedendum, ut ſaltem inſtructiones ſuas recitent. Quemadmodum illud Romæ Demetrio, admodum juveni regio, neq; dilucidè narranti, neque aptè reſpondenti à ſenatu permiſſum fuiſſe legitur.

Liv. lib. 9. de bell. Maced.

CAP. VIII.

Reſponſa legatis danda.

SUMMARIA.

1 *Curius dictator inter rapas torrendum ex foco legatis reſpondit.*
2 *Artaxerxes buxea manubria cultellorum faciebat.*
3 *Alexandri mos forenſis aurem alteram claudentis.*
4 *Veterum mos in dubiis poſtulatis apertiùs indagandis.*
5 *Prætor Romanus poteſtatem omnibus in ſenatu dedit legatos interrogandi.*
6 *Tempus certum reſpondendi præfigere legatus nequit.*
7 *Naturalis libertas ſua cuiq; tempore & occaſione matura moderandi poteſtatem concedit.*
8 *Reſponſum legationis non ad arbitrii civilis modum redigendum.*
9 *Arbiter, ut certo tempore ſententiam dicat, cogi poteſt.*
10 *Arbiter ſuſcipiendo arbitrium quod voluntatis eſt, ſubjicit ſeſe juriſdictioni prætoriæ.*
11 *Prætori poteſt arbitro tempus & diem præſcribere.*
12 *Legatus civili jure nihil poteſt experiri.*
13 *Diem præfigere civilis juriſdictionis eſt.*
14 *Promittendo reſponſum reſponſor debitor fit legato reſponſi dandi.*
15 *Cum ſacco non veniendum.*
16 *Vrgere certum diem reſpondendi legatus ex generali reſponſi dandi promiſſo nequit.*
17 *Reſponſi redditio, jure legationis debetur, etſi nulla promiſſio ejus.*

18 Sa-

18 Satius non audire legatos, quàm auditos sine responso dimittere.
19 Legati, titulum legationis professi, cogi possunt, ut mandata exponant.
20 Eumenes Romæ coactus mandata exponere.
21 Redditio responsi postulari & urgeri jure potest.
22 Ad certum diem coarctari nequit.
23 Pompilii circulus, quo Antiochum ad respondendum compulit.
24 Pompilii baculus facti, non juris via nititur.
25 Antiochus Pompilii præscripto non tenebatur.
26 Antiochus metu legionis, non jure legationis coactus.
27 Cornelii tribuni minaces sermones legato non usurpandi.
28 Vi & minis cogere non est legati, neq; hospitis, sed hostis.
29 Longioris exspectationis tædium legato quomodo ferendum.
30 Turpe manere diu, vacuumq; redire.
31 Vacuus etiam redit, qui dubium obscurum responsum refert.
32 Nihil respondere, & ineptè & obscurè ac ambiguè respondere, sunt paria.
33 Ineptus libellus pro nullo.
34 Apollinis oracula dubia & obscura.
35 Apollo λοξίας cur appellatus.
36 Cræsus & Pyrrhus ac Albertus Scotus responsis Vejovis lusi.
37 Carthaginenses legati non satis providi in Romanorum responso accipiendo.
38 Civitatis vocabulum ambiguum Carthaginenses lusit.
39 Ad jura & responsa vigilare quisq; tenetur.
40 Romanorum vafrities in responso callidè dato non probatur.
41 Fraudulenta non debent esse responsa.
42 Dolus bonus pro solertia existimatur.
43 Legationes etsi hostium sint, non sunt tamen jure belli, sed legationis tractandæ.
44 Fides sinceri postulati obligat fidem sinceri responsi.

45 Argum esse legatum oportet, ingenio Mariani Socini, qui omnes vafrities novisse prædicatus.
46 Ixion nubem pro corpore apprehendit.
47 Galli Anglos in legationum tractationibus callidè supplantarunt.
48 Galli ab Hispanis nunquam non circumventi.
49 Avila & Leva suæ gentis calliditatem prædicant.
50 Moscovitæ in legationibus fraudulenti.
51 Ad Moscovitas non nisi cautissimi homines mittendi.
52 Legatio per se majorem diligentiam flagitat.
53 Tiberius nunquam sine consiliariorum consessu responsa legatis dabat.
54 Indorum regulus inter pectendum & comendum responsa dabat.
55 Responsi congrui informatio.
56 Superbè postulanti, superbè respondendum.
57 Tarentini ob superba responsa tanquam violatæ legationis rei puniti.
58 Immortalibus superba responsa odiosa.
59 Tarentinis asperè postulantibus, asperè responsum.
60 Burgundica flamma, qua Lilium Galliæ exaruit, ob superba responsa exorta.
61 Literis accepta responsa.
62 Alexander Dario literis respondit.
63 Legatus quando exemplar dati responsi petere debeat.
64 Druides nihil literis consignabant, freti memoria.
65 Tutiùs aliorum verba ex scripto, quàm nostra renunciare.
66 Iliensium legatio inepta ad Tiberium.
67 Iliensibus multa privilegia concessa ob communem cum Romanis originem.
68 Simplicitati & rusticitati parcendum.
69 Helvetiorum inurbana ad Cameram Imperii postulata.
70 Helvetii facto sese exemerunt, jurisdictione Imperii.

71 Re-

99 Signata virgo apud Lucilium quæ.
100 Subſcriptionis & ſigilli conſuetudo non eſt in jure gentium poſita.
101 Sed in moribus ſingulorum quorundam populorum.
102 Legatus cogi ad alterius inſtituta & mores non poteſt.
103 Tartari ſua conſuetudine in Polonia legati: Poloni ſua utuntur.
104 Legatus etſi contra morem ſuæ gentis ſigillo non utatur, non tamen accipiat literas, niſi ſubſcriptas, & ſigillo confirmatas ab iis, quibus utroq; uti moris.
105 Tiberius Rhodiorum literas non ſubſcriptas remiſit.
106 Publico nomine acta, publico ſigillo confirmanda.
107 Cera rubea Imperialis.
108 Cera flava regia in Gallia.
109 Renato Siciliæ regi tanquam maximum beneficium conceſſum flava cera uti.
110 Imperii hodierni in ſigillando ratio.

BEnè admodum hucuſq; in legationis noſtræ provincia ſtetimus: prudenter ac fideliter mandatum, & cum actione decora expoſuimus: Auditi ſumus, non ut olim Samnitum
1 oratores à Dictatore Curio, ex foco, qui inter audiendum ra-
2 pas torrebat, aut qui buxea manubria, more Artaxerxis fabricabat, aliudvé agebat, ſed ſedebat auguſto in regni ſolio, non
3 ab eo, qui unam, forenſi more Alexandri, ſed utramq; aurem & attentiſſimam & benigniſſimam præbebat. Eam autem in publicis legationibus audiendis majeſtatis ac gravitatis rationem diligenter habendam eſſe, tum plurima veterum Imperatorum ac Principum exempla, tum regum hujus ævi longè eruditiſſimi ac prudentiſſimi Jacobi, ad Henricum filium præceptum aureum luculentiſſimè docet. Quid verò nunc amplius agendum? Spes enim reſponſi facta fuit. Sed an non miſſi interea, qui, quæ viſa fuerint dici obſcurius, explanari apertius
4 poſtularint? Rectè profectò mones: Illud enim moris fuiſſe

Iac. rex Brit. lib. 3. Baſil. don.

etiam

etiam apud veteres ex Livianis historiis patet. Et etiámnum id *Liv.lib.10. bel.*
moris esse testatur Brunus. Solebat autem in Romana auditio- *Pun.secundi.*
ne prætor omnibus copiam facere, si quis vellet, legatos inter- 5
rogandi, quod ad postulata pertineret. Sed quandiu responsum *Brun.lib.5.c.10.*
expectandum? Ut neq; forma responsi, ita neq; certum tem- *de leg.*
pus dandi præfigi à legato potest: illa enim ex liberæ potestatis 6
arbitrio dependent: cùm nihil tam libertati naturali conve- 7
niens, quàm quemque de suis rebus, quàm possit commodissi- *l.in re mandata*
mè & optimè, & deliberare, & suo ex arbitratu tempestivis *21 C.mandati.*
consiliis sua negotia moderari. Nec verò responsum civilis ar- 8
bitrii jure metiendum, ubi si compromissum sine die confe-
ctum est, necesse est omninò dies certos statuere, quod si præ-
termiserit, arbiter omni tempore cogendus sententiam dice- 9
re. Diversissima enim legationis & arbitrii ratio. Nam arbi- *l.sed si 14.ff.de*
trium etsi nemo cogi possit ut recipiat, potest tamen cogi, ut *recept.arbit.*
suscepto muneri civili satisfaciat, qui eo ipso, dum recipit, curæ 10
& sollicitudini jussuique prætoris sese subjicit, qui ut superior
tempus & diem certum præscribere arbitrio potest, quod le- 11
gatus ei, ad quem missus, facere nequit, cùm nihil coactionis, *l.Labeo 3.§.1.*
& jussus, nihil omninò potestatis in eum habeat, neque quic- *d.tit.* 12
quam adversus eundem civili lege experiri possit. Civilis au-
tem legis, & in jus dicentis potestate est, diem & terminum cer- 13
tumque temporis articulum præscribere. At responsi, inquis, 14
redditionem promisisti: debito ergò responsi, secundum vul-
gatam fori regulam, teneris. Sed neque tu, instar importuni 15
creditoris cum sacco venire debes, nec proinde certum re-
spondendi diem urgere, nisi quis certum tibi diem responso 16
dando promiserit. Responsum autem, concessis deliberandi
justis, pro causæ gravitate, spaciis, non solùm ex promisso, sed,
etsi promissa ejus redditio non sit, jure legationis debitum peti 17
potest. Reciproci enim & relati juris sunt, audire, & ad audita

respondere, *δοῦναι καὶ ἀποδοῦναι λόγον*, ut Plato loquitur. Ideoq; rectè
18 olim Aristhenus Prætor Achæorum sensit, *satius esse non admit-*
Liv. lib. 2 de bell. Maced. *tere & audire legatos, quàm auditos sine responso dimittere.* Quem-
admodum igitur legationis jure urgeri possunt, ut legationis
19 titulum professi & admissi causam missionis suæ dicant, & co-
20 gi, ut mandata, si tergiversari velint, exponant (qua ratione Ro-
mæ Eumenem ad id coactum legimus) ne clusoria legationis
21 admissio videatur: ita quidem vicissim responsionis postulari,
& commodè ac opportunè urgeri debita redditio eodem jure
22 potest: præfiniri autem & coarctari prædictis rationibus intra
certam dierum metam nequit. Sed quid legatus Pompilius?
qui Antiochum regē non modò temporis, sed etiam loci angu-
23 stiis ita clausit, ut ne quidē eo, quem virgâ notarat, circulo, cum
24 egredi passus fuerit, priusquàm responderet. Pompilii baculus
magis violentiâ facti & fascium Romanorum potestate inniti-
tur, quàm legationis jure, neq; ille tam legatus, quàm judex &
25 arbiter, imò verò ut dictator, qui jubeat, cogat, compellat, no-
Amm. lib. diss. 15. c. 4. mine populi Romani venisse videtur. Quanquam cum Am-
mirato putarim hoc legati consiliū magis, quàm senatus man-
26 datum fuisse. Etsi itaq; facto violento, violentius rex ille po-
tuisset opponere: neq; enim præscripto, quod tanquā legatus
Romanus ille regi dare non poterat, tenebatur parere: paruit
tamen, non jure legationis, sed metu legionis ac ligationis pe-
27 riculo coactus. Pompiliana itaque virga legatus noster extor-
Suet. in August. quere suum responsum nolit; nolit idem Corneliano illo gla-
28 dio & minace verbo: *Hic faciet, nisi vos feceritis.* Vi enim & gladii
29 minis agere non legati ac hospitis, sed hostis est. At quid si lon-
giori mora trahamur, utrum discedendum erit, nec ne? Mini-
mè, sed omnia antè consiliis & prudentiæ armis experienda;
occasiones & tempora quævis captanda: sollicitandum & for-
titer instandum, antè frequentibus flagitationibus fatigandæ
corum,

eorum,ad quos miſſus es,aures,quàm officium in curſu medio
deferendum. Significanda autem intereà temporis literis do-
mum miſſis cuncta, quæ mittentem ſcire, aut tua,aut illius in-
tererit; quid conſulto,quid incepto opus ſit,ſedulò & diligen-
ter inquirendum, omniſq; opera & ſtudium adhibendum, ne
domum ſine reſponſo revertenti occinatur illud Homericum: 30

Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι.
Turpe foris manſiſſe diu,vacuumq; rediſſe.

Redit autem non ſolùm vacuus & nudus à reſponſo, qui nul-
lum,ſed etiam qui alienum, aut qui ineptum, aut qui dubium 31
& ambiguum reſponſum refert. Paria enim ſunt,nihil reſpon-
dere,& ineptè, aut obſcurè, aut ambiguè reſpondere. Nec 32
quicquam intereſt, inter nullum & ineptum libellum, quem 33
dentibus lacerare judex poteſt.Solent autem nonnulli ſummo
ſtudio in reſponſis ambiguitatem & obſcuritatem affectare,
imitantes veteris Væjovis Apollinis oracula, qui λοξίας, hoc eſt, 34
obliquus ob id appellatus, quòd obliquis & ambiguis reſpon- *Ioach.Cam.in Not.ad Soph. Elect.*
ſis conſultores ſuos falleret, & multò incertiores, quàm cùm
veniſſent,à ſe dimitteret.Ita luſum Crœſum, luſum Pyrrhum 35
illis vulgò notis verſibus, luſum Albertum Scotum, comitem
Placentinum, his verborum decipulis legimus: *Domine ſtes ſe-* 36
curus, quoniam intrabunt ſuaviter inimici tui, & ſubjicientur domui *Alber. de Roſ. & ex eo Everh. in Top.*
tuæ. Qui triſtiſſimo rerum eventu edoctus, qui ſtultorum ma-
giſter eſſe dicitur, tandem perſpexit, quid verborũ nubes tem-
peſtatis occuluiſſet, cùm ſua vi & hoſtili impetu tertium irrue-
re inimicos ſuos videret,qui domui ejus ſubjicerent UR,quod
Chaldæis ignem denotat, eoq; compellerent hominem angu-
ſtiæ, ut domi ſuæ ſecurus omninò eſſe non poſſet. Ad vetera-
toris autem infernalis ingenium affabrè compoſiti ſunt, qui ſi-
milibus reſponſorum cothurnis probos ac animi integros le-
gatos eludere data opera ſtudeant. Sed tamen & decepti ea ra- 37
tione

fuerit. Quod ne hodierni ævi principum conſeſſus fortè audi-
re cogatur, vel unius illuſtriſſimi Cattorum principis Mauritii
eloquentia, quam exercitatiſſimi etiam dicendi magiſtri ſępiùs
admirati ſunt, omnium ferè tota Europa florentiſſimarum
linguarum expeditiſſimum flumen afferre poſſet. Sed nolim
de lingua linguacior videri, cùm & ſuprà de re eadem quædam
locuti ſimus. At quid linguam expedit habere in promptu, niſi
50 & animus & rerum dicendarum feliciſſima memoria adſit?
Accepimus profectò ipſos etiam dicendi magiſtros, Demo-
51 ſthenem & Iſocratem, in legationibus ſuis, aqua, quod dicitur,
inter medios eloquentiæ ſuæ torrentes, hæſiſſe, ſubitoq; aut
regalis purpuræ, & ſolii ſplendore obſtupefactos, aut magnitu-
dine rerum oppreſſos, aut à memoria deſertos, obmutuiſſe.
52 Idq; maximis & Cardinalibus, & oratoribus accidiſſe, ſeq; il-
Warſ.d.or. lud vidiſſe teſtatur Warſevicius, ut ne verbum quidem ullum,
ac ſi repentè ſtatuæ facti eſſent, proferre potuerint. Quod no-
ſtra memoria etiam cuidam magni nominis JCto & oratori in
53 Polonia accidiſſe, ex eadem nunciatum eſt. Cyneæ itaque me-
moriam legato noſtro optarim, quam intra paucorum dierum
54 ſpacium quemlibet habere poſſe, ſcripſit Seneca. Quomodo
illud, inquis? Quid Seneca velit, non ſatis arripio, niſi admini-
55 cula artis à Simonide inventæ, pro qua etiam Cicero ſe inven-
56 tori ait, gratias agere, intelligat, quæ locis & imaginibus, ad re-
rum, quas meminiſſe volumus, ſimulacra imprimenda utitur.
At ego naturalis memoriæ facultate, ordinisq; beneficio ad-
57 jutæ, aſſiduæq; exercitationis uſu corroboratæ, noſtrum polle-
re malim, quæ longè firmior & fidelior, paratiorque cenſenda,
etſi localis illa altera, ſi ſine impoſturis doceatur, non prorſus,
58 quod Themiſtocles fecit, rejicienda. Sed tamen & hoc contra
ſilentium repentinum remedium eſt, quod etiam Warſevicio
59 placere video, ut non tam contextu verborum, quàm rerum
ſerie

serie & ordine memoriam alligemus. Mediocriter enim eloquentiæ studiis exercitatus, nedum dissertissimus, facili negotio experietur illud, quod Horatius promittit:

Verbaq. provisam rem non invita sequuntur.

Sed & plurimum interest, qua fronte & vultu auditoris orator 61
erga se utatur, unde ad dicendum vel animosior, vel fractior efficitur. Solent ad terrendos oratores tauricum simulare vultum barbari, dicentemq; asperis verbis interpellare, atq; adeò furere ac insanire. Quemadmodum Valentianus Imperator 62
fecisse legitur, qui cùm vehementius contra Sauromatarum legatos sese commoveret, vena rupta, nimio sanguinis fluxu *Marc. lib. 30. Trip. lib. 8. c. 12.*
animam exhalavit. Cum citharis itaq; & tibiis legatum anti- 63
quitùs missum ad hostes legimus, ut eorum & animos & vultus Musica gratia demulceret ac diffunderet. Verùm qui hu- *Ath. li. 14. deip.*
manitatis ac benevolentiæ studiosi haberi volunt, in sese ipsi gratiam illam ultrò ostendunt, benigneq; missos & audiunt, & si quem stuporem timoremq; in iis animadverterint, suavitate 64
oris & vultus leniunt, cujus rei exemplum in rege Latino:

———— patriaq. Latinus *Virg. li. 7. Æn.*
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit,
Atq. hac ingressis placido prior edidit ore:
Dicite Dardanidæ, &c.

Eadem Imperatorem Maximilianum II. accepimus comitate 65
& affabilitate fuisse; ut si quem aliunde ad se missum animo consternato turbatoq; viderit, verbis, quibus potuit, suavissimis, instituto, ad privatæ amicitiæ speciem, de rebus allatis colloquio, paulatim eum recollegerit, & amici sermonis & vultus consuetudine refocillarit. Sed & hoc humanitatis est, territum 66
& stupefactum, silentioq; subito obrutum placidè dimittere, eumq; animo resumpto, revocare. Exemplum ejus rei habes *Liv lib. 7. de bell. Maced.*
Romanũ in rege Eumene, Polonicum in legato Turcico, apud

War-

Warſ. d. loc. Warſevicium. Sed & lapſis memoria, neq; rem, ut oporteat declarantibus concedendum, ut ſaltem inſtructiones ſuas recitent. Quemadmodum illud Romæ Demetrio, admodum juveni regio, neq; dilucidè narranti, neque aptè reſpondenti à ſenatu permiſſum fuiſſe legitur.

Liv. lib. 9. de bell. Maced.

CAP. VIII.

Reſponſa legatis danda.

SUMMARIA.

1 *Curius dictator inter rapas torrendum ex foco legatis reſpondit.*
2 *Artaxerxes buxea manubria cultellorum faciebat.*
3 *Alexandri mos forenſis aurem alteram claudentis.*
4 *Veterum mos in dubiis poſtulatis apertius indagandis.*
5 *Prætor Romanus poteſtatem omnibus in ſenatu dedit legatos interrogandi.*
6 *Tempus certum reſpondendi præfigere legatus nequit.*
7 *Naturalis libertas ſua cuiq; tempore & occaſione matura moderandi poteſtatem concedit.*
8 *Reſponſum legationis non ad arbitrii civilis modum redigendum.*
9 *Arbiter, ut certo tempore ſententiam dicat, cogi poteſt.*
10 *Arbiter ſuſcipiendo arbitrium quod voluntatis eſt, ſubjicit ſeſe juriſdictioni prætoriæ.*
11 *Prætori poteſt arbitro tempus & diem præſcribere.*
12 *Legatus civili jure nihil poteſt experiri.*
13 *Diem præfigere civilis juriſdictionis eſt.*
14 *Promittendo reſponſum reſponſor debitor fit legato reſponſi dandi.*
15 *Cum ſacco non veniendum.*
16 *Vrgere certum diem reſpondendi legatus ex generali reſponſi dandi promiſſo nequit.*
17 *Reſponſi redditio, jure legationis debetur, etſi nulla promiſſio ejus.*

18 Sa-

18 Satius non audire legatos, quàm auditos sine responso dimittere.
19 Legati, titulum legationis professi, cogi possunt, ut mandata exponant.
20 Eumenes Romæ coactus mandata exponere.
21 Redditio responsi postulari & urgeri jure potest.
22 Ad certum diem coarctari nequit.
23 Pompilii circulus, quo Antiochum ad respondendum compulit.
24 Pompilii baculus facti, non juris via nititur.
25 Antiochus Pompilii præscripto non tenebatur.
26 Antiochus metu legionis, non jure legationis coactus.
27 Cornelii tribuni minaces sermones legato non usurpandi.
28 Vi & minis cogere non est legati, neq. hospitis, sed hostis.
29 Longioris exspectationis tædium legato quomodo ferendum.
30 Turpe manere diu, vacuumq. redire.
31 Vacuus etiam redit, qui dubium obscurum responsum refert.
32 Nihil respondere, & ineptè & obscurè ac ambiguè respondere, sunt paria.
33 Ineptus libellus pro nullo.
34 Apollinis oracula dubia & obscura.
35 Apollo λοξίας cur appellatus.
36 Crœsus & Pyrrhus ac Albertus Scotus responsis Væjovis lusi.
37 Carthaginenses legati non satis providi in Romanorum responso accipiendo.
38 Civitatis vocabulum ambiguum Carthaginenses lusit.
39 Ad jura & responsa vigilare quisq. tenetur.
40 Romanorum vafrities in responso callidè dato non probatur.
41 Fraudulenta non debent esse responsa.
42 Dolus bonus pro solertia existimatur.
43 Legationes etsi hostium sint, non sunt tamen jure belli, sed legationis tractandæ.
44 Fides sinceri postulati obligat fidem sinceri responsi.

45 *Argum esse legatum oportet, ingenio Mariani Socini, qui omnes vafrities novisse prædicatus.*
46 *Ixion nubem pro corpore apprehendit.*
47 *Galli Anglos in legationum tractationibus callidè supplantarunt.*
48 *Galli ab Hispanis nunquam non circumventi.*
49 *Avila & Leva suæ gentis calliditatem prædicant.*
50 *Moscovitæ in legationibus fraudulenti.*
51 *Ad Moscovitas non nisi cautissimi homines mittendi.*
52 *Legatio per se majorem diligentiam flagitat.*
53 *Tiberius nunquam sine consiliariorum consessu responsa legatis dabat.*
54 *Indorum regulus inter pectendum & comendum responsa dabat.*
55 *Responsi congrui informatio.*
56 *Superbè postulanti, superbè respondendum.*
57 *Tarentini ob superba responsa tanquam violatæ legationis rei puniti.*
58 *Immortalibus superba responsa odiosa.*
59 *Tarentinis asperè postulantibus, asperè responsum.*
60 *Burgundica flamma, qua Lilium Galliæ exaruit, ob superba responsa exorta.*
61 *Literis accepta responsa.*
62 *Alexander Dario literis respondit.*
63 *Legatus quando exemplar dati responsi petere debeat.*
64 *Druides nihil literis consignabant, freti memoria.*
65 *Tutiùs aliorum verba ex scripto, quàm nostra renunciare.*
66 *Iliensium legatio inepta ad Tiberium.*
67 *Iliensibus multa privilegia concessa ob communem cum Romanis originem.*
68 *Simplicitati & rusticitati parcendum.*
69 *Helvetiorum inurbana ad Cameram Imperii postulata.*
70 *Helvetii facto sese exemerunt, jurisdictione Imperii.*

71 Re-

71 *Responsa quo ordine fiant.*
72 *Saxonum mos in responsionibus.*
73 *Romanorum veterum ratio & ordo in responsis.*
74 *Brũni de modo & ordine responsionum judicium.*
75 *Eberhardus de Weihe, Electorum & Principum multorum primarius Consiliarius, legationum obeundarum peritissimus.*
76 *Brevitas responsorum unica virtus.*
77 *Imperatoria brevitas Galbæ.*
78 *Subscriptio & subsignatio literarum.*
79 *Subscriptiones cur introductæ.*
80 *Subscriptio operatur idem, quod scriptio.*
81 *Alterius manu scriptæ subscribens scriptum confirmat.*
82 *Subscribere quid sit Budæo.*
83 *Subscriptio quomodo fiat.*
84 *Caroli Magni & subsequentium Germaniæ Imperatorum, quæ subscriptiones.*
85 *Signatorii annuli pervetus usus.*
86 *Annulus signatorius Babyloniis vulgaris.*
87 *Annulus signatorius Polycratis.*
88 *Annulus Iosephi à Pharaone datus qualis.*
89 *Augustus Cæsar Mecœnati & Agrippæ annulum suum signatorium dedit.*
90 *Annulus signatorius cum re signata potestatis cujus detur.*
91 *Annulus Perdiccæ datus qualis.*
92 *Plinii locus de annulo signatorio explicatur.*
93 *Signatorius unde dictus.*
94 *Annulus Pompeii quo signo.*
95 *Annulus Iulii Cæsaris quo signo.*
96 *Annulus Augusti qua imagine.*
97 *Annulus Galbæ cum canis signo.*
98 *Signatorius etiam custodiendis rebus adhibitus.*

99 *Signata virgo apud Lucilium quæ.*
100 *Subscriptionis & sigilli consuetudo non est in jure gentium posita.*
101 *Sed in moribus singulorum quorundam populorum.*
102 *Legatus cogi ad alterius instituta & mores non potest.*
103 *Tartari sua consuetudine in Polonia legati: Poloni sua utuntur.*
104 *Legatus etsi contra morem suæ gentis sigillo non utatur, non tamen accipiat literas, nisi subscriptas, & sigillo confirmatas ab iis, quibus utroq; uti moris.*
105 *Tiberius Rhodiorum literas non subscriptas remisit.*
106 *Publico nomine acta, publico sigillo confirmanda.*
107 *Cera rubea Imperialis.*
108 *Cera flava regia in Gallia.*
109 *Renato Siciliæ regi tanquam maximum beneficium concessum flava cera uti.*
110 *Imperii hodierni in sigillando ratio.*

BEnè admodum hucusq; in legationis nostræ provincia stetimus: prudenter ac fideliter mandatum, & cum actione decora exposuimus: Auditi sumus, non ut olim Samnitum
1 oratores à Dictatore Curio, ex foco, qui inter audiendum ra-
2 pas torrebat, aut qui buxea manubria, more Artaxerxis fabricabat, aliudvé agebat, sed sedebat augusto in regni solio, non
3 ab eo, qui unam, forensi more Alexandri, sed utramq; aurem & attentissimam & benignissimam præbebat. Eam autem in publicis legationibus audiendis majestatis ac gravitatis rationem diligenter habendam esse, tum plurima veterum Imperatorum ac Principum exempla, tum regum hujus ævi longè eruditissimi ac prudentissimi Jacobi, ad Henricum filium præceptum aureum luculentissimè docet. (*Iac. rex Brit. lib. 3. Basil. don.*) Quid verò nunc amplius agendum? Spes enim responsi facta fuit. Sed an non missi interea, qui, quæ visa fuerint dici obscuriùs, explanari apertiùs
4 postularint? Rectè profectò mones: Illud enim moris fuisse etiam

etiam apud veteres ex Livianis historiis patet. Et etiamnum id *Liv lib. 10. beli*
moris esse testatur Brunus. Solebat autem in Romana auditio- *Pun. secundi.*
ne prætor omnibus copiam facere, si quis vellet, legatos inter- 5
rogandi, quod ad postulata pertineret. Sed quandiu responsum *Brun. lib. 5. c. 10. de leg.*
expectandum? Ut neq; forma responsi, ita neq; certum tem-
pus dandi præfigi à legato potest: illa enim ex liberæ potestatis 6
arbitrio dependent: cùm nihil tam libertati naturali conve- 7
niens, quàm quemque de suis rebus, quàm possit commodissi- *l. in re mandata*
mè & optimè, & deliberare, & suo ex arbitratu tempestivis *21 C. mandati.*
consiliis sua negotia moderari. Nec verò responsum civilis ar- 8
bitrii jure metiendum, ubi si compromissum sine die confe-
ctum est, necesse est omninò dies certos statuere, quod si præ-
termiserit, arbiter omni tempore cogendus sententiam dice- 9
re. Diversissima enim legationis & arbitrii ratio. Nam arbi- *l. sed si 14. ff. de*
trium etsi nemo cogi possit ut recipiat, potest tamen cogi, ut *recept. arbit.*
suscepto muneri civili satisfaciat, qui eo ipso, dum recipit, curæ 10
& sollicitudini jussuique prætoris sese subjicit, qui ut superior
tempus & diem certum præscribere arbitrio potest, quod le- 11
gatus ei, ad quem missus, facere nequit, cùm nihil coactionis, *l. Labeo 3. § 1. d. tit.*
& jussus, nihil omninò potestatis in eum habeat, neque quic- 12
quam adversus eundem civili lege experiri possit. Civilis au-
tem legis, & in jus dicentis potestate est, diem & terminum cer- 13
tumque temporis articulum præscribere. At responsi, inquis, 14
redditionem promisisti: debito ergò responsi, secundum vul-
gatam fori regulam, teneris. Sed neque tu, instar importuni 15
creditoris cum sacco venire debes, nec proinde certum re-
spondendi diem urgere, nisi quis certum tibi diem responso 16
dando promiserit. Responsum autem, concessis deliberandi
justis, pro causæ gravitate, spaciis, non solùm ex promisso, sed,
etsi promissa ejus redditio non sit, jure legationis debitum peti 17
potest. Reciproci enim & relati juris sunt, audire, & ad audita

eorum, ad quos missus es, aures, quàm officium in cursu medio deserendum. Significanda autem interea temporis literis domum missis cuncta, quæ mittentem scire, aut tua, aut illius interterit; quid consulto, quid incepto opus sit, sedulò & diligenter inquirendum, omnisq; opera & studium adhibendum, ne domum sine responso revertenti occinatur illud Homericum: 30

Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι.

Turpe foris mansisse diu, vacuumq; redisse.

Redit autem non solùm vacuus & nudus à responso, qui nullum, sed etiam qui alienum, aut qui ineptum, aut qui dubium 31
& ambiguum responsum refert. Paria enim sunt, nihil respondere, & ineptè, aut obscurè, aut ambiguè respondere. Nec 32
quicquam interest, inter nullum & ineptum libellum, quem 33
dentibus lacerare judex potest. Solent autem nonnulli summo studio in responsis ambiguitatem & obscuritatem affectare, imitantes veteris Væjovis Apollinis oracula, qui λοξίας, hoc est, 34
obliquus ob id appellatus, quòd obliquis & ambiguis responsis consultores suos falleret, & multò incertiores, quàm cùm venissent, à se dimitteret. Ita lusum Crœsum, lusum Pyrrhum 35
illis vulgò notis versibus, lusum Albertum Scotum, comitem Placentinum, his verborum decipulis legimus: *Domine stes se-* 36
curus, quoniam intrabunt suaviter inimici tui, & subjicientur domui tuæ. Qui tristissimo rerum eventu edoctus, qui stultorum magister esse dicitur, tandem perspexit, quid verborũ nubes tempestatis occuluisset, cùm sua vi & hostili impetu tertium irruere inimicos suos videret, qui domui ejus subjicerent UR, quod Chaldæis ignem denotat, eoq; compellerent hominem angustiæ, ut domi suæ securus omninò esse non posset. Ad veteratoris autem infernalis ingenium affabrè compositi sunt, qui similibus responsorum cothurnis probos ac animi integros legatos eludere data opera studeant. Sed tamen & decepti ea ra- 37
tione

Ioach. Cam. in Not. ad Soph. Elect.

Alber. de Ros. & ex eo Everh. in Top.

cautum fuerit, nihil tamen satis cautum sit. Conqueri ea de re
adversus Gallos superioribus ætatibus consuesse Anglos, Co- 47
minæus scribit, quòd in publicis legationum actionibus, pa- *Com.lib.5.*
cisque & fœderum tractationibus, nunquam non supplantati
callidè ab illis fuerint, etsi armorum cōtentione superati nun- *Bod.lib.5 de*
quam. Ita vicissim Franco Gallos conqueri affirmat Bodinus, *rep.n.105.*
sese multoties in iisdem rebus esse circumventos ab Hispanis. 48
Atq; hi quidem quàm integriter & candidè in responsis, in li-
teris & promissionibus suis versentur, etiam nostræ superioris
memoriæ historiæ abundè posteritati loquuntur. Prædicant
autem illud summoperè de sua gente Avila, & Antonius Læ- 49
va, quòd glaucomam, ut Plautus ait, objicere aliis populis Hi-
spani facilè possint, faciantq;, ut quod viderint, ne viderint.
Egregiam verò laudem: iisdem enim artibus etiam barbaros 50
in Moscovia uti solere testatur Heidenstenius, affirmante ea- *Heid de bell. Mosc.*
dem doctissimo Warsevicio, quòd aliud promittere, aliud mit- *Warf.in d. ora.*
tere soleant, atque saccularìorum more ac crimine pro veris & *l.7.ff.de extra-*
conceptis fœderũ formulis furtim falsas supponere, eamq; ob *ord.*
causam non nisi cautissimos & sagacissimos homines cum illis 51
esse in tractatione negotiorum committendos idem suadet.
Sed & suapte natura, etsi cum vafris & callidis illis ingeniis non
colluctandum fuerit, legationum tamen consilia & responsa, 52
utpote majoris res momenti, majorem diligentiam & cautio- 53
nem desiderant. Unde Tiberius, etsi cætera pleraq; illaudatus,
in eo tamen ad exemplum, quòd neq; provincialibus, nedum
gentium legatis, unquam respondere solus voluerit, sed sem- *Dion.l.57.in v.*
per adhibuerit & missarum gentium & rerum tractandarũ vi- *Tiber.*
ros peritissimos. Ridendus itaq; meritò ille Indorum regulus, 54
qui ut Curtius memoriæ prodidit, tum temporis responsa le- *Curt.de reb. Alex.lib.8.*
gatis dabat, quando comas pectebat, seseq; ornabat, & ex ton-
strina, non ex solio & tribunali jura dicebat. At hîc cum Comi-

eo exclamandum eſt: Tantámne rem tam negligenter agier?
55 ſed non ſolùm ut ne negligenter, ſed ut ne quidem indecenter
reſponſa fiant, videndum eſt. Reſponſi autem informatio ea
congrua eſſe & conveniens exiſtimatur, quæ antecedentis in-
l. tit. reſponſum 15. de tranſact. terrogationis ac poſtulati modo, tanquam menſura menſura-
Bart. ibid. to, & calceus pedi congruit. Unde fit, ut nonnunquam fero-
56 cius poſtulanti, ferocius reſpondeamus; ſuperbè mandata le-
gationis proponenti, ſuperba reſponſa referamus, ſecundum
illud Heſiodi: αὐτῷ τῷ μέτρῳ: *menſura parili*. Nam ſecundum illud
Prov. 26. ſapientis, prudenti juxta prudentiam, ſtulto juxta ejus ſtulti-
tiam reſpondendum. Idq; legum auctoritate approbatum. Ita
57 Tarentinorum legatorum ſuperba & ferocia mandata ſuper-
Liv. lib. 9. biore reſponſo compenſata, apud Livium legimus. Sine cauſa
autem reſponſa arrogantia ac inſolentia non ſolùm homini-
58 bus exoſa eſſe; non tam fœminea, quàm virili prudentia, diſſe-
Dyon. Halyc. lib 8. rit Veturia ad filium Coriolanum, quorum neminem tandem
Bebel. in Apop non pœnituit, teſtimonio Rudolphi Imp. I. qui illud crebro
59 ſermone uſurpaſſe dicitur. Neq; enim ſolummodò Tarentini,
teſte Cicerone, ob ſuperba legatis reſponſa reddita, urbe ever-
ſa olim puniti: ſed & majorum noſtrorum ætate, propter uni-
Com. lib. 1. de bell. Burg. cum aſperius & inſolentius reſponſum, Burgundicis flammis
60 lilium Galliæ fermè deflagraſſe viſum. Quis enim hominum
etiam inferiorum, nedum principum ac magnatum, eo animo
adverſus faſtuoſos atque inſolentes non invenitur, quo ſe Fri-
dericus Imperator III. fuiſſe prædicavit, quem dicere ſolitum
Sylv. in fact. & dict. Frid. III. accepimus, *neq; ſe ſtultis poſſe delectari, neq; ſuperbis eſſe amicum*. At
illud, quod diximus, eò pejus, ſi fortè literis reſponſa conſigna-
61 ta duriora referantur. Manent enim literarum, quàm vocis
Arrian li. 2. de reb. Alex. geſt. vulnera diutiùs, & penetrantiùs hærent. Fuiſſe autem literis re-
62 ſponſa conſignari ſolita ex Alexandri reſponſis ad Darium
miſſis perſpicuum eſt. Sed etſi voce nuda tantùm, ut plerunq;

M fit,

fit, reſponſa reddantur, diligentis tamen & cauti oratoris eſt, *Brun. lib. 5. de*
ſcriptum exemplum in gravioribus rerum momentis dati re- *lib. c. 22.*
ſponſi poſtulare: nec Druidum veterum more, ſoli memoriæ 64
audita omnia concredere. Tutiùs enim eſt aliorum verba, quo-
quo modo prolata fuerint, quàm ſua, quæ captari & mutari 65
facilè poſſunt, renuncianda referre. Inepti autem mandati & *Brun. ibid.*
congruè inepti reſponſi redditi, apud Suetonium memorabile
exemplum legitur in Ilienſium legatione ad Tiberium, quibus 66
olim propter inclytam nobilitatem civitatis, & propter con- 67
junctionem originis Romanæ immunitates & privilegia mul-
ta conceſſa. Quid verò illis? Cùm jam pridem doloris memoria *l. non tantùm 13. §. 1. ff. de excuſ. l. 1. §. 2. ff. ad municip.*
obliterata, Imperatorem conſolatum de Germanici obitu ſe-
riùs veniſſent: irridens Cæſar, ſe quoq; ait, illorum vicem do- *Tacit. An. 12.*
lere, quòd olim egregium civem Hectorem amiſiſſent. Simpli-
citati autem & ruſticitati, jure parcendum erit. Quod pruden- 68
ter à Cameræ Imperialis Præſide & aſſeſſoribus obſervatum 69
in Helvetiorum quadam ad Cameræ judicium miſſione acce-
pimus, teſtante idem Polonorum oratore Warſevicio. Cùm *Warſ. d. orat.*
enim illi, crebrioribus mandatis ad Cameræ judicium, tan-
quam imperii ſubditi, cujus ſubjectioni ſeſe facti violentia, 70
non juris via ſubtraxiſſe videbantur, vocarentur, miſſi ab illis
ſunt, qui contra ejuſmodi mandata mittenda proteſtati, Ca-
meræ denunciarent, nullam ſeſe ejus juriſdictionē agnoſcere,
ideoq; petere, ut ſeſe in poſterū miſſos facerent. Quod cùm ii,
qui miſſi erant, incivilibus atq; ineptis, aſperiſq; ac propè con-
tumelioſis verbis proferrent, uſi proletario & vulgari verbo,
ne ſeſe in poſterum Camerales vexarent, quod Germanica lin-
gua obſcœniùs, neque ſine injuria dici videtur, placidiore ta-
men reſponſo ſimplicitas iſta hominum potiùs correcta, quàm
duriore & aſperiore verbo, ut aliis digna videbatur, excepta eſt. 71
Cæterùm in aptè & commodè reddendis reſponſis ſolent hanc

 ratio-

rationem observare, ut primùm per ἀνακεφαλαίωσιν, ut rhetorum
l. un. § 21 ff de verbum est, repetant & iterent ea omnia κατὰ πόδα, ut jura lo-
concept. ff. quuntur, hoc est, juxta verbi vestigium, & deinde ad singula ca-
72 pita & mebra respondeant. Quam respondendi formam in Saxonia receptam, ipse animadverti, & in aliis Germaniæ aulis
Brun. d. l. c. 15. & dicasteriis olim esse observatam, Brunus testatur, quæ etiam in literis hodie attenditur: Romanos autem non certam aliquam & præscriptam formulam secutos, sed quemq; pro suo ingenio, captu, dicendiq; facultate, & pro re nata respondisse,
73 ex historiarum monimentis facilè evincitur. Nec referre existimandum est, ut Brunus ait, *sive perpetuò, & eo omninò, quo di-*
Brun. d. l. *cta sunt, ordine postulata iterentur: sive singulis capitibus postulato-*
74 *rum cum singulis responsis conjunctim, per totam orationem aptè distribuantur: modò dilucidè omnia, & quantum natura postulatorum responsorumq; patitur, commoda brevitate dicantur.* Hæc ille. Sed in altero, meo judicio, plus memoriæ, in hoc plus artis positum: de qua re memini olim mecum differere nobilissimum, & tum publici, tum privati juris, rerumq; politicarũ consultissimum
75 virum, Eberardum de Weihe, legationum studiis & usu exercitatissimum, variisq; in Electorum Principum aulis primario consulendi & orandi loco ac dignitate summa perfunctum, cujus, ut dissertissimi & prudentissimi legati judicio libens hæc omnia, quæ de legationibus lucubravi, subjicio, cùm me plurima horum ab illo audisse, & in illo observasse, in binis imperii comitiis, quæ Ratisbonæ, annis 94. & 97. celebrata sunt, inge-
76 nuè fatear. Cæterùm responsorum brevitas (est ea quasi propria regum & principum in loquendo virtus, unde Galbæ ora-
Tacit. lib. 17. Annal. tionem gravissimè Tacitus *Imperatoriam brevitatem* appellat, idq; summoperè in Theodorico, Gothorum rege, commen-
Sidon. Epist. ad Agric. dat Sidonius, quòd plurima audierit à legatis, pauca verò eaq; aptè & congruè responderit) me hoc loco monet, ut & ipse de hujus

hujus capitis brevitate, & de calce tractatus cogitem. Sed postremò tamen, tanquam sigilli loco, de sigillo & subscriptione quædam apponere huic Responsorum capiti non erit à re alienum, neque fortè ingratum. Cùm enim & dari literis responsa
possint, & multa in legationum commerciis ultrò citroq; obveniant, quæ scriptis & tabellis confirmanda sint, coginé tum 78
legatus, tum ipse etiam eos, quibus cum rem tractatum venit, cogere atque compellere jure possit, ad sigilli & subscriptionis
appositionem, quærendum. Jure autem civili ideò & subsignationes, quo nomine etiam subscriptiones vocantur, introdu- 79
ctę, ut quod alterius manu, uti plerumque fieri solet, exaratum 80
nomine alterius & jussu fuerit, per scriptionem & sigillum ab 81
eo, qui illa apponit, confirmetur, habeaturq; non aliter, ac si *l.1.§.etsi.ff. quod jussu.*
ipse scripsisset. Est enim subscribere nihil aliud, quàm idē sentire, gratum & ratum habere & confirmare. Fit autem subscri- 82
ptio, cùm nomen proprium, aut solum sine aliquo signo, aut 83
cum signo (quemadmodum Imperatores Germanici à Carolo Magno usq; ad Fridericum II. per signum, in quo literæ no- 84
minis continebantur, subscribere consueverunt) manu pro- *Ang in l si ita stipulatus.§. Chrysogonus.*
pria, vel etiam alterius, cum verbo, *subscripsit*, vel *subscripsi*, subjicitur. Signationum præterea, quæ annulo signatorio fiebant, 85
pervetus consuetudo non solùm in republ. Romana, sed etiam 86
apud alias gentes. Babyloniis enim annulus signatorius, qui 87
Vopisco Sigillaritius, & Herodoto σφρηγὶς dicitur, fuisse tam vul- *Herod.lib.1.*
garis legitur, ut ferè à non nemine gestatus. Et celebris est apud
eundem autorem historia de annulo signatorio Polycratis, *lib 3.*
principis Samiorum, mari, fortunæ periclitandæ causa, merso, & in capto pisce recepto. Nec alium fuisse, quàm signato- 88
rium existimo, quem Pharao Josepho, tanquam Cancellario,
ac intimo consiliario, & patriæ patri, hoc est, majori domus & *Genes.41. d.l 25 ff. de aur.*
proregi dedit, qui non ornamenti, sed summæ potestatis causa 89

89 ad mandata & responsa regis confirmanda datus. Quam po-
90 testatem etiam Augustus Cæsar Mecœnati & Agrippæ, duo-
bus suis intimis consiliariis tribuisse, ut literas, quas & ad sena-
tum, & ad alios daret, lectas, & pro arbitrio mutatas, annulo
signatorio, qui ob eam causam concessus erat, obsignarent, te-
Dion. lib. 51. statur Dion. Contrà, atque Carolus Magnus fecisse legitur, qui
gladii, quo assiduò cinctus erat, capulo sigillũ imperatorium,
Egin. in v. C. quo fidem literarum suarum confirmabat, insertum ferebat,
Stur. in ead. ejusq; usum nemini hominum præterquam sibi ipse credebat.
91 Sed neq; alius mihi fuisse videtur ille, quem Alexander suo Per-
diccæ moribundus concessit, ut per signum ejusdem rem, ut
loquuntur Logicorum scholæ, signatam, nempe potestatem
Æmyl. in vita Eum. jubendi & mandandi summam, & regni hæreditatem relin-
Plin. lib. 32. c. 2. hist. nat. queret. Videtur itaque Plinius, ut solet in multis errasse, qui
scribit: Orientem ac Ægyptum non signare, solis contentam
92 literis, nisi fortè ad privatorum manum potiùs, quàm ad publi-
ci in regnis sigilli gestationem & usum respexerit, ratus, vulgò
non ita crebrum fuisse in Orientalibus oris annuli signatorii
usum, quemadmodum Romæ in omnium digitis erat. Signa-
93 torius autem annulus à signo, hoc est, charactere, forma, &
imagine impressa dicebatur, quæ pro cujuslibet libitu & vo-
94 luntate esse potest varia. Ita Pompejus tribus tropæis in annuli
95 insigni utebatur, quibus & antea Sylla: Julius Cæsar armata
Dion. lib. 42. & 43. Venere, cujus origine sese ab Ænea Trojano profectum jacti-
tabat: Augustus antea Sphinge: deinde sua ipsius imagine, qua
96 postea ejus successores omnes usi, præter Galbam, qui gentili-
Dion. lib. 51. Xiphil. in Epit. in v. ejusd. tium suum signũ, canem nimirum ex navis prora prospectan-
tem, retinuit. Nec verò solis literis, sed rebus custodiendis si-
97 gnatorius adhibebatur, quem natu liberorum majori cum cla-
98 ve paterfamiliâs tradere solebat. Ac de illo annuli usu, locus
Plauti loquitur in Casina: *Obserate cellam: annulum mihi referte.*

Idem

Idem in Amphitruone obsignatæ arculæ mentiónem facit. Ad
cujus custodiæ similitudinem nominavit Lucilius signatam 99
virginem, quam Terentius integram à viro, quæ etiámnum
clausa, quæ Hebræis Alma *cum Mem clauso*, & custoditæ virgi- *Scal. Fil. in not.*
nitatis est. Sed ut ad quæstionem nostram redeamus: quid *ad Priap. verg.*
de legatorum subscriptione & sigillo judicandum? Civilis ju-
ris observationibus legati commercium non teneri jam sæ-
piùs dictum. Est autem & subscriptionis & sigilli addendi con- 100
suetudo non in gentium jure, sed tantùm in singulorum quo-
rundam populorum moribus & ritibus posita, ut etsi Romani, 101
etsi Babylonii aliiq; literis suis utrumque confirmandis & ap-
probandis adhibuerint, non tamen omnium gentium, vel ho- 102
dierno etiam usu sit receptum. Moribus autem suis debere
perpetuò vivere legatum, multoties jam antè clamavimus; ita
quidem, ut si subscriptionis quidem, non autem annuli signa-
torii jus & usum noverit, cogi ad alterius regni mores & insti- 103
tuta non possit: quemadmodum neq; ad legati mores & con-
suetudines, civilesq; constitutiones adigi observandas in fœ-
deribus & pactis ineundis ille potest, ad quem legatus missus.
Tartari suis moribus & consuetudinibus in literarum suarum
consignationibus utuntur, non Polonicis, quando cum Polo-
nis legationum commercia & publica negotia tractant: ita vi-
cissim Polonus suis, non Tartarorum moribus, & sigillum, &
ceram, & subsignationem literarum suarum Tartaro danda-
rum instituit. Illud tamen legato non prætermittendum, quin
summo studio curet, ut, si juris & moris sit apud illos, ad quos 104
missus est, literis subscriptiones & sigillum apponere, sine sub-
scriptionibus & sigillis literas ne accipiat, etsi ipsius literæ mo-
re suæ gentis utroq; careant. Nam & Tiberium legimus literas 105
Rhodiorum, in quibus subscriptio omissa erat, tanquam ine-
ptas & invalidas remisisse, cùm eos Romano jure, cui tum

tem-

temporis Rhodii subjecti, scribere ac signare oporteret. Obser-
Cic. in Q. Calium. vet itidem, ut non nisi publica & legitima imagine & sigillo,
105 ceraq́; , quę publico nomine scripta sunt, obsignentur. Est enim
& in ceræ colore hæc differentia, ut alia privati juris, alia publi-
Bod. lib. 1. c. ult. cæ auctoritatis & majestatis sit. Quemadmodum cera rubea
106 in Imperio, qua Imperator, principes, & eminentiores nonnul-
li Comites, in diplomatis & mandatis signandis utuntur, uti
etiam Academiarum Rectores, Decani, doctoresq́; eandem
usurpant. Viridem verò vulgo epistolis privatis adhibemus.
Flavam ceram reges Galliæ sigillis adhibent, magniq́; beneficii
loco permissum Renato, Neapolitano ac Siciliæ regi, à Ludo-
107 vico XI. Franco Galliæ rege, ut eadem uti liceret. Quod autem
Aur. Bull. tit. 26. ad Romani imperii obsignationem pertinet, duo sigilla, quæ
108 etiam Typaria dicuntur, existunt, quorum alterum majus, al-
terum minus appellant. Atque illud vulgò Bullam, hoc specia-
tim sigillum nominatur, ea olim differentia, ut ante Romani
109 Pontificis coronationem Imperator Bulla nō uteretur, quem-
Clem. Roman. in fin. admodum ex Clementis V. Constitutione observare licet, idq́;
Pet. de Ant. de Imp. Rom. lib. 2 c. 5. receptum consuetudine fuisse testatur Petrus de Antlo. Sed &
præterea majoris sigilli auctoritas majoris momenti negotiis
110 confirmandis est, unde Majestas quondam dicebatur. Et hinc
Fich. in Not. ad d. loc. Aurea Bulla Caroli IV. Imperatoris, qua imperii firmamen-
tum continetur, in omnium ore versatur. Hoc itaque sigillo
etiam prisca Imperii ætate legatorum literæ muniebantur, &
111 χρυσόβουλα dicebantur, quæ per dispositionem magni Logothe-
tæ, ut Bodinus scribit, ad reges mittebantur. Quo nomine et-
iam Cæsareæ Constitutiones insignitæ, quæ auctoritatem &
112 robur perpetuum obtinebant, quibus aurea Imperatorū bul-
Agmon. in Not. ad Europ. la dignitatis & auctoritatis amplioris gratia appendebatur. Sed
lib. 4. c. 2. de off. & dign. Canc. de sigillis imperialibus copiosiùs alibi egimus. Nunc verò codi-
cis ut extrema ad ceram legatus noster festinet, obsignatū hisce
caput de responsis volumus.

CAP.

CAP. IX.

Dimißio legati.

SUMMARIA.

1 *Vasa conclamare quid.*
2 *Lotophagorum more legato non emanendum.*
3 *Desertor quis castrensi lege.*
4 *Emansor quis jure militari.*
5 *Legatus quando desertor & emansor.*
6 *Hersfeldia Alcuini ossa tegit.*
7 *Beda quando discesserit.*
8 *Otto Landgr. Hassiæ administrator Hersfeld.*
9 *Alcuinus ad Carolum Magnum legatus, ejusq; præceptor.*
10 *Alcuinus legationem deseruit.*
11 *Hermolaus Barbarus legationem Venetorum deseruit.*
12 *Hermolai Barbari epitaphium.*
13 *Hermolaus ad P.P. Innocentium missus.*
14 *Emansores similes corvi Noæ.*
15 *Fidelis legatus delitiarum vinculis non alligatur.*
16 *Legatus non potest moram suam privatorum negotiorum tricis excusare.*
17 *Legatus non potest domum foris emere.*
18 *Mercaturam exercere legatus nequit.*
19 *Mercatura legato sordidissima.*
20 *Suppellex legatorum à vectigalibus immunis.*
21 *Florentini legati propter mercaturam ludibrio habiti.*
22 *Emptio necessariarum rerum legato concessa.*
23 *Debitorum causa legatus convenitur.*
24 *Iudex legati quis.*
25 *Legatus sub specie immunitatis nō debet res alienas domū auferre.*

26 *Locupletior nemo cum alterius damno debet fieri.*
27 *Debere Persarum moribus turpissimum.*
28 *Latace herba legatis Persicis data, fictione Asclepiadis.*
29 *Persarum legati debitis oppressi.*
30 *Otto Imperator Rom. debitorum fluctibus obrutus.*
31 *Ludovici XI. regis Franciæ dicterium: satiùs esse nihil largiri, quàm debere.*
32 *Callipedes legatus non esto.*
33 *Tiberius Callipedes dictus.*
35 *Mora ob debita ex non necessaria causa facta non excusatur.*
36 *Dimissio minùs honorifica culpa legati facta legato imputatur.*
37 *Dimissio honorifica etiam hostium legatis præstanda.*
38 *Hostium legati quando dicantur honorificè dimissi.*
39 *Iure legationis non solùm accedendi, sed etiam recedendi tutum iter præstandum.*
40 *Securitas veniendi includit securitatem recedendi.*
41 *Pontifex jura omnia in scrinio pectoris recondita se jactitat habere.*
42 *Pontifex Leo X. Paulo Bajonio veniendi, non autem recedendi securitatem præbuit.*
43 *Tucca Illyriorum regina redeuntem legatum occidit.*
44 *Romani honorificè hostium legatos reduxerunt.*
45 *Carthaginensium legatis redeuntibus duces dati.*
46 *Dimissionis honorificæ ergò munera legato dantur.*
47 *Multa honestè dantur, quæ non honestè accipiuntur.*
48 *Atheniensium lex de non acceptandis in legationis muneribus.*
49 *Mulier nihil intelligitur aliunde habere, quàm ex bonis mariti.*
50 *Largitionibus etiam prudentum oculi excæcantur.*
51 *Corinthiorum lex contra legatorum δωροδοκίαν.*
52 *Epicrates ob accepta munera damnatus lege Attica.*
53 *Callias accepti muneris pœnam sustinuit.*

54 Phi-

54 *Philocrates ob δωροφαγίαν mulctatus.*
55 *Venetorum lex de non muneribus accipiendis in legatione.*
56 *Barbarus Venetorum lege absens condemnatur.*
57 *Philosophorum est pecunias contemnere.*
58 *Moribus gentium donationes in legationibus frequentatæ.*
59 *Lautea honoris ergò, non corruptionis gratia danda.*
60 *Germani veteres aurum & argentum susq; deq; habuerunt.*
61 *Suitenses superiore ætate aurum & gemmas ignorarunt.*
62 *Germani veteres dona legationis ostentarunt.*
63 *Legatio largitionis expers contemptim habita.*
64 *Germani veteres indignè tulerunt legationem fuisse donationis sterilem.*
65 *Romanorum in Lauteis ferendis magnificentia.*
66 *Lautea etiam in provinciis à præsidibus data.*
67 *Pannicularia ad munerationes legatorum conversa.*
68 *Fisci colligendi ratio similis fluviorum collectionibus.*
69 *Flumina ex puris & impuris aquis colliguntur.*
70 *Fiscus Vespasiani ex lotii vectigalibus.*
71 *Romani non solùm dederunt, sed etiam ipsi munera acceperunt in legationibus.*
72 *Xenia etiam proconsulibus permissa.*
73 *Xenia à muneribus jure civili distinguuntur.*
74 *Munera senatusconsulto prohibita magistratibus.*
75 *Deo & legi & principi manus puræ in administratione magistratuum servandæ.*
76 *Xenia senatusconsulto de prohibitis muneribus non continentur.*
77 *Xenia & Lautea tollere inhumanum.*
78 *Lex Attica de muneribus explicata.*
79 *Munera ab hostibus accepta suspecta.*
80 *Hostium δῶρα ἄδωρα.*
81 *Munera quæ nihil suspicionis alunt, non interdicta.*

82 *Atheniensium legatus ad Sicilia regem missus munera accipit.*

83 *Demosthenes Philippi regis munera cur recusarit.*

84 *Demosthenes Æschinem accepti contra legem muneris arguit.*

85 *Corinthiorum abstinentia à rege Siculo tanquam absurda, neq; ex mente legis correpta.*

86 *Ordinaria munera prohibitione legis non continentur, neq; hospitalia.*

87 *Barbarus non ut legatus legationis munus, sed ut privatus hospes jure hospitii Xenium à Pontifice accepit.*

88 *Hospitalia munera à legationis muneribus separata.*

89 *Legationis munera dubitationem movent, utrum misso, an mittenti cedant: itidem hospitalia.*

90 *Moscovitarum moribus legat. munera cedunt mittenti.*

91 *Romanorum moribus olim in ærarium delata legatorum munera.*

92 *Hospitalia munera ærario non debentur.*

93 *Munera legationis non possunt jure à mittente vindicari.*

94 *Quod per honorem alterius quis accipit, ejus est, qui accipit, nō ejus, per cujus honorem & gratiam accipitur.*

95 *Munera benè actæ legationis testimonia.*

96 *Hermannus Vultejus aureo torque in legatione Danica à rege donatus: & Burchardus Lucanus insigni monili à rege Britanniæ.*

97 *Fabritius maluit aurum habentibus imperare, quàm ipse aurum possidere.*

98 *Andreas Paulus legatus Electoralis Saxoniæ ad Venetos munera preciosissima ibidem data reliquit.*

99 *Phocionis abstinentia ad Alexandrum missi.*

100 *In muneribus repudiandis prudentiæ temperamentum adhibendum.*

101 *Invito nemini beneficium confertur.*

102 *Deorum munera non rejicienda, secundum Homerum; ita nec principum.*

103 Gra-

103 *Gratia gratiam parit.*

104 *Munera quæ legatus reddit, spontanea vel remuneratoria.*

105 *Munera legationem maximè commendant.*

106 *Babylonicus rex legationem sine munere contempsit.*

107 *Dare, quàm accipere malit princeps.*

108 *Dare regium, accipere servile.*

109 *Munera non sint accipientis dignitate inferiora.*

110 *Persarum reges vilissima munuscula à subditis accipiebant.*

111 *Subditorum munera non tam honoris, quàm subjectionis ergò accipiuntur.*

112 *Maximilianus Imp. I. vitrea pocula Venetorum sibi donata frangenda curavit.*

113 *Vitri dati significatio mystica.*

114 *Munera mystica mitti solita non honoris, sed irrisus gratia.*

115 *Schytarum ad Darium dona missa mystica.*

116 *Mystica munera, quæ sarcasmon ferunt, non accipienda.*

117 *Raritas & artificium munera nonnulla commendat.*

118 *Persarum regis ad Carolum Magnum missa munera, horologium, candelabra, & Elephas.*

119 *Regi Galliæ, quæ ab Electore Brandeb. munera oblata.*

120 *Marius instar fugientis felis cum odore gravi dictus discessisse.*

121 *Persarum legati privata munera in aula Mauritiana quæ reliquerint.*

122 *Preciosissimus acinaces nobilissimo viro Ottoni à Starschedel, consiliario Hassiaco, donatus à legatis Persicis.*

123 *Dimissionis honorificæ ergò non solùm duces ac comites, sed etiam literæ ut ostendantur legatis in itinere visu digna addi solent.*

124 *Curiosè alterius regni arcana non scrutanda.*

125 *Saguntinis legatis Romani licentiam Italiæ perlustrandæ dederunt.*

126 *Turcicis legatis Germaniæ lustratio concessa.*

127 *Hostium legatis imperii arcana aperire inconsultum.*
128 *Hostibus ne gustus quidem earum rerum, quæ illicere illos possint, concedendus.*
129 *Galli in Italiam ab Hetruscis bonitate soli illecti.*
130 *Longobardi à Narsete vini Italici gustu pellecti ad Italiam invadendam.*
131 *Longobardorum reges legatis exteris delitias & bonitatem regni sui studio summo occultarunt.*
132 *Thesauri legatis non ostentandi.*
133 *Pecuniarum ostentatio multum levitatis in se habet.*
134 *Ezechias rex Iudæorum à Deo obiurgatus, quòd legatis exteris thesauros suos ostendisset.*
135 *Henricus V. Imp. à Polonorum legatis irrisus, quibus suos thesauros ostendebat.*
136 *Familia nobilis in Polonia* Habedanck *unde nomen duxerit.*

1 VAsa nunc agedum nostra militari ritu conclamemus, & de discessu honorifico cogitemus. Nec enim responso accepto, diutiùs legato fideli, Lotophagorum exemplo, revertendi domum memoria exuta, apud exteros hærendũ. Quandoquidem, ut lege castrensi, desertor ille judicatur, qui ulteriùs, quàm ut signorum cantus audiri queat, secedit, ac emansor, qui per prolixum tempus hinc inde vagatus, seriùs ad castra regreditur: Ita legationis desertor ac emansor habendus, qui mandatis expositis, responsoq; accepto, aut prorsus, vel diutius emanet, & renunciationem suam negligit, aut gratiâ & donis ac promissis exterorum corruptus, aut delitiis & illecebris regionis peregrinæ captus, aliisve invitamentis seductus. Alcuinum (cujus monumentũ & ossuarium patria mea Hersfeldia ostendit, in antiquissima regalis ac exemptæ Abbatiæ Ecclesia, quæ eodem anno, quo venerabilis Beda decessit, hu-

Cæs. lib. de bell. civil.

2

3

Ap. de bel. Pun.

4

5

6

7

manæ

manæ redemptionis ſeptingenteſimo ſexto, condita eſt, cujus Lamb. in Chro.
adminiſtrationi nunc temporis, cùm hæc editioni ſecundæ
committerem, feliciſſimè præeſt reverendiſs. & illuſtriſs. prin- 8
ceps Otto, Landgr. Haſſiæ, &c. illuſtriſſimi Principis Mauritii
primogenitus, qui ad celſiſſima patriæ virtutis faſtigia ſecun-
diſſimis gradibus contendit) à Scotiæ rege ad Carolum Ma- 9
gnum miſſum legatum emanſiſſe, ſeſeq; in gratiam ac fidem &
officium Magni dediſſe, arteſque Logicas & Mathematicas, a- 10
ſtrorumq; ſcientiam Imperatorem docuiſſe accepimus. Benè
quidem ille, quòd Imperii noſtri caput ſapientiæ fonte irriga- 11
rit: Sed malè, quòd legationis provinciã deſeruerit. Ita & Her- 12
molaus à Venetis Romam miſſus, Romæ remanſit: Romæ
diem ſuum obiit, quemadmodum epitaphii verſus docet: 13

Vrbs Venetum vitam, mortem dedit inclyta Roma,
Non potuit naſci, nobiliúsve mori.

Remanſit in Polonia à Florentinis miſſus Philippus Callima- Chytr. in chro-
chus, poëta & orator ac hiſtoriæ ſcriptor elegans, cui Cracoviç nolog. Iov. in
rex Joh. Albertus æneum monumentũ poſuit. Remanſit ibi- elog.
dem ad Stephanum regem miſſus Andreas Lorichius Germa- 14
nus, à Suecorum rege Johanne III. miſſus. At ejuſmodi lega- Warſ. d. orat.
tos ſimiles corvi illius dixeris, qui ad ſiccitatem terræ explo-
randam ex Noæ navi emiſſus, nunquam ad mittentem rediit. Moſ. Gen. 8.
Fidus verò & induſtrius legatus, neque ullis ſeſe eſcariis delitia- 15
rum vinculis, ut Plautus loquitur, neque Circeis voluptatibus,
neque largitatibus ullis alligari ſinit, ſed remis veliſque, quan-
tum poteſt, contendit, ut quàm citiſſimè, reſponſo accepto,
domum reverſus legationem renũnciet. Neque enim habere
poteſt, publicis negotiis perfectis, quod remoram ituro objice-
re poſſit, cùm privatorum negotiorum occupationibus, ut ſu-
prà oſtendimus, implicari nullis debeat. Ideoq; excuſare ab-
ſentiam longiorem, cum illis Evangelicis invitatis hoſpitibus, 16

vel

17 vel ductæ uxoris, vel empti agelli, vel comparati bovis causa nequit; quandoquidem & provinciali legato foris domum emere senatusconsulto interdictum, multò verò minùs legatus vel merces adducere vel abducere mercaturæ gratia potest, etsi alii, qui comitentur iter legationis, id facere possint, ut mercibus commutandis studeant. Legato autē illud omnium sordidissimum foret, si, quod Jovius scribit, Florentinorum legatos, viros Patricios, ad Carolum V. Imperatorem, & Pontificem Clementem VII. Bononiam missos, fecisse, imitari idem vellet. Illi enim nonnihil secum mercis tanquam legationis vasa & suppellectilem, quæ à vectigalibus immunis, in urbem convexerant, sed dolus & fallacia à publicanis olfacta & deprehensa, risum & contemptum ludibriumq; ipsis peperit, ut tanquam indigni legationis splendore, inaudita causa, fuerint dimissi. Emptione autem earum rerum, quæ propriū in usum & necessitatem conferuntur, legato propter senatusconsultum non abstinendum: providendum tamen, ut nominibus factis ante abitionem omnibus satisfaciat. De omnibus enim contractibus, quos tempore legationis legatus init, judicium accipere non immeritò cogitur conveniendus coram judice ejus loci, in quo contraxit, cui sese per contractum, uti etiam per delictum, cùm aliâs subjectus non esset, obnoxium fecit. Illud autem & jus gentium, & naturalis æquitas dictat, quod Julianus argumenti & rationis ergò addit; ne potestas legatis sit, immunitatis specie res alienas domum auferendi. Estque hoc omnium, secundum vulgatam regulam æquissimum, ne quis cum alterius damno fiat locupletior. Debere autem, uti Persarum moribus turpissimum erat, ita à legationis dignitate alienum. Latacen itaque herbam nostro legato præstò esse optarim, quam Asclepiades dixit olim à Persarum rege legatis dari solitam, ut quocunque venissent, rerum omnium copia abundarent.

Margin: 18; 19; 20; 21; 22; 23; 24; 25; 26; 27; 28 (paragraph numbers beside the text).

l. Legatus 2. ff. de leg. — l. 4. C de commerc. — Jov. lib. 28. — l nobiliores, C. de comm. — Gent. lib 3. de leg. c. 20. — d. l. 15. — Herod. lib. 2. — Plin. lib. 26. hist. natur.

darent. At nos per Latacen hoc loco non quidem herbam ul- *Plin l. 8. §. 12. ff.*
lam, sed legativum splendori legationis necessarium, intelligi- *de mun.*
mus. Valdè autē legationis autoritatem, & honorificam legati
discessionē obscurat egestas, & creditorum importuna flagita-
tio. Quod quidem nuper accidisse Persarum legatis hinc inde
comperimus, ut postquam largitionibus magnificis sese ex- 29
hausissent, factis nominibus quàmplurimis, debitorum quasi
fluctibus obruti (ut de Ottone, Galbæ optimi senis occisore 30
pessimo, Plutarchus loquitur) hæserint. Consultius autem fuis-
set illos intellexisse illud, quod olim Luodvicus XII. rex Galliæ
pronunciare fuit solitus: *Sapienti regi satius esse nihil debere, quàm* 31
multa largiri. Rubori est autem legato per debitorum impedi- *Iov. in illustr.*
menta fieri, & dici Callipedem, ut quidem quotidie abituriat, *vir.*
neq; unquam tamen abeat. Quo joco Tiberium vexatum vul- 32
gò Romæ fuisse ferunt, cùm vehiculis, commeatibus, omni-
busq́;, quæ ad iter necessaria erant, multoties dispositis abitu-
riret, nunquam tamē urbe abiret. Notarunt autem Græci hoc 33
nomine eum, qui cursitare quidem, sed tamen, ne cubiti qui-
dem mensuram progredi dicebatur. Nec verò tardior, si fortè 34
ob eam causam factus reditus sit, cùm profusionis & intempe-
rantiæ, nimieq́; largitatis & prodigalitatis culpa debita fuerint 35
contracta, excusationem mereri potest, siquidem non nisi ne-
cessaria causa, & ordini patriæ probata, moram longiorem ex- 36
cuset. Dabit autem noster operam, ut non solùm maturè, sed
etiam honorificè dimittatur. Quod si enim ipse legatus ali-
quam suâ culpâ causam præbuerit, quò minùs honorificam
dimissionem, solennemq́; splendorem abitio ejus sit consecu-
ta, non minùs infideliter & imprudenter administrati muneris *arg. l. non solùm*
accusari poterit, quàm si in aliis legationis partibus officio suo *11. ff. de injur.*
defuisset. Honorifica autem dimissio nunc majoris, nunc mi-
noris exhibitionis est, prout legationis vel dignitas, vel gratia

37 feret. Nec enim cum tanta honorum exhibitione dimittitur hostium legatus, quanta vel amicorum, vel confœderatorum, vel comiter conservantium, honorificè tamen uterque dimittitur, si eo modo, quo dimitti quisq; id genus legatorum solet. *l.7 ff. de captiv.*

38 Hostium legati, etsi neque muneribus, neque viatico per provinciam accepto, neque aliis honoris causâ exhibitis officiis, discedant, nihilominus honorificè dimittuntur, si sine injuriis & contumeliis, sine jurgio & indignatione salvi & incolumes remittantur, idq; illis præstetur, quod præstari hostium legatis

39 soleat. Illud autem jure legationis ipsis debetur, ut quemadmodum accedendi iter tutum & inviolabile habuerunt, ha-

40 beant etiam recedendi securitatem eandem. Securitas enim veniendi includit securitatem recedendi. Iniqua itaque & in-

41 digna Pontifice ista vox, qui jura omnia in pectoris sui scrinio

42 se habere jactitat, cùm Leo X. Paulo Bajonio securitate ad se veniendi concessa, recedendi securitatem non comprehendi diceret, ideoq; contra fidem datam eundem capite mulctaret. *c. licet 1. de const. Sext.* *Guic. lib. 15.*

43 Nec minùs nefariè & sceleratè egit regina Illyriorum Tucca, cùm Romanæ legationis reditum, ac si securitatem non amplius deberet, homicidiis cruentaret. At Romani, ut eò tutius legati hostium reverterentur, abeuntibus duces & custodes *Menoch. de arbit. 18.* *Polyb. lib. 2.*

44 usque ad fines sui territorii adjungebant, eoq; modo remissos, Carthaginensium caduceatores Livius testatur. Favorabilium *Liv. lib. 10.*

45 autem legationũ dimissiones eò honoratiores sunt, quò tum amicitiæ, tum hospitalitatis officiis & largitatibus cumulatio-

46 res. Non solùm enim honorificæ exceptionis, sed & dimissionis munera legatis exhiberi solent. Verùm, quid hîc legato nostro dandum consilii? multa enim honestè quidem offeruntur, *L. 1. 2. & seq. de cond. ob turp. causam.*

47 quæ tamen honestè non accipiuntur. Utrum igitur contrahemus potiùs an explicabimus manum? Diversa veterum ea de

48 re instituta & scita. Corruptionis periculum & suspicio causam

ſam præbuit legi veteri Atticorum, quâ pœna ſanguinis munerum acceptio in legationum functionibus prohibita. Eandem verò ob cauſam mulierem aliunde, quàm ex bonis mariti quippiam acquiſiviſſe, juris civilis providentia non permittit, 49
quò turpis quæſtus ſuſpicio in matrimoniis evitetur. Facilè autem excœcari etiã prudentium oculos largitionibus, priſcum 50
ipſius Jovæ dictum eſt. Moti itaq; eadem cauſa, qua Athenienſes, veteres Corinthii, eandem contra legatorum δωροδοκίαν le- 51
gem ſanxerunt. Atticę autem legis ſeveritate judicatus Epicra- 52
tes, & capitis damnatus, quòd legationem, munerum acceptione inceſtaſſet, quem neque reducti ex Pyreo populi beneficium, nec alia in rempubl. merita ſupplicii gravitate ſublevare potuerunt. Condemnatus eandem ob cauſam Callias, qui 53
etſi, ob glorioſam cum Perſis initam pacem, glorioſis muneribus dignus erat, accepti tamen in legatione Perſica doni pœnam, mulctatus talentis quinquaginta, ſuſtinuit. Nec Philocrates, quòd donatus à Philippo Macedone rediiſſet, impunè il- 54
lud tulit. Atque hujus veterum Græcorum ſanctionis ſervantiſſimi ſunt etiam Veneti, quorũ ſcitis, capitale legato eſt, mu- 55
nera in legationis functione acceptaſſe. Cujus quidem legis ſeveritatem non potuit clariſſimus oratorum, quem antea nominavimus, Barbarus evadere, quin etiam abſens patriæ ſuf- 56
fragiis condemnatus fuerit, quòd contra legem munera pontificia contrectaſſet. Sed hæc potiùs ex Xenocratis philoſo- 57
phorumq; ſchola, quorum pecuniam contemnere eſt, & ex Curiorum domo diſciplina emanaſſe videtur, quàm ex veteri 58
legationis jure, moribusq; gentium defluxiſſe. Vetuſtiſſimus enim gentium propè omninm mos fuit, non ſolùm per legationis commercium munera à miſſis ad ſe accipere, ſed etiam tum mittentes, tum miſſos ἀντιδώρεις, viciſſimq; datis donis pro- 59
ſequi, quæ certè non corruptionis ullius aut malitiæ, ſed ho-

Xenoph. lib. 7. ἑλληνικῶν.

Deut. 16.

Vay. de leg. c. 12.

 noris

noris & benevolentiæ, amicitiæq; signum, ac memoriæ con-
servandæ argumentum & titulum ferre sunt dicenda. Eam ob
60 causam priscæ simplicitatis nostri Germani, etsi auri & argenti
precium nihil fermè penderent (uti superioris seculi memoriâ
61 etiam Helvetios & aurū & gemmas cum Æsopico Gallo igno-
62 rasse testatur Cominæus) tamen vasa ea argentea asservabant,
& honoris causa ostentabant, quæ honorifico legationis
Tacit. de mor. titulo ipsis erant foris donata. Tam solennia autem & ordi-
naria in legationibus munera erant, ut ingrata æstimaretur
63 missio & contempta, omnisque honoris expers esse, quam do-
natio munerum nulla commendasset. Propterea ægrè non
64 solùm tulisse, sed & indignatos vehementer Germanos fuisse,
Amm. lib. 16. si vacui munerū ex legationis functionibus revenissent, Mar-
cellinus scribit. Romani verò, ut & fortunæ & imperii splen-
dor ferebat, indonatum (hostium excipio) legatum ferè nul-
65 lum dimittebant, sumptibus immensis in hanc rem collatis,
neque hoc solùm in urbe, sed & in provinciis ita servabatur, ut
66 si fortè exterorum legati transirent, præsidum etiam muneri-
l. divus 6. ff. de bon. damn. bus, nomine principis & reipubl. afficerentur. Illud autem,
quò minore cum onere ac gravamine provincialium fieret,
67 constitutum propterea est, ut & pannicularia, quæ compendio
suo vertere præsides, aut intervertere optiones ac commenta-
rienses solebant, publico fisco cederent, servarenturq; tum ad
alia necessaria impendia, tum ad barbarorum, hoc est, alterius
d. l. 6. linguæ exterorum, legatos munerandos. Quod tanquam in-
dignum legationis dignitate rejicit, seq; ob id, quod ex Ulpia-
Alb. de leg. lib. 1. c. 16. no istud referatur, erubescere scribit eruditissimus Gentilis. Et-
si non videam, cur hoc magis sordidum sit, quàm alia, quæ ex
68 fisci pecuniis conferantur præmia ac munera, quandoquidem,
uti maris & majoris fluvii alicujus colligendi ratio, non solùm

ex

ex puris fonticulis, sed etiam ex impuris lacubus & paludibus 69
esse solet, secundum illud quod Callimachus cecinit: *Callim. hymn. in Apoll.*

Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ,
Λύματα γῆς, καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συρφετὸν ἕλκει.

Assyrius fluvius volvit magno agmine fluctus,
Et trahit illuviem multasq; hinc indeq; sordes.

Sic quoque fisci sagena & everriculum, non solùm ex pannicu- 70
lariis pecunias suas, sed etiam ex lotio per Vespasiani institutum contrahit, cui nihil, quod aureum & argenteum est, olet, nihil fœtet. Nec verò Romani solummodò exterorum legatis 71
offerebant, sed etiam ab aliis oblata dona accipiebant. Nam *Liv. lib. 39.*
eadem non accepisse valdè inhumanum, ac nimium insolens, morosum ac incivile fuisset. Quod etiam de præsidum & pro- 72
consulum Xeniis rescripsere Imperatores, quæ quidem cum *l. solent etiam. § non verò 3. ff. de off. procons.*
legatorum Lauteis planè conveniebant, quòd utraque ex jure hospitalitatis ac benevolentia proficiscerentur, & ab illis, quæ senatusconsulto erant interdicta donis ac muneribus plurimùm differebant, quæ non ut hospitibus & peregrinis honoris 73
& moris ergò, sed amoris & gratiæ conciliandæ causa magistratui vulgò offerebātur, quæ cùm corruptionis suspicionem alant, jure fuit magistratibus acceptione illorum interdictum. 74
Siquidem magistratum oporteat & Deo & legi ac principi ma- *d. l. 6. §. ult.*
nus puras in administratione munerū civilium servare. Quod 75
etiam Saxonico jure juramentis judicum hodie insertum ha- *Nov. 17. c. 1.*
betur. Xenia verò, prohibitione senatusconsulti, utpote quæ ad qualitatem munerum non accedant, non comprehenduntur. Nam & humanitatem, & hospitalitatis benevolentiam videretur tollere, qui Xeniorum & Lauteorum honorificum u- 77
sum submovere vellet. Cæterùm ut Atticam & Corinthiacam legem barbaræ inhumanitatis suspicione liberemus, intuendus utriusque sensus penitiùs est. Non etenim hoc volebant 78

leges illarum civitatum, ut omnes suæ legationes ad exteros
missæ munerum acceptionibus prorsus carerent, sed ut illi
tantùm legati abstinerent, qui legationibus ad hostes & inimi-
cos fungerentur, aut ad eos, qui suæ libertati foris insidiaban-
79 tur. Quandoquidem quæ ab hostibus & inimicis proficiscun-
tur munera, corruptionis suspicionem perpetuò pariant, neq;
moris sit legatos hostium honoris ergò munerari, ut & in pro-
verbium venerint, ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, quòd hostium dona, dona
80 pernitiosa & infelicia habeantur. In reliquis autem ad amicos
& confœderatos populos missionibus, cùm corruptionis nul-
la causa esset, Lautea honoris & moris ergò accipere, non erat
mente legis, etsi verbo videbatur, prohibitum. Quod sanè ille
81 Atheniensium legatus prudenter animadvertit, qui ad Diony-
sium Siculum tum temporis urbi confœderatum, missus erat,
82 cui cùm binæ stolæ oblatæ essent, ut unam ex illis, quam vellet,
dono filiæ eligeret, ille utraque sumpta, festivoq; verbo addito,
Plut. in Lysand. discessit: *Filia*, inquiens, *melius leget*. Sed ex eadem civitate De-
83 mosthenes ad Philippum missus Atheniensium hostem, cùm
legis sententia intelligeret se teneri, si ibidem munera oblata
(offerebantur autem splendida) acceptasset, constantissimè
manũ retraxit. Nec enim effugere corruptionis suspicionem,
84 neq; propterea pœnam potuisset. Quo laqueo idem irretire &
jugulare æmulum suum Æschinem, quem falsæ legationis ad
Philippum accusat, viribus omnibus fuit conatus. Legis au-
tem illam de muneribus distinctionem non videntur vidisse
85 Corinthiorum legati, qui, cùm ad eundem Siculum regem
missi, & ad oblatorum munerum acceptionem honorificè &
benevolè invitati lege ἀδωροδοκίας allegata, constantissimè ma-
nus abstinuissent, rex emendans ineptam legis sententiam: *Ab-
surdum*, inquit, *hoc vestrum institutum est, quo quod omnium opti-
mum in rege est, tollitis, dum dicitis etiam beneficium à rege accipere*
esse

esse periculosum. Rectè ille: neq; enim lege non accipiendorum munerum, illa continebantur, quæ honoris ergò ordinaria in legationibus Lautea dabantur. Sic neque illa comprehende- 86
bantur, quæ non legationis respectu, ut legato, sed hospitalitatis gratia, ut hospiti, & peregrino offerebantur. Etsi enim lege vetitum sit, ut legatus omnibus etiam Lauteis, hoc est, ordinariis honorificæ legationis muneribus abstineat, non minùs tamen, salva legis observantia, hospitalia illa munera ac Xenia, accipere legatus potest, quæ transeunti per urbes, ad quas legationis mandatum nullum habet, honoris ergò, non ut oratori ad se misso, sed ut gratioso hospiti suam civitatem ingresso, exteri populi offerunt, aut quæ etiam hostes non ut legato, sed ut privato hospiti exhibent. Qua ratione probè intellecta, rectè potuisset Barbarus contra suorum Venetorum legem pontificiæ munificentiæ acceptionem tueri, quæ non videbatur, 87
tam legationis ratione, in ipsum tanquã publicam legati personam, quàm admiratione doctrinæ ac virtutis, in gratiosissi- *Iov. d. loc.*
mum hospitem, privato hospitii jure esse collata. Esse autem il- 88
la dona, quæ legationis intuitu, & quæ hospitalitatis jure præstantur, ab aliis disjungenda & separanda, inde perspicuum est, quòd cùm legationis munera publica sint, & respectu ejus, qui legationẽ misit, nõ qui ea perfungitur, offerantur, meritò scrupulum & dubitationẽ moveant, utrũ missi, an potiùs mittentis commodo & juri ea cedant. Moscovitarũ quidem moribus, si *Salic. in l. cum aliquis, C. de jure delib. Luc. de Pen. in l. 1. C. de castr. pecul. Bartol & Paul. in l. dotalem. ff. solut. matrim.*
quæstionem illam judicare velimus, res erit illicò expedita: 89
Cedunt enim omnia munera mittentis commodo, quæ ex le- 90
gationis titulo & jure missus reportat. Neq; est, quòd velis barbarum morem dicere Barbaris relinquendum, cùm & Romanos legatos legamus publicum in ærarium legationis munera 91
detulisse, non solùm quæ publicè, sed ea etiam quæ privatim, ut Valer. loquitur, hoc est, privato hospitalitatis & amicitiæ jure à

Max. lib 4. c. 3. memorab. re à Ptolomæo rege essent consecuti. Viden' exactè publicè, hoc est, legationis jure data, & privatim, hoc est, hospitii & benevolentiæ jure donata distingui, illaq; publico commodo, hęc privato cessisse, idq; singulari quosdam studio erga commune bonum fecisse, quod hospitalitatis munera, quæ ærario non debebant, tanquam legationis dona, reipubl. intulerint. Sed neque illa, si vel cæterarum gentium moribus, vel etiam juris
93 civilis æquitate rem istam decernamus, quæ legationis jure legato, citra privatæ familiaritatis & hospitii respectum donantur, vendicari à mittente poterunt, nisi nominatim & expresse eo nomine data fuerint, ut ad eum, qui legationem miserit, sint perferenda, aut ea munerum qualitas sit, ut ex ipso aspectu vel raritatis, vel excellentiæ, vel precii usúsq; sui consideratione, non legato, sed legationis domino oblata esse appareant.
94 Nam quod per honorem & nomen alterius datur, ejus est, cui datur, non ejus, per cujus nomen & gratiam datur. Idque hodiernis regum & principum moribus rectè servatur, cùm & aurea monilia, vasa argentea, & similia preciosa Lautea, monumento ac argumento præclarè actæ legationis legatis esse debeant. Ita te, Hermanne Vultei, Jurisconsulte clarissime, legationis benè & laudabiliter administratæ aureum testimonium in donato perquàm insigni torque ex Dania domum retulisse summo cum plausu patria vidit. Vidi ipse superioribus annis insigni cum monili à magnæ Britanniæ rege, amicum meum Lucanum, cujus suprà meminimus, ad nos rediisse. Extant de regio isto munere mei versiculi, quos clariss. viri memoriæ paulò post immatura morte è medio maximorum honorum flore sublati consecravi:

l. cum filius 76. § pater 5. ff. de legat. 3.

Ille (de Phæbo regum loquor) *perorantem donis illustribus ornans,*
Ferre monile dabat monumentum insigne favoris,

Unde-

Vndecies humeros, quod circum & colla cucurrit,
Ac totum inclusum pectus circundedit auro.

Sed & multò majore munificentiâ ejusdem regis regum verè principis usus ab hinc trienino Legatus Sueciæ regis, Johannes Schytto in Elfvesio, meus olim in studiis eloquentiæ & politicæ prudentiæ addiscendis discipulus, quemadmodum datis ad me Haga Comitis 14. Septembr. anno 1610. literis ipse his verbis prædicavit: *Non solum*, inquit, *in hoc itinere variorum regnorum & ditionum secreta accuratissimè notavi, verùm etiam multorum principum favorem & benevolentiam mihi conciliavi, inprimis verò serenissimi Magnæ Britanniæ regis inusitatam benignitatem cum stupenda pietate & humanitate conjunctam expertus sum. Is etenim discedenti mihi ex Anglia multa aureorum millia* (octodecim millia Relationes, quas vocant, publicæ significabant) *liberalissimè indulsit. O admirandam cœlestis numinis bonitatē! ô egregios eloquentiæ fructus, in cujus præstantissimis divitiis tu ardorē meum, cùm in Academia Marpurgensi commorarer, mirificè promovisti, &c.* Verè regia legatos honorificè dimittendi ratio! quam veteres Persarum reges eodem modo perquàm munificè in honorandis legatis tenuisse leguntur. Cujus rei exemplum Vopiscus nobis reliquit in Aureliano. *Data est*, inquit, *ei præterea, cùm legatus ad Persas isset, patera, qualis solet imperatoribus dari à rege Persarum, in qua insculptus erat sol, &c.* Eandem verò rationem hodiernis moribus superesse, ista, quæ adduxi, recentiora exempla comprobatum faciunt. Quæ etsi ita sint, est tamen prudentis legati in oblatis muneribus diligenter perspicere & cōsiderare illud, quod Severus & Antoninus elegantissimis verbis Græcè re- 95 *l.6.§.3.ff. de off. proconf. & leg.*
scripserunt:

Οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.
ut neq; omnia, neq; passim, neq; ab omnibus accipiat, nedum aucupetur.

96 Nam,ut nunc hominum manus & sinus sunt,rarissimi Fabricii inveniuntur,qui dona oblata respuant. Sed ille ex priscis & cautè & graviter, quòd & hostium, quæ suspectum reddere poterant, & quod minorum amplecti munera nollet, sed po-
97 tiùs, ut verbum viri erat, *aurum habentibus imperare, quàm ipse illud possidere vellet.* Admirabilem similiter nostra ætate non solùm Venetorum urbi,sed toti Italię sese fecit,cujus suprà men-
98 tionem fecimus, Andreas Paulus, Electoralis Saxoniæ legatus & consiliarius,quòd Venetias ab Augusto Electore missus,cùm honoris ergò ob incredibilem ingenii & eloquii, morumque, quâ vir ille præcellebat,suavitatem, preciosa navi,rebusq; preciosis referta à Venetorum duce & senatu donaretur, quam suis sumptibus ad Albis usq; ostia deducendam promittebant, gratias quidem maximas donatoribus tam honorificè de se sentientibus egerit, nihil autem ex re donata, præter eximia quædam aulæa,quibus intexta Saxonis Electoris insignia,contrectarit. Commodè pro loco & loci lege, ut quam Veneti suis legatis lege data injungerent, in extero, & quidem in Germanorum legato voluntariam munerum abstinentiam cogno-
99 scerent. Quod quidem viri præstantissimi exemplum cum veteri illa Phocionis continentia conferendum,qui,cùm Alexander duo talenta ei mitteret,causâq; intellectâ,ideò mitti,quòd virum bonum & honestum ipsum æstimaret : rejectis muneri-
Plut.in probl. bus, *sinat me,* inquit, *eundem ergò non solùm haberi, sed & esse.* Sed
100 & in ejusmodi munerum rejectionibus temperamentum prudentiæ adhibendum est, ut quorum & quando honestius & laudabilius sit munera relinquere, quàm amplecti, diligenter attendatur,ne magis renuentis superbia & insolentia,contemptusq; adversus dantem, quàm gravitas & constantia inde ar-
101 guatur. Etsi enim nemini invito beneficium conferri possit,at-
l.invito 69.ff. de reg.jur. tamen uti,secundum illud Homerici Paridis verbum :

Οὖτοι

Οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικύδεα δῶρα,
Ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄντις ἕλοιτο.

Splendida cœlituum non rejicienda Deorum
Munera, nemo lubens non illa amplexa tenebit. 103

Ita neque beneficia ac munera, quæ à divina principum indulgentia proficiſcuntur, temerè repudianda, ſed quàm pleniſſimè & gratioſiſſimè interpretanda atq; exoſculanda. Quorum *Iavol. l. beneficium 3. ff. de const. princ.* quidem omnium magnificentiſſima illa jure & meritò habentur, quæ ſoli virtuti ac honori compendio vertuntur, quæ non in externis illis fortunæ donis, non in illo paulùm nitidiore luto, in auro & argento, non in armillis & monilibus, quorum precium ſuſpicit quidem magis vulgus, quod, ut Satyricus canit, in trivio fixum ſeſe demittit ad aſſem, Themiſtocles autem, celſioreq; animo prædití viri, non admodum admirantur, ſed ea cæteris præferunt, quæ in ornamentis animi, præmiisq; ac inſignibus ſolius gloriæ ac honoris poſita ſunt, & cum nominis immortalitate ad poſteritatis decus perpetuū transferuntur. Quo genere præmiorū affectum honorificentiſſimè Æneam Sylvium eſſe legimus, cùm à Felice Pontifice ad Imperatorem Fridericū III. miſſus, corona poëtica, veluti ampliſſimo munere, ſummiq; ingenii atq; doctrinæ, id ætatis rariſſimæ, à Cæſare *Platin. & Ant. Cam. in ejus v.* donaretur. Cujus quidem doni tam glorioſè dati & accepti recordatio etiam mihi ipſi propterea multò jucundior eſt, quòd auguſtiſſimi Rudolphi II. hodierni Imperatoris Romanorum feliciſſima manu impoſitam, & in comitiorum Ratiſbonenſium celeberrima luce, ac imperii totius conſpectu donatam, eandem coronam gratiſſimo animo ſuſceperim. Eodem verè modo, cùm à Sigiſmundo Auguſto Poloniæ rege ad Ferdinandum Imperatorem, Martinus Cromerus, vir, non quidem genere, ſed doctrina & eruditione clariſſimus, ut de eo Warſevicius ſcribit, miſſus, ſeptem annorum ſpacium in Cæſaris aula *Warſ. in orat. de leg.*

commoraretur, nobilitatis inſignibus ac ornamentis honorifici ſenti, condecoratus fuit. Nam, quemadmodum ipſe ea de
Crom. Pol.li.1. re ſcripſit, Imperator gentilitium Auſtriacæ familiæ ſuæ ſtemma, rubram in albo ſcuto tæniam, per tranſverſum ductam, cum eodem communicavit, & duo nigræ imperialis aquilæ capita, galeæ ejus coronatæ ſuperimpoſuit. Nec noſtræ memoriæ ſimilia honorum exempla deſunt, quorũ maximè memorabile illud, quod apud exteros legatos contigit nobilitate antiquiſſima, ſummaq; virtute & eruditione cumulatiſſimo Johanni de Meiſenbuch, fideliſſimo conſiliario illuſtriſſimi principis Haſſiæ Mauritii, &c. quem Celſitudo ipſa, ſua in lucẽ emiſſa næniâ, præmaturo fato è terris ſublatum, paternis lachrymis deflvit. At quid illud? Ad Angliæ reginam Eliſabetham ab illuſtriſſimo Cattorum principe miſſus, inter alia honorificentiſſima munera ac Xenia legationis, etiam doctorali apice atque infula, cùm inſigni pompa & ſplendore in ſugge-
Vide orat noſt. de Princ. Doct. & mag. prom. ſtum publicum Academiæ ab Anglorum primatibus deduceretur, magno cum applauſu & gratulatione totius nationis inſignitus fuiſſe prædicatur. Sed tantum de accipiendis Lauteis ac Xeniis legatorum: nihílne autem de reddendis muneribus agemus? Vetus enim Græcorum verbum eſt: *Δός τι καὶ λαβέ τι, accipe & redde: χάρις γὰρ χάριν τίκτει, gratia enim gratiam parit.* Munera
103 quæ à legato exhibentur, ſunt aut publica, aut privata. Publica, quæ illi, ad quem miſſus eſt, nomine mandatoris ſui offert, eaq; vel ſpontañea, vel remuneratoria. Spontanea ea dicimus, quæ
104 quis ſponte ſua, nullo munere, aut beneficio antegreſſo, alteri honoris ergò mittit. Remuneratoria verò, quæ gratitudinis ergò pro muneribus antè oblatis remittuntur. Solent utraque legationis mandato ineſſe: imò verò cauſam miſſionis non-
105 nunquam ſolam habere. Nec verò ulla ratio commendandæ legationis expeditior & acceptior eſt, quàm quæ muneratio-

nis

nis gratiam comitem habet, adeò, ut sine illa, abjectam honorisq; omnis expertem, ludibriiq; causa institutam legationem omnem esse Babylonicus Imperator dixerit. Quo quidem sensu Moscoviæ principes præditos esse animadvertitur, quibus mos est introductum ad sese in atrium legatum primùm interrogare, si quid muneris sibi attulerit. De qua re lubet Philippi de Pernstein, legati Cęsarei eò superioribus annis missi relationem cognoscere. In atrio, inquit, interiore venerunt mihi obviam duo magnates & præclari viri, qui me in conspectum principis adduxerunt. Celsitudini illius principis aderant consiliarii viginti quatuor, à dextra duodecim, totidemque à parte altera, qui ornatissimis atque superbissimis vestibus amicti erant. Cùm verò magno principi appropinquassem, alter consiliariorum, qui à dextera sedebat, surrexit, ejusq; celsitudinem his propemodum verbis affatus est: Magne princeps, Cæsar princeps & dominus, orator tui charissimi & preciosissimi fratris Maximiliani electi Imperatoris Romani tibi omnem reverentiam exhibet: cumq; hæc verba dicta essent, ego ipsum aspiciens, in genua procubui: postmodū surrexi, & à me quæsivit ipsemet princeps: Quomodo se haberet Cęsarea majestas? Cui interrogationi cùm ego respondissem; mei discessus tempore sanissimum fuisse. Præterea interrogavit: Quid illi attulissem? Respondi, literas exhibens, me attulisse armillā auream ornatam quinquaginta duobus adamantibus, cui imposita sit corona imperialis, quæ octo amplius millibus aureorum constet. Tum innuit ille mihi, ut meam narrationem pertexerem, &c. Hæc ille, ex quibus intellectu proclive est, Moschum ad sese institutæ legationis finem potissimè in munerum aucupiis collocatum habere. Sed illud avari, & ad utilitatis lucriq; cupiditates abjecti magis, quàm ingenui & liberalis principis esse videtur, qui semper aliis dare, quàm accipere ab aliis malit. Il-

Petr. Mart. lib. 2. Bab. legat.

106

Phil. de Pern. Rel. de stat. reg. Mos.

107 lud enim herile & regium, imò secundum Christi verbum, bea-
108 tius est, hoc verò servile, quemadmodũ ea de re graviter apud
Xenoph. lib. 1. ἀπομνημον. Xenophontem disserit Socrates. Nec tamen munerum obla-
tiones, quæ honoris ergò fiunt, sunt prorsus aspernandæ, præ-
sertim si non ab inferioribus proficiscantur, nec ipsa dona in-
feriora sint, quàm ut intuitum sui & dignitatem mereri pos-
sint. Nec enim regum Persarum illum morem legationis ma-
jestas in muneribus offerendis imitabitur, qui vilissima etiam
109 quævis à subditis suis oblata accipiebant, neque haustas ex ob-
vio quovis fonticulo aquas abnuebant. Illa siquidem privata
munuscula, non tam honoris, quàm debitæ subjectionis & of-
ficii causâ dabantur, & sine ullo precii respectu à mancipiis &
servis pro facultate cujusvis suscipiebantur. Legationis verò
munera cùm publica sint, & ab æqualibus, vel etiam majori-
bus offerantur, nisi tum offerentis, tum accipientis dignitati
respondeant, hinc sordes & vilitatem, illinc contemptum ma-
gis quàm honorem præ se ferre videntur. Quamobrẽ graviter
& prudenter Maximilianum I. Imperatorem fecisse accepi-
mus, quòd, cùm à Venetorum legatis multa & varii generis
113 pocula vitrea honoris ergò, majestati ipsius donarentur, gra-
tias quidem pro oblatione egerit, sed tamen, ut intelligerent,
se illis donis, quæ vilitate sui precii sordescerent, nõ admodum
moveri, ex cõposito fieri jusserit, ut, quasi casu fortuito fieret,
abaco, cui vitra imposita erant, everso, dona cineritia frange-
Brun. lib. 5. de leg. 11. Castrit. de princ. Germ. virt. lib. 5. n. 21. rentur. Quanquam non solùm vilitas, sed etiam mystica signi-
ficatio doni, sagacissimo Imperatori suasisse ejus abjectionem
videatur, cùm eos illudere per vitri oblationem, tanquam per
hieroglyphicas literas, vitreæ & inconstanti suæ fortunę, quam
in bello cum Venetis fortissimè gesto erat expertus, haud ob-
scurè animadverteret. Hoc enim fine, & tacita cum loquela, &
114 pleno cõtemptionis, & sannæ ac irrisus quasi quodã cum ven-
tre,

tre, munera per legationem nonnunquam mitti solent. Quo genere illa sunt, quæ à Scytharum regibus Dario missa priore libro ostendimus ex Herodoto, cùm illi per avem, per ranam, per murem, & per sagittas dono oblatas, mystico sensu & signo Persæ adversus se expeditionē irriderent, significantes, quemadmodum hoc Gobrias Magus rectè & prudenter explicabat, fore, ut, nisi tanquam aves, omnes Darianæ copiæ, in cœlum subvolarent, aut tanquam mures terrarum cavernas subirent, aut tanquam ranæ sub fluminibus ac paludibus occultarentur, nemo eorum non sit sagittis suis interiturus. Ejusmodi verò munera, si sarcasmus illorum agnoscatur, jure fuerint vel abjicienda, vel etiam remittenda. In nonnullis autem non tam precium, quàm raritas & artificium respicitur. Quo nomine gratissima fuisse Carolo Magno legimus munera regis Persarum Amarmulmuli (ita nominatim exprimitur à Lamberto) per legatum Abdellam missa, horologium ingeniosè & artificiosissimè ex orichalco laboratum, cujus descriptionem pete ex Æmonio, ejusdemq; materiæ duo candelabra, byssina tentoria cum Elephante. Eadem ratione, his mensibus, quando hęc ad secundam editionem relegerem, nobilissimus eques Marchicus Christianus de Bellin, legatus & consiliarius serenissimi Electoris Brandeburgici, meus olim inter trecentorum amplius studiosissimorum juvenum publica subsellia diligentissimus auditor, ad Christianissimum regem Henricum à principe suo missus in Galliam rarissimi artificii, ac studii quàm plurima munera, quæ elaborata ex succino erant, & regi & reginæ obtulerat. Quæ quidem non minùs preciosa atq; accepta ibidem fuisse memorantur, quàm veterum Romanorum ætate, *cùm*, uti Plinius testatur, *succini ex Germania in Italiam illati taxatio in tantis delitiis haberetur, ut hominis, quamvis parva effigies, vivorum hominum vigentiumq; precia superaret*; eamq; ob causam

[Margin notes: *Herod. lib. 4.* 115 · 116 · 117 · 118 · *Lamb. in Chron.* · *Æmon. lib. 4. c. 93 de rebus Franc. Lamb. & Chron.* · *Plin. lib. 37. c. 3.*]

ſam Domitius Nero, conjugis ſuæ Poppææ, quam, formæ admiratione, in delitiis ac moribus habebat, ſuccinos capillos appellaverit. De cujus quidem legationis non modò ad Chriſtianiſſimum, verùm etiam ad non tantùm nomine, ſed etiam re ipſa fortiſſimum Eccleſiæ defenſorem, regem Jacobum, uno eodemq; itinere feliciſſimè peractæ gloria, non poſſum, quin nobiliſſimo equiti Chriſtiano plurimum hoc loco gratuler, mihiq; ipſe quodammodò applaudam, quòd non minimum mihi videar ſtudiorum meorum fructum in eo legato videre ac percipere, qui è ſcholæ hujus noſtræ ſeminario in tam excelſam arborem excreverit, tamque egregiè primitiis legationum ſuarum perſunctus fuerit, ut tribus regiis torquibus, aureisq; monilibus, tum Franciæ, tum Angliæ inſignibus muneribus, præclariſſimè exornatus redierit. Quod quidem ſingulari cum voluptate memini me audire, cùm parenti ſuo, ſtrenuo & nobiliſſimo viro, Rudolpho Wilhelmo Rau, in Holtzhauſen, ſuperiori provinciæ ad Lanum præfecto, &c. præclariſſimæ ſpei, paternæq; virtutis ac ingenii juvenes, Juſtus Burchardus, & Rudolphus Rau, qui & Parriſiis legatum familiariter proſecuti, & in Angliam, indeq; in Germaniam comitati erant, commemorarent. Cæterùm, ut eò, unde digreſſi ſumus, revertamur, quod ad remuneratoria munera attinet, ſi quæ majoris dignitatis atq; honoris habentur, ea utplurimùm non per peregrinos, qui ad te miſſi ſunt, referri, ſed per peculiares eam ob cauſam miſſos, propriosq; legatos exhiberi ſolent. Ejus moris exempla à Romanis paſſim apud Livium & alibi. *Liv. de bell. ſec. Pun.* Privata autem legatorum munera ſunt, quæ ipſi privatim diſceſſuri referunt illis, per quos ab eo, ad quem miſſi, honorati, aut officiis aut beneficiis affecti. Nec enim legatum oportet inſtar felis relictis ſordibus, & ingrato odore aufugere, quemadmodum de Marii diſceſſu dictum eſt, ſed cum maxima amoris, bene-
121
Plut. in Mar.

nevo-

nevolentiæ, ſtudii ac gratiæ fragrantia, aulam peregrinam deſerere, libertatisque ac munificentiæ ſuæ monumenta honeſta poſt ſe relinquere. Ita gratæ & acceptæ in aula Mauritiana, relinquēdę ſui memoriæ ſtuduiſſe legatos Perſiæ vidimus, ut etiā 122
privatim diſtribuendis regiis muneribus magnificentiā ſuam exhiberent. Inter alia oſtenſus mihi precioſus acinaces gemmis auroq; gravatus, non erubeſcendum regi munus, quem ſtrenuo & nobiliſſimo viro, Othoni à Starſtedel, in Rodern, &c. quondam Electorali in Saxonia, nunc illuſtriſſimi ac potentiſſimi principis Mauritii, domini ac Evergetæ noſtri clementiſſimi, conſiliario intimo, ac legato exercitatiſſimo, fautori meo obſervantia ſumma proſequendo, honoris gratiâ donarunt. Sed ne in ſplendore munerū diutius verſantes, aciem, quod ſolet noctuæ à ſolis lumine accidere, hebetemus, dirigendus ad portam & extremū legationis portum oculus erit, ut, quâ domum redeundum ſit, videamus. Nihil enim ſupereſſe nobis ampliùs exiſtimo, quàm ut honorificè dimiſſi, hominibus & oris exteris valedicamus, animo nobiſcum perpendentes illam Comici ſententiam, nullam eſſe voluptatem majorem, quàm ſi ex terris alienis adveniens terram videas, quæ fuerit tua. *Plaut. in Menæchm.* Ita quidem eſt, ut dicis, ſed & foris, quæ ſpectantur,
voluptatem non minorem ferunt. Ut igitur majori non ſolùm 123
cum honore, ſed etiam cum voluptate iter facias, dabuntur non tantummodò duces eunti ac comites, certa qui oſtendant itinera, ſed etiam literæ ac mandata ad urbium præfectos & *Liv. 3. bell. Pun. ſecund.* præſides, ut nō modò viatica præſtentur, verùm etiam omnia, quæ per provincias viſu & cognitu, relatuq; digna ſint, tibi oſtendantur. Etſi enim legatum in alterius provincia ſtudioſè & 124
cupidè curioſum de arcanis regni perſcrutandis eſſe non oportcat: 125
illud tamen honori & amicitiæ legatorum dari ſolet, ut armamentaria, turres & præſidia, arces ac caſtella, & ſi quæ alia *d. l. Mercatores 4. C. de comm.*

ἀξιοθέατα fuerint, oculis illorum aperiantur. Quemadmodum illud Saguntinorum oratoribus non denegasse Romanos legimus, sed permisisse, ut omnia & oppida & theatra, omnes denique Italiæ delitias & amœnitates perlustrarent. Idem Tur-
126 cicis legatis, qui cum Augerio Busbequio emissi erant, fuit indultum, etsi illud multis inconsultum factu videbatur, nec immeritò. Non enim reconciliato hosti tam fidendum, ut quæ il-
127 lius aut metum & formidinem minuere, aut audaciam augere, aut cupiditatem invadendi nostri soli incendere possint, spectanda objiciamus; cavendum potiùs omni studio, ne gustum quidem earum rerum à nobis unquam exteri habeant,
182 quæ pellicere & inescare barbaros possint; quemadmodum illud prohibitum esse à Valentino & Gratiano Imperatoribus legimus. Eo enim modo illectos ad invadendam Italiam
129 ab Hetruscis cognovimus Gallos; Et à Narsete missi vini Italici gustu eodem evocatos Longobardos. Quorum reges, inde redditi cautiores, diligenter providerunt, ne exterarum gentium ad se missis legatis regni sui delitias, sumenq;, ut Cicero loquitur, Italiæ cognoscendum, & ne vina præstantiora degustanda darent. Sed an thesauri legatis ostendentur? Illos perpetuò inter arcanorum penetralia esse debere, fabularum mysteria, in Pluto oculis capto, docuerunt ita abdendos, ut neq; ami-
130 cis, nedum exteris aperiantur. Habet præterea pecuniarum ostentatio multum in sese levitatis, adeò, ut nemo prudens jactare suas opes præsumatur, ut in legibus scriptũ est, trahitq;
131 ea multum invidiæ. Sed & objurgatus ab ipso Deo per vatem Esaiam, rex Judæorũ Ezechias ob eam causam fuit, quòd Babyloniorum Imperatoris legato, honoris & amicitiæ ergò, gazas suas ostentasset. Nec immeritò irrisus esse dicitur à Polonorum legatis Henricus Imperator V. cùm, pace cum illis inita, non tam honorandi, quàm eosdem terrendi gratia, suis thesauris

Busb. Epist. 2. itin. Const.

l. 1. C. quæ res export.

Paul. Diacon. lib. 4. c. 135.

Esa. c. 39.

ſauris apertis, vim maximam auri & argenti iis demonſtraret: hiſce, inquiens, ſubſidiis Polonos ſubjugabo. Cui legatorum alter ſubridens, annulumq́; digito ſuo detractum copiis oſtenſis adjiciens, aurum cum auro, inquit, conjungatur: Imperator autem parvum magnis adjectum amplectens, *gratias*, inquit, *ago*, verbis vernaculis, Habt danck. Quod cùm domi ſuis inter alia legatus retuliſſet, ex facto illo novum nobili familiæ ſuæ cognomen peperit, quæ etiámnum nominatur, Habedanck. Similem autem opum ac theſaurorum jactationem, eorumq́; ad hoſtes frangendos inanem prædicationem, contra patrem Johannem Baſilidem, Moſcorum tyrannum, prudenter in mediâ barbarie diſputans, filius Johannes adoleſcentiæ noſtræ memoria, refutaſſe legitur, cùm regiis gazis ac facultatibus virtutem & animi fortitudinem longiſſimè præferendam eſſe, rectè judicaret. Quo verbo tyrannus exacerbatus, ſcipionem, quem manu ferre ſolebat, capiti adoleſcentis inflixit; cujus ictu ille in epilepticos paroxyſmos collapſus, florem maximæ ſpei cum immatura morte commutavit. Verùm nos exterorum copiis atque theſauris miſſis, domum noſtram properabimus.

Dreſſ. in ſext. mill. Stur. de Imp. Germ. c. 43. n. 6.

Heid. lib. 5. de Moſcov. bell.

CAP. X.

Renunciatio.

SUMMARIA.

1 *Pro itu & reditu ſuſcipi vota ſolita.*
2 *Fumus patriæ alieno igni incalentior.*
3 *Provinciali legato biennalis immunitas conceſſa.*
4 *Legato gentium utpote majori majora præmia debentur.*
5 *Renunciatio honores legationis domeſticos præcedit.*
6 *Pœnæ legatis quibus exſpectanda domum reverſis.*

7 Εὐθύνη πρεσβείας apud Græcos quæ.
8 *Iohannes de Lignano ex astrorum positu prævidit suum filium laqueo iri suspensum.*
9 *Quibus remediis & mediis præviso fato pater occurrere voluerit.*
10 *Legatio opus periculosæ aleæ.*
11 *Iohannis de Lignano filius ad Pontif. Martinum V. missus.*
12 *Reversus Bononiam ob malè administratam legationem noctu suspensus.*
13 *Legationum provinciæ cur periculosiores.*
14 *Eventa & casus legatorum consiliis non debent imputari.*
15 *Consilia prava magis quam bona prosperè evenire solent, secundum Salust.*
16 *Consilia fraudulenta puniuntur.*
17 *Consilia ex proposito mala distinguenda ab illis, quæ eventu mala nominantur.*
18 *Consiliorum aberrantium auctores non minùs bonæ fidei, quàm ii, quorum Suada fortunam comitem habet.*
19 *Consilia eventum adversum nacta præter consulentis animũ consultori non debent esse fraudi capitali.*
20 *Antè renunciatam legationem, renunciari eidem nequit.*
21 *Imperium proconsulis sub porta civitatis deponitur.*
22 *Legationis munus deponitur in concilio renunciationis.*
23 *Legatus ante renunciationem non desinit esse legatus.*
24 *Quintiliani declamatorius casus de legato ante renunciationem interfecto.*
25 *Proditoris patriæ liberi exules propter patris scelus facti, impunè occidi intra fines deprehensi poterant.*
26 *Renunciatio legati quid.*
27 *Renunciari quæ debeant.*
28 *Renunciationis elegantis exemplum in Venuli legati Virgiliani oratione.*

29 Ve-

29 *Venetorum legatorum renunciationes quales.*

30 *Renunciationis utilitas.*

31 *Lazari Soranzii liber de rebus Turcicis ex legationum relationibus collectus.*

32 *Romani quem fructum ex renunciationibus legatorum habuerint.*

33 *Renunciatio legati non sequitur vulgares aliarum rerum renunciationes.*

34 *Mensor agri per nuncium & per literas potest renunciare.*

35 *Legatus per nuncium & literas renunciare non potest.*

36 *Mensoris renunciatio de re privata.*

37 *Per nuncium & per literas res etiam majoris ponderis renunciari queunt.*

38 *Renunciatio legati per nuncium & epistolam cur fieri nequeat.*

39 *Testium præsentium & testimoniorum diversa auctoritas.*

40 *Vivæ vocis vis maxima.*

41 *Præsens vultus & oratio detegit animum.*

42 *Renunciator omnia ex animo referat.*

43 *Legati post renunciationem perfectam munera.*

44 *Attica præmia legatis data.*

45 *Venetorum præmia.*

46 *Sumptus legationis causa facti restituendi legato.*

47 *Officium nemini suum debet esse detrimento.*

48 *Munera domestica legati tanquam eximii laboris merces.*

49 *Statuæ defunctis in legationis functione positæ.*

50 *Statuæ quibus positæ Romæ & Athenis.*

51 *Legationis benè administratæ fructus maximus.*

52 *Abrahamus Boccius, & Andreas Paulus ad regem Poloniæ missi.*

53 *Stephani regis Poloniæ de duobus illis legatis sententia egregia.*

SEd nunc legati pro itu & reditu, ut Suetonius loquitur, su- 1
scepta vota solvamus: fumum enim, qui alieno igne lucu- 2

lentior ſemper eſſe judicatur, ex alto conſpicimus, ut cum illis Virgilianis legatis exclamare poſſimus:

Verg. Æn. li. 11.

Nunc iter emenſi caſus ſuperavimus omnes,
Hic requies, hic portus erit.

3 Nam, ſi provinciali legato poſt tranſmarina legationem biennii vacationem ab omnibus muneribus civilibus & oneribus
4 jura conceſſerunt, quid noſtro, qui gentium jure ad barbaros miſſus, quiq; propriè legatus dicendus, non exſpectandum immunitatis, quid honoris, quid præmii non ſperandum? Ita qui-
5 dem eſt, ſed ante legationem renuncies oportet, ut intelligatur, rectène an ſecus adminiſtratum munus ſit, quàm præmia
6 & honores depoſcas. Sunt enim & pœnæ graviſſimæ domi paratæ illis, qui fraudulenter & doloſè, quiq; negligenter ac perniitiosè verſati in officio ſunt, quod etiam adverſus provincialem non minus ſeverè ſtatutum. Eratq; in Attica & aliis Græ-
7 ciæ civitatibus εὐθυνῶν παραπρεσβείας, actio in legatos conſtituta, ſi rationem geſtarum rerum & omnium & ſingularum reddere non poſſent. Idq; nõ ſolùm priſca morum ſeveritate, ſed etiam hodierno jure legationis ad eum modum ſervatur. Quocirca malè ſuo filio conſuluiſſe videtur Johannes de Lignano, quòd,
8 cùm ex Aſtronomicis ſignificationibus intellexiſſet, ea fati naturalis adverſitate puerum teneri, ut reſte ac ſuſpendio vitam, tanquam Parcarum decreto, triſtiſſimè finiturus eſſet, quò humano aliquo, ſi fieri poſſet, remedio & conſilio neceſſitatem aſtrorum, quam timebat, ſubmoveret, in ordinem ſacrum aſ-
9 ſumptum, maximarumq; legationũ provinciis adhibendum curarit, ex quibus, ut ille exiſtimabat, tantum auctoritatis & facultatis redundaret, ut ne quidẽ ullius accuſationis, nedum laquei diſcrimẽ foret ei unquã metuendum. Neq; enim aliun-
10 de quàm ex legationũ functionibus, tanquã ex opere aleæ periculoſæ, ut canit Horatius, pleniſſimo, citiora & majora obiriri mala

l. transmarin. 3. C. de leg.

l. 1. l. 2. ff. de leg. l. 2. C. eod.

Hor. li. 2. carm. od. 1.

mala solent. Quod certè uterq; & pater & filius, quos diximus, denique sunt experti. Cùm enim ad Pontificem Martinum V. 11
nomine Bononiensis civitatis missus, in reddendis peractæ legationis rationibus satisfacere senatui non posset, malè administratæ provinciæ, & mandati neglecti accusatus, medio in foro de nocte suspensus, maneq; miserrimum in modum à patre frustrà defletus fuit, quòd fati violentiam consiliis nullis amoliri potuisset. Siquidem, legationis commissum, etiam paterni, quod longè maximum fuerat, beneficii memoriam, obruerat, ratione nulla ejus rei in filio habita, quòd Jurisconsultissimus parens eandem civitatem, quemadmodum ipse prædicat, causa ejus diligentissimè atque optimè apud Pontificem acta, à magnis mulctis & poenis liberatam curasset. Est autem eam ob causam legationis munus periculosius, quòd non solùm omnium rerum actarum consilia, & consiliorũ omnium rationes accuratè exigantur, sed etiam eventorum infelicium casus atq; adversitas administrantibus imputari soleat. Id autẽ valdè iniquum est, cùm successus & eventus rerum in humana manu positi esse nequeant, sed plerunque fiat, quod Salustius ad Cæsarem scripsit: *ut prava magis, quàm bona consilia prosperè eveniant, quia res plerasq; fortuna ex libidine sua agitat.* Etsi autem fraudulenta consilia ad poenam jure ac meritò vocari queant, distingui tamen diligenter consilia debent maligna, quæ animo maligno & doloso suscepta sunt; ab iis, quæ bono proposito, ad bonum finem directa, eventum malignum, sortis contrarietate, sunt sortita, quorum auctores non sunt pejoris fidei habendi, quàm illi, quorum Suadam bona eventus fortuna fuit comitata. Neq; ob id mala consilia, quæ idcirco mala, quòd à scopo aberrarint, finemq; sinistrũ nacta sint, tanquam fraudulenta & perversa suppliciis vindicanda, de qua re graviter & sapienter Curtius, *defuturi*, inquit, *sunt qui suadeant, si male sua-*

Margin notes and numbers (right margin, in order): 12 — Ioh. Wolf. cent. mem. lib. 16. — Ioh. de Lign. in Clem. 1. de pœn. — 13 — 14 — 15 — 16 — 17 — 18 — 19 — Curt. lib. 3.

le suasisse fuerit periculum. Nec verò renunciare quis legationi
20 potest, antequam ipse eandem renunciarit, neque perfecta le-
L.12. ff. de legat. gatio dicitur, priusquàm illa fuerit relata. Non enim dignitas,
21 munusque legati, quemadmodum proconsulis imperium sub
porta civitatis, sed in loco curiæ & concilii, ubi suscepta pro-
22 vincia erat, per renunciationem, quæ extremum legati offi-
cium continet, deponitur, neque ante renunciationem exuit
publicam reipubl. personam legatus, neque jura & immunita-
23 tes suas amittit: unde, si fortè quippiam injuriarum interea ipsi
inferatur, non uti civis privatus, sed ut legatus, qui publicam
reipubl. faciem & dignitatem etiámnum ferat, læsus existima-
tur. Quemadmodum hoc Quintilianus in declamationibus
24 suis, casu perquàm memorabili illustravit, cùm quendam ante
renunciationem ob id occisum esse ponit, quòd paulò antè
quàm idem legatus domum rediisset, pater ipsius proditionis
25 damnatus, liberos omnes in hoc discrimine secundum legem
reliquisset, ut exules per patris sententiam facti, si intra fines
Gell. lib. 12. c. 7. deprehenderentur, impunè à quovis vita, ut Gellius loquitur,
26 interfici possent. Est autem renunciatio omnium in legatione
gestorum, apud mittentem missi solenniter facta commemo-
ratio. Legationis autem gesta intelliguntur hîc ea omnia, quæ
27 non solùm ad mandati expositionem & auditionem ac respon-
sionem pertinent, sed etiam ea, quæ ad honorificam exceptio-
nem, ad munerum donationem, ad mores & ingenia eorum,
ad quos, & per quos missus, ad eorundem imperia, ad opes &
28 potentiam, ad vectigalia, ad leges & statuta attinent. Pulcher-
Verg. Æn. li. 11. rimum ejusmodi renunciationis exemplum proposuit noster
Maro, ubi Venulus Latini regis orator à Diomede redux, non
solùm regis responsa, sed etiam opera & studia, mores & indo-
lem exponit:

Vidimus, inquit, *ô cives Diomedem, Argivaq; castra,*

Con-

Contigimusq; manum, qua concidit Ilia tellus,
Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis agris.

Atq; hoc Venetorum prudentissimæ reipubl. institutum est, ut peregrè reversi oratores ad senatum referant, de rebus omni- 29
bus, quæ non solùm in totius legationis curriculo ab ipsis acta, *Octav. de leg.*
sed etiam quæ visa, notata, & animadversa. Quorsum autem *lib. 1. prope fin.*
Sorant. in praef.
illud? quòd nihil ad rempub. instituendam, nihil ad conservan- *de reb. Turc.*
dam compendiosius, nihil ad benè & fideliter gerendam conducibilius esse, quàm earum rerum notitiam, quæ in omni ge- 30
nere principatus ad imperii salutem maximè observantur spectare, cognoverint, quodq; nihil sit ad tuorum adversus exteros instruendam consiliorũ aciem expeditius, quàm aliorum mores, ingenia, studia, disciplinas, fortunas ac rationes explorata habere. Venetorum autem legati, quàm attenti ad singula momenta sint, quàm studiosi rerum indagandarum apud exteros omnium, ex Lazari Sorantii libro de rebus Turcicis, qui 31
ex relationibus, quæ in archiva reponi ibidem solent, maxi- *Sorant. d. praef.*
ma ex parte, ut autor fatetur, collectus, perspici potest. Sed & 32
abhinc triennio, cùm hæc tertiũ cognoscerẽ, relationũ fasciculus studio Philippi Honorii congestus in lucem prodiit, qui ferè omnium regnorum ac rerump. status, uti nunc sunt, legato- *Prax prud. polit.*
rum diligentia explicatos continet. Nec aliter Romani omniũ gentium ac regnorum jura & consuetudines, quàm per legationis renunciationem, explorarunt, nec aliunde remp. suam bonis legibus ac moribus auctiorem & splendidiorem reddi- *Plut. in in Scip.*
derunt. Quod gravissimis verbis asserens illustrium Baronum decus ac ornamentum, legationum curriculis exercitatissimus Sigismundus de Herberstein, relationum ejusmodi commen- *Herberst. in*
tarios, in ædem Saturni ad posteritatis memoriam ac discipli- *praef. rer. Mosc.*
nam repositos fuisse scribit. Quod, ut idem ait, si vel à nostræ,

vel paulò superioris memoriæ mortalibus esset observatum,
plus fortasse lucis in historia, vel certè minùs vanitatis, haberemus. Tanta verò in externis rebus inquirendis diligentia Romanorum, tantum studium, quo nihil non, quod præstabile reipubl. videretur, domum referrent, extitisse animadvertitur, ut etiam ignotarum arborum ac peregrinarum frugum semi-
Plin. lib. 15. c. 19. & 22. na è Syria cum Lucio Vitellio in Italiam transtulerint. Qua ratione ager quoq; patrius plurimùm collocupletatus. Quemadmodum Nicotii Gallici legati industria Indianum pætum, quod Tabacum vocant, patrum nostrorum memoria ex Lusitanico itinere in Galliam primum illatum, & ab eodem Nico-
Petr. Cresc de usu Pat. tianam herbam ibidem nominatam esse scribit Petr. Crescentius. Quocirca ut illud majori cũ gloria legatus præstare possit, Catonis legati exemplo, Panætius aliiq; viri, doctrina & auctoritate insignes accersendi, ac cognoscendarũ rerum plurimarũ gratia sæpissimè cõveniendi, contrà quàm barbari mores Moscovitæ ferunt, qui legatis suis foras emissis, singulos custodes
Herberst. de Mosc. bell. lib. 1. apponit, ne cum exteris liberè colloqui possint. Tantùm itaq; cùm in renunciatione legati positum momenti sit, ad vulgares
33 rerum aliarum renunciationes institui non debet, ut, quemadmodum mensores agrorum renunciasse dicuntur, qui aut
34 per alium renunciarunt, aut per literas, ita etiam per nuncium,
35 & per epistolam legatus renunciare queat. Mensoris autem re-
36 nunciatio, judicii significatio de re privata est, quæ quomodo
l. 5 §. 2. ff. d. tit. exprimatur, nihil interest, cùm etiam majoris ponderis nego-
37 tia per epistolam, & per internuncium significari & confici pos-
38 sint. Legati verò renunciatio de negotio publico, deque illis rebus, quas ipse vidit, ipse audivit, quibus ipse non so-
l. testium 3. §. 2. 3. 4. ff. de testib. lùm interfuit, sed præfuit, testificatio est, quæ non nisi præsente auctore fieri potest, cùm etiam in privatis caussis alia sit auctoritas præsentium testium, alia testimoniorum, quæ recitari solent,

lent, ſecundum Hadriani reſcriptum. Accedit eò, quòd vivæ 39
vocis maxima vis & energia ſit, quodq; renunciantis affectus *Fab.lib.3.orat.*
nulla alia ratione magis, quàm vultu & oratione detegatur, ut *Hieron.ſent.* 40
animadverri haud parvo negotio poſſit, quid ſuſpectum gra- 41
tiæ, quid odii & ſimultatis fuerit. Nihil autem renunciator fi- 42
delis ſimulare, nihil diſſimulare & celare debet, ſed omnia can-
didè & ſincerè referre, quæcunq; referri reipubl. intererit. Præ-
terea verò ita expenſarum, ſumptuumq; factorum rationem
in numerato atque in promptu habeat, ut etiam ultrò ſeſe ad
eam reddendam, ſi opus ſit, offerat, quò omnibus conſtare poſ-
ſit, ipſum quidem ad ſplendorem atque dignitatem legationis
publicis opibus uſum, nullo verò modo iis abuſum eſſe. Etſi
autem rationes impendiorum à legato, præſertim ſi immodica 43
eſſe videantur, exigi jure poſſint, non tamen ad quæſtorii cal-
culi ſeveritatem ſingula ſunt exactiùs revocanda, neque ad ra-
mentum omnia conquirenda. In hac enim parte animi præva-
leat magnitudo, ut Warſcevicius loquitur, pudeatq; nos iis no- *Warſ.d.orat.*
ſtra denegare bona, qui pro nobis præſtiterint, vel pertulerint
multò graviora. Quanquam enim fortaſſe etiam profuſiores, 44
quàm par ſit, ſumptus eſſe videantur, legatum tamen feliciter
expeditæ legationis negotium, ipſaq; mittentis apud exteros
digniſſimè ſuſtenta perſona excuſabit, idq; eò magis, ſi ea ſe-
cundum animi ſententiam perfecta rerum momenta ſint, quæ
nullis cum auri ac argenti ponderibus ſint æquiparanda. Cu-
jus quidem rei illuſtre exemplum præbuit, avorum memoria,
Ferdinandus Conſalvus, qui cùm Ferdinando, Hiſpaniæ regi, 45
in recuperando à Gallis regno Neapolitano maximè inſignem
& fructuoſam operã complures per annos navaſſet, tandẽ ma-
lè adminiſtrati muneris inſimulatus, & ad rationes accepti &
expenſi ab ipſo rege, qui etiam ea de re Neapolim trajecerat,
poſtulatus fuit. Quid verò ille? Impetrato exigui temporis in-

tervallo, brevi schedula, rationes earum rerum, quas pro tranquillitate & restitutione regni, egregiè & cum admiratione gesserat, complexus, ab omni sese suspicione tum rei malè actę, tum pecuniæ malè collocatæ facilimè liberavit, cùm præclarè gestarum rerum magnitudo sumptuum & expensarum calculum omnem obliteraret. Idem in legati nostri sumptibus ad abacum revocandis cogitari velim, idem perpendi, ut ejus industria, labores, rerumque gloriosæ expeditarum fructus ac emolumenta cum æstimatione maximorum etiam impendiorum conferantur, quorum nulla unquam ratio pluris, quàm reipubl. salus & utilitas erit habenda. Atqui omnibus hisce negotiis ita absolutis, tum demum amplissimo rectè administratæ

Suid. in act. legationis præmia legatum excipient: obviæ ei erunt lau-
κολὰ σχήμ. dationes, & præconia, ut olim Athenis, publica offerentur: of-
Forc. in Fel. Pol. ferentur, ut ibidem solitum fieri, sacræ coronæ ex olea contex-
46 tæ, æterno cum testimonio, quòd pacis publicæ administer & recuperator fuerit: dabitur in prytaneo, honoris causâ victus
Mag. de leg. li. 1. & accubitus: in curia & senatu, ut apud Venetos, locus hono-
47 ratissimus, neque verò solùm omnia illa impendia, quæ bona
l. si quis alieni. §. impendia ff. mandat. fide legationis exequendæ gratia, ab ipso facta, quæq; fortunæ & itineris incõmoditate, ac furti & latrocinii casu per legatio-
48 nem amissa, restituentur, cùm nemini officium suum, quòd reipubl. gratia sustinuit, debeat esse detrimento, sed & præterea
l. 31. ff. de don. honorifica munera, quæ sint tanquam merces eximii laboris, in benè meritum conferentur, ut honorum & præmiorum conspectu etiã alii ad legationis pericula laboresq; suscipiendos pro repub. efficiantur alacriores. Quam etiam causam fuis-
Cic. Phil. 7. & 9. se Tullius testatur, cur in legationis administratione foris extinctis, statuæ ad æterni nominis memoriam fuerint positæ.
49 Quem pro mortali vita honorem immortalem esse habitum
50 Romæ A. Cluilio, L. Roscio, Sp. Ancio, C. Fulvio, Servio Sulpi-

tio,

tio & Cn. Pompilio aliisq; legimus. Quæ, etsi quidem non contemnenda rerum præclarè gestarum testimonia sint, tamen nullum, arbitror, majorem posse secundum præmia cœlestia ex legationibus fructum ad omnē posteritatem referri, quàm solam prudentiæ, fidei, virtutisq; omnis probatæ, perspectæq; apud exteros commendationem. Cujusmodi laudem & prædicationem à rege Poloniæ Stephano, togæ belliq; peritissimo, duos Saxoniæ Electoralis legatos nobilissimos, Abrahamum Boccium, & quem sæpiùs nominavi, Andream Paulum, viros omni laude dignissimos, reportasse audivimus, cùm non dubitaret exterorū principum potentissimus confirmare, se non unius regni & imperii, sed totius terrarum orbis gubernacula, si duorum horum Nestorum fide & consilio adjuvaretur, felicissimè gubernaturum. Regiæ profectò commendationis vox magnifica, omniq; cippo & statua, omni triumpho ac monumento gloriosior. Faxit itaq; Opt. Max. legationum omnium arbiter, caducei custos & protector, vindexq; Deus, ut divina imperii Romani sedes, Germania, ac inprimis, cui omnia vota & studia nostra debemus, illustrissima domus Hassiaca, nunquam non nobilissimos & prudentissimos, fidelissimosq; legatos ac oratores (quemadmodum nunc temporis cum aurea quadā seculi, tum optimi principis singulari felicitate, quàmplurimos habet) toti terrarum orbi mittere, remissosq; maximis & honoribus & præmiis, atq; immortalibus laudibus decoratos videre possit. At tu, noster Orator, opere perfecto, tace, & si nihil aliud, hoc tamen Taciti verbum certi præmii ac solatii loco habe: *Suum cuiq; decus posteritas rependet.*

51 52

Cic. d orat. l. 2 §. 43. ff de orig. Plin. lib. 34. c. 6.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM, IN QUO NUMERUS PRIOR LIBRUM, secundus caput, tertius numerum marginalem designat.

A

Ambo-

Auri

Car-

D

De-

Laza-

Lega-

Loto-

N

O

Privi-

Valen.

FINIS.

Emendanda. P.69.n.118 *legatione, legatio ne.* ib.n.121. *in curia, in curiam.* 91.n.271. *variaq;, variéq;.* 98.n.24 *rationemq;, rationem.* 104. n. 8. *in comitatum, incomitatum.* 111. num.73. *non singulari, non sine sing.* 121.lin. 9. *definitio, definito.* 129. num. 8. *impediri, impedire.* 145.lin.3.*terror, terrorem.* 153.n.69.*intercepit, interceperit.* 157.n.100.*Sidonia, Sidonii.* 176.n. 233. *Trot, Tros.* 178.lin.6.*quid, quod.* 206 n. 11.*consultum, consulum.* 213. lin. 5. *minores in precio, minore.* 219.n. 8.*tractos, fractos.* 223. n. 42. *Medicea, Medicem.* 248. n. 35.*legis enim, legis autem.* 252. n.29.*dominatione, dominationi.* 234. n.45.*sedentem, ferentem.* 251 n.57.*remoremus, remoremur.* 255.n.1.*tinnorumq;, cincinnorumq;.* 276.lin.1.*ἀναφθηαίνοιν, ἀραχεφθηαίνοιν.* 280.n.112. *extrema, extremam.* 300. lin.10.*Iohanni de Meisenb. Georgio.* 304.lin.2.*ac moribus, ac amoribus.*

❧(*)❧